TRACTATUS
DE VERA RELIGIONE.

N738

TRACTATUS
DE VERA RELIGIONE

AUCTORE

G. VAN NOORT
CANONICO CAPIT. HARLEMENSIS
DECANO AMSTELODAMENSI

EDITIONEM QUINTAM CURAVIT
J. P. VERHAAR
S. THEOL. IN SEMINARIO
WARMUNDANO PROFESSOR

Property of
CLgA
Please return to
Graduate Theological
Union Library

ALMA COLLEGE
211.02
LIBRARY
N738
Alma, California

1929

SUMPTIBUS SOCIETATIS EDITRICIS ANONYMÆ ANTEA
PAULI BRAND
HILVERSUM IN HOLLANDIA

LIBRAIRIE - ART
FIRME CH. BEYAERT
BRUGES (Belg.)

14421

Imprimatur.
Dr. J. TH BEYSENS,
Libr. censor a. h. d.

Soest, 6 Jan. 1929

PRAELEGOMENA
IN
UNIVERSAM THEOLOGIAM[1].

I. **Theologiae notio**[2]. — Theologia *Θεός λόγος* etymologice est sermo seu doctrina de Deo. De Deo autem atque de rebus, quae ad eum referuntur, potest haberi cognitio aut solo rationis lumine comparata, aut revelatione accepta ; et utraque cognitio potest esse aut vulgaris aut scientifica. Jam ex usu, a saec. saltem XIII inducto, theologia in sensu stricto seu theologia **dogmatica** est doctrina scientifica de Deo et de creaturis, prout ad Deum referuntur, ex revelatione hausta, a. v. est *scientia supernaturalis de Deo et de creaturis, quatenus ad Deum referuntur.*

Scientia. Theologiae dogmaticae enim est veritates de divinis ex fontibus revelationis probare, eas in quantum fieri potest explicare atque illustrare, ab adversariorum impugnationibus defendere, conclusiones ex iis deducere, demum eas una cum his conclusionibus in unum corpus apte dispositum, in unum systema colligere. Atqui hujusmodi operatio scientifica est, et systema veritatum inde resultans scientiae nomen meretur[3].

[1] Cfr. J. GOETTSBERGER e.a., *Einführung in das Studium der katholischen Theologie*, 1921; G. RABEAU, *Introduction à l'étude de la théologie*, 1926. — [2] Cfr. *Institutiones theologiae fundamentalis auctore* H. v. LAAK, *Tract. I. De theologia generatim, fasc. I*, 1910; G. P. KRELING, *De aard der H. Godgeleerdheid*, 1928. — [3] Cfr. s. THOM. *S. Th.*, I, 1, 2 et 8.

Supernaturalis. Aliae scientiae omnes procedunt ab intrinseca rerum evidentia, ab experientia, ab auctoritate humana tamquam a suis principiis objectivis (principia, ex quibus cognitiones hauriuntur), et a lumine rationis tamquam a suo principio subjectivo (principium, quo cognitio elicitur). Quae cum omnia naturalia sint, scientiae illae vocantur naturales. At theologiae dogmaticae principium objectivum est revelatio divina (quae in s. Traditione et Scriptura continetur et ab ecclesia nobis proponitur), principium vero subjectivum est ratio fide illustrata: utraque supra naturam. — Hinc theologia, simpliciter dicta, differt a theodicea seu theologia naturali, quae agit de Deo, in quantum ex iis, quae facta sunt, naturali rationis lumine cognoscibilis est. Et quamvis theologia et theodicea ex parte saltem easdem veritates tractent, differunt tamen specie, quia „diversa ratio cognoscibilis [diversitas objecti formalis] diversitatem scientiarum inducit" [1].

De Deo et de creaturis, quatenus . . . Theologia enim considerat tum ipsum Deum, tum creaturas, non tamen secundum se spectatas, sed quatenus a Deo sunt et ad Deum tendunt. Quia igitur „omnia pertractantur in sacra doctrina sub ratione Dei, vel quia sunt ipse Deus, vel quia habent ordinem ad Deum, ut ad principium et finem, sequitur, quod Deus vere est subjectum [res seu objectum, *de quo* scientia agit] hujus scientiae" [2]. Hinc Deus vocatur *subjectum attributionis* theologiae; alia praeter ipsum *subjecta attributa*.

Inferes:

1°. *Theologiam dogmaticam distingui a theologia fundamentali.* Illius enim principium objectivum, quum sit revelatio divina, ut jam notum supponit, Deum locutum esse atque ea, quae locutus est, in ecclesia catholica infallibiliter conservari, de quibus proinde factis antea jam constare debet. Hoc autem probare est munus theologiae fundamentalis, quae ita vocatur.

[1] *S. Th.* I, 1, 1, ad 2. — [2] *S. Th.* I, 1, 7, c.

quia aliquod theologiae principium seu fundamentum nempe locutionem divinam demonstrat [1], et ita theologia fundamentalis est introductio ad dogmaticam. Quia autem fert usus, ut introductio ad aliquam disciplinam, quatenus est hujus disciplinae, ad eam referatur, sicut etiam fundamenta domus pars domus dicuntur, ita theologia fundamentalis recte pars theologiae dici potest, quamvis in pluribus a dogmatica differat, scil.: **a.** ratione objecti *materialis* (res seu objectum, *quod* scientia tractat). In dogmatica objectum materiale est Deus et creaturae, quatenus ad Deum referuntur, in fundamentali est locutio divina ejusque ab ecclesia fidelis conservatio [2]. **b.** Ratione objecti *formalis* (objectum *quo*, ratio sub qua veritates considerantur seu objectum materiale cognoscitur), quod in dogmatica est revelatio divina, quatenus conciliat demonstrationem dogmatum et intellectum conclusionum theologicarum; in fundamentali objectum formale duplex est, quatenus complectitur duo facta, n.p. locutionem divinam et ejus conservationem ab ecclesia. Jam locutio divina est factum, quod cognosci potest: vel ex *revelatione*, quatenus Christus nobis revelavit èt modum conservationis (n.p. ecclesiam infallibilem)

---

[1] Unde si haec theologia fundamentalis venit nomine „theologiae", theologia in sensu *latiori* sumitur, quatenus etiam comprehendit disciplinas nonnisi nexu *extrinseco* cum theologia dogmatica conjunctas, v. g. apologeticam stricte dictam, isagogen et hermeneuticam biblicam, historiam ecclesiasticam, archaeologiam sacram, patrologiam, historiam liturgiae, artis christianae, dogmatum, conciliorum, haereseon, cet., uno verbo omnes scientias, quae in studiorum Universitatibus sub nomine *Facultatis theologicae* veniunt. Nonnumquam Theologia in sensu magis *restricto* significat doctrinam revelatam de ipso Deo tantum. Hinc Patres doctrinam sacram aliquando dividunt in *Theologiam* et *Oeconomiam*, i. e. doctrinam de operibus Dei ad extra, praesertim de Incarnatione et Redemptione. Cfr. V. LAAK, *o. c.* p. 6. — [2] Cfr. *Rev. du Clergé fr.* 1919, tom. 98, p. 321; tom. 100, p. 416.

èt notas, quibus illa ecclesia dignoscitur; vel *ex ratione*, quatenus ex historia probatur ecclesiam semper et manifeste asserere, se esse custodem revelationis divinae itemque ex historia ostenditur, n.p. miraculis motivisque credibilitatis, hanc assertionem esse veram.

Sequitur objectum formale theologiae fundamentalis, in quantum probat factum revelationis, esse cognoscibilitatem naturalem seu historico-philosophicam [1]; in quantum probat revelationis infallibilem ab ecclesia conservationem, esse vel ipsam revelationem (cognoscibilitatem supernaturalem) vel rationem naturalem (cognoscibilitatem historico-philosophicam)[2].

Quodsi hisce adderis, pleniorem rerum divinarum cognitionem sponte sua hominem ad ferventiorem Dei amorem provocare, intelleges b. ALBERTUM M. omnem fere theologiae praestantiam comprehendisse dicendo: „Theologia a Deo docetur, Deum docet et ad Deum ducit" [3].

2⁰. *Theologiam èt a fide differe èt arctissime cum fide connecti.*

Differt a fide divina; scil.: a. *ex parte objecti materialis*, quod in fide sunt solae veritates revelatae, in theologia vero

---

[1] Haec cognoscibilitas dicitur *historico-philosophica*: in quantum probat „locutionem" (factum historicum), ad *historiam* pertinet; in quantum probat locutionem Deum habere causam, est rem perducere ad suam causam, et hoc *philosophiae* est. Cfr. V. LAAK, o. c. p. 7; *Ned. Kath. Stemmen*, 1916, p. 75, ubi insuper ostenditur theologiam fundamentalem non esse partem philosophiae. — [2] Haec cognoscibilitas est *historico-philosophica*: probare enim ecclesiam semper et manifeste asseruisse, se esse custodem et magistram revelationis, ad *historiam* pertinet; huius assertionis veritatem (divinitatem) variis miraculis ostendere, est quaerere causam adaequatam illorum (miraculorum), quae Deus est, et hoc est *philosophiae*. — [3] Ast observa, quod stricte loquendo non ipsa theologia qua talis, sed ejus principia a Deo docentur.

insuper multae aliae veritates cum revelatione connexae; b. *ex parte objecti formalis*, quod in fide est revelatio divina ut movens ad assensum firmissimum, in theologia eadem revelatio ut concilians demonstrationem veritatum revelatarum et intellegentiam conclusionum inde fluentium. Fides etenim veritates revelatas firmo assensu amplectitur tantum, sed non arguit, non discurrit, non ordinat, non defendit, uno verbo: non procedit more scientifico. Hinc s. AUGUSTINUS: „Qua scientia [theologia] non pollent fideles plurimi, quamvis polleant ipsa fide plurimum. Aliud est enim scire tantummodo quid homo credere debeat propter adipiscendam vitam beatam, aliud autem scire quemadmodum hoc ipsum et piis opituletur et contra impios defendatur" [1]. c. *Certitudine*, quae in fide summa est; in theologia vero, quia divinis humana miscentur, multum inferior.

Arctissime cum fide connectitur; nam theologia: a. *fidem supponit eique innititur*. Veritates enim revelatae, de quibus theologia principaliter tractat, et ex quibus omnes suas conclusiones deducit, nisi fide suscipiuntur, omnino non constant. Fide igitur sublata, nulla remanet in materia theologica certa veritatis cognitio, ergo nulla scientia theologica, nulla theologia[2]. Hinc notum illud scholasticorum adagium: „Credo ut intellegam" [3]. b. *Fidei opem multiplicem praestat;* per theologiam

[1] *De Trin.* L. XIV, c. 1, n° 3. — [2] Hinc moderni increduli sibi omnino constant postulando, ut in studiorum Universitatibus facultas theologica, qua talis, aboleatur, materiae vero quae in ea doceri solent, remittantur ad alias facultates, praesertim ad facultatem litterarum atque philosophiae. Sublata fide, non est locus theologiae, sed remanent tantum scientia religionis et historia religionum. — [3] De sensu hujus adagii anselmiani egregie disserit J. B. BECKER in *Philos. Jahrb. d. Görresgesells.*, 1906, p. 115 seq. Non significat, omnem scientiam fide niti, nec cunctas veritates revelatas fide susceptas a nobis positive intellegi atque ex principiis rationis probari posse. Genuinus sensus est: qui pervenire cupit ad

enim, teste s. AUGUSTINO, „fides saluberrima, quae ad veram beatitudinem ducit, gignitur, nutritur, defenditur, roboratur" [1].

II. **Theologiae divisio.** — Theologia, quamvis vere sit scientia una [2], tum ratione materiae, tum ratione methodi varie dividitur.

1°. Ratione *materiae*. Ex supradictis sequitur theologiam fundamentalem cum dogmatica in unum cursum completum theologiae vel in unum eumdemque librum theologicum non ideo conflari, quasi essent duae partes, quae in unum totum *homogeneum* concrescant; sed quia sunt *duae* disciplinae, quarum una ad aliam *essentialiter* est ordinata, sub hac restrictione dici potest, theologiam (sensu lato sumptam) dividi in fundamentalem et dogmaticam.

Theologia fundamentalis agit de fundamentis, quibus universa theologia et ipsa religio innititur, scil. de facto revelationis, de canalibus per quos veritas revelata ad nos deducitur, atque de modo quo a nobis recipitur [3].

---

aliqualem mysteriorum intellegentiam (qua videat, non posse probari ea contradictionem involvere, apte inter se cohaerere, quibusdam rationibus congruentiae suaderi et analogiis naturalibus illustrari), incipere debet ab humili fide, qua iis, prout ab ecclesia praedicantur, mente assentiatur.

[1] L. c. — [2] *S. Th.*, I, 1, 3. — [3] Theologia fundamentalis, quia de quaestionibus generalibus singulas veritates revelatas tangentibus tractat, a multis vocatur *Theologia generalis;* quia est defensio systematica totius religionis revelatae, ab aliis vocatur *Apologetica*. Iterum a nonnullis *Propaedeutica ad Theologiam*, aut *De principiis theologicis* inscribitur. Minus recte autem plures eam nuncupant Theologiam *dogmaticam* generalem aut fundamentalem, nam in ea non dogmaticae tantum, sed universae theologiae fundamenta sternuntur. Cfr. OTTIGER, *Theol. fundament.*, I, p. 12; J. LEBRETON, *Les origines de l'apologétique chrétienne*, in *Rev. prat. d'apol.*, tom. 7, p. 401, 564, 801 ; tom. 8, p. 178, 346.

Theologia dogmatica singulatim agit de veritatibus revelatis et ab ecclesia propositis et explicatis. Nomen habet a *dogmate*, quod vocabulum de se convenit tum decretis practicis tum veritatibus speculativis, ex usu tamen recentiori solis veritatibus speculativis reservatur.

Theologia dogmatica subdividitur in *theoreticam* et *practicam* seu *moralem*. Theologia dogmatica theoretica de iis veritatibus tractat, quae non directe ad mores componendos tendunt, sed magis theoreticae sunt. Theologia (dogmatica) practica seu moralis versatur circa veritates practicas, quae n.p. non solum mente suscipi, sed insuper ad actiones vitae applicari debent [1]. Ad theologiam practicam pertinent *moralis* (proprie dicta), agens imprimis de praeceptis, de licito et illicito; *ascetica*, disserens de consiliis evangelicis, mediisque ordinariis perfectionis christianae; *mystica*, tractans de contemplatione aliisque viis extraordinariis perfectionis [2]; *pastoralis*, curam et regimen animarum spectans; et *jus canonicum*, tradens leges ecclesiasticas.

2⁰. Ratione *methodi*, seu modi, quo res tractantur, theologia distinguitur in positivam et speculativam.

Theologia positiva singulas veritates credendas, collectis et collatis inter se Scripturae eloquiis atque Traditionis documentis, validissime probat. Ostendit igitur *quod* res ita est. Nomen

[1] Theologia practica (moralis) se habet erga theologiam dogmaticam ut pars ad totum. Unde scholastici et ipse D. Thomas omnes veritates revelatas tam speculativas quam practicas eadem Summa Theologica tractabant. Quare si hodie auctores saepe theologiam practicam (moralem) dogmaticae opponunt, hic modus loquendi significare nequit, moralem non esse partem intrinsecam dogmaticae. — Sequitur quoque theologiam practicam ita tractandam esse, ut appareat, quomodo cum cetera dogmatica doctrina conjuncta sit atque haud raro ex ea efflorescat. Cfr. V. LAAK, o. c. p. 21. — [2] Cfr. *Rev. August.* tom. 9 (1906), p. 525: *La définition de la mystique*.

positivae inde videtur repetendum, quod theologia hac methodo tractata vix aliud curat, quam accuratissime ponere seu stabilire veritates revelatas [1]. Theologia positiva, si fere unice ex s. Scriptura argumentatur, *biblica*; si ex ss. Patribus, *patristica*; si ex symbolis aliisque libris ecclesiae authenticis, *symbolica* nuncupatur. Theologiae positivae affinis est *polemica*, cujus munus est singulas veritates revelatas contra acatholicos defendere [2].

Theologia speculativa seu *scholastica* ope philosophiae sacrorum dogmatum sensum profundius atque uberius explicare, ea cum rationis principiis conciliare, analogiis ex rebus naturalibus petitis illustrare, nexum quem inter se et cum veritatibus naturalibus habent patefacere, conclusiones etiam remotiores ex iis educere, universam doctrinam sacram in unum corpus organicum congerere studet; uno verbo, theologia speculativa *aliquam intellegentiam* veritatum revelatarum comparare nititur, investigando, in quantum humanae infirmitati licet, *quomodo* seu *qualis* res sit [3]. — Theologia haec ex

[1] Saec. XVII loco theologiae *positivae* aliquando dicebatur *dogmatica;* hoc sensu v.g. GÉNER opus suum inscripsit: *Theologia dogmatico-scholastica.* — [2] Voces *apologetica* et *polemica*, quamvis etymologice idem significent, ex usu ita adhiberi solent, ut *apologetica* (stricte talis) praecipue agat contra eos, qui divinam originem revelationis christianae non admittunt, *polemica* vero contra haereticos et schismaticos. — [3] S. THOMAS finem utriusque methodi, positivae scil. et scholasticae ita describit: „Disputatio ad duplicem finem potest ordinari. Quaedam enim disputatio ordinatur ad removendam dubitationem *an ita sit*, et in tali disputatione theologica maxime utendum est auctoritatibus, quas recipiunt illi cum quibus disputatur. Quaedam vero disputatio est magistralis in scholis, non ad removendum errorem, sed ad instruendum auditores, ut inducantur ad intellectum veritatis, quam intendit [magister]; et tunc oportet rationibus inniti investigantibus veritatis radicem et facientibus scire, *quomodo sit* verum quod dicitur. Alioquin, si nudis auctoritatibus magister quaestionem

indole sua habet nomen *speculativae*, more enim philosophico circa veritates revelatas speculatur; a „scholasticis" vero seu magistris eruditis medii aevi, qui eam praecipue coluerunt, *scholastica* vocari consuevit [1].

Liquet, theologiam positivam et speculativam non esse duas partes theologiae, sed duos modos tractandi eamdem materiam. Duo illi modi ab invicem omnino sejungi nequeunt; *speculativa* enim positivam supponit eique innititur, inde incipiens ubi haec finem fecit [2]; *positiva* vero, si a speculativa plane separaretur, verae scientiae nomen non mereret. At alterutra methodus dominari potest; et ita medio aevo, quod pacifica catholicae veritatis possessione fruebatur, valde praeponderabat speculativa; quum inde a conc. trident. ipsa necessitas theologos adegerit, ut positivam majori diligentia colerent. Quinimo saec. XVIII et priori saec. XIX dimidio sat multi in scholasticam invexerunt, ac si otiosis curiositatibus et cavillationibus constaret vel etiam rationalismo viam sterneret. Et hi quidem ipsam methodum, usumque sobrium et moderatum ex quorumdam epigonorum excessibus dimetientes, plerumque quod ignorabant blasphemabant. Ecclesia vero scholasticam semper defendit, imo summis laudibus extulit [3]. Moderni auctores eam, quod sane optimum est, cum positiva harmonice consociare satagunt.

---

determinet, certificabitur quidem auditor quod ita sit, sed nihil scientiae vel intellectus acquiret, sed vacuus abscedet" *Quodlib.* IV, q. 9, a. 18.

[1] Cfr. M. GRABMANN, *Geschichte der scholastischen Methode*, 1911. — [2] Secundum illud KLEUTGEN: „Die Scholastik beginnt erst dort, wo die positive Theologie aufhört, indem sie den Inhalt, welchen die positive Theologie aus den Quellen der Theologie ermittelt hat, mit der Speculation bearbeitet, sowohl um weitere Erkenntnisse zu gewinnen als auch um die schon gewonnenen tiefer und vollständiger aufzufassen" (*Theol der Vorzeit*, *t.* ult. no. 12). — [3] Cfr. SIXTUS V, Bulla: *Triumphantis*, 1588; Thes. 4 a Bonnetty subscripta apud DENZINGER-BANNWART.

III. Conspectus historicus theologiae systematicae[1]. — Historia theologiae in tres epochas dividi solet: epocha patrum usque ad s. Anselmum (saec. XI); epocha veterum scholasticorum usque ad conc. trid.; epocha recentioris theologiae inde a conc. trid. Quum tamen ante saec. XI sacra doctrina nondum in unum corpus ordinata atque digesta esset, primam epocham omittimus. Ss. patres aut summam doctrinae christianae absque apparatu scientifico catechumenis exponebant, aut homiliis suis fideles edocebant, aut pro temporum necessitate singula dogmata uberius, imo uberrime pertractabant ac defendebant; et ita theologiam systematicam praepararunt potius quam coluerunt. Primum locum inter eos obtinet s. AUGUSTINUS († 430), qui copiosam prae omnibus doctrinarum segetem theologis dereliquit. Tractationem systematicam jam tentaverat ORIGENES († 254) in opere *Περὶ ἀρχῶν* (*De principiis*, i. e. doctrinis fundamentalibus); postea longe feliciori successu idem fecit s. JOANNES DAMASC. († 754) in: *Accurata expositio fidei orthodoxae*, quam deinceps occidentales in

Enchir. 1652; *Syllab.* prop. 13; LEO XIII Encc. *Aeterni Patris*, 4 Aug. 1879 et *Depuis le jour*, 8 Sept. 1899. Denique ipsum conc. vatic. aliqualem illam „mysteriorum intellegentiam", quam scholastica assequi studet, „fructuosissimam" appellat (Const. *De fid. cath.* cap. 4); cfr. PIUS X, Enc. *Pascendi*, 8 Sept. 1907; Motu Proprio: *Sacrorum Antistitum*, 1 Sept. 1910, et *Praeclara*, de studio doctrinae s. Thomae (*Acta A. S.* 1914, p. 336).

[1] Consuli possunt WERNER, *Gesch. der apol.-polem. Litteratur der Kath. Kirche*, 5 tom. 1861 seq.; *Der h. Thomas v. Aquino*, 3 tom. 1858; *Franz Suarez und die Scholastik der letzten Jahrhunderte*, 2 tom. 1861 seq.; *Die Scholastik d. spätern Mittelalters*, 1881; H. HURTER, *Nomenclator literarius*, 5 tom. ed. 3a. 1913 seq.; H. STRAUBINGER. *Apologetische Streitfragen. Kritische Untersuchungen zu den religionsphilosophischen und apologetischen Bestrebungen der Gegenwart*, 1925. Conspectus historicos exhibent v.g. SCHEEBEN, *Kath. Dogmatik*, I, § 56 seq. et brevius PESCH, *Prael. dogm.* I, no. 32 seq., quos sequimur.

quatuor libros distinxerunt. — A saec. VIII plures eruditi, imprimis monachi, opera ss. patrum colligere, reproducere, in compendia redigere sategerunt. Nonnulli (Alcuinus, Hincmarus, Remigius, Paschasius Radbertus, Lanfrancus, Guitmundus, cet.) particularia doctrinae capita egregie defenderunt ac illustrarunt.

1⁰. *Epocha veterum Scholasticorum.*

a. Saec. XI s. ANSELMUS CANTUAR. († 1109) sub tessera „fides quaerens intellectum" theologiam scholasticam inauguravit. Vestigiis s. Augustini inhaerens praecipuas materias expolivit in operibus: *Monologium; Proslogion* (utrumque de Deo); *De conceptu virginali et originali peccato; Cur Deus homo?* et *De concordia praedestinationis et gratiae cum libero arbitrio.* Succedebant plures, qui effata Patrum colligendo et systematice ordinando *Summas sententiarum* in usum scholarum componerent: HUGO A s. VICTORE † 1141 (probabilius alius auctor), ROBERTUS PULLUS (Pulleyn) † 1153, ROLANDUS (Alexander pp. III) † 1181, PETRUS PICTAVIENSIS † 1205, GULIELMUS ANTISSIODORENSIS, † c. 1230. Hos autem omnes longe superabat PETRUS LOMBARDUS (magister sententiarum, † 1164): *Libri IV Sententiarum;* qui effatis Patrum [1] speculativam explicationem adjungebat, et cujus opus (etsi nec ordine nec forma didactica eminet) maxima quique hujus epochae doctores ut fundamentum suarum praelectionum et commentariorum assumpserunt [2].

b. Saec. XIII, vere aureo, *veterem scholam franciscanam* fundarunt ALEXANDER HALENSIS (doctor irrefragabilis, † 1245), qui primus commentando Lombardum *Summam theologicam* composuit, et imprimis ejus discipulus s. BONAVENTURA

[1] Lombardum saepe ex fontibus secundariis (Gratiano et Ivone carnutensi) hausisse, nuper ostendit ANNAT in *Bull. de Litt. ecclés.* (Toulouse) 1906, p. 86 seq. — [2] J. DE GHELLINCK, *Le mouvement théologique du 12ième siècle*, 1918.

(doctor seraphicus, † 1274), qui, praeter *Commentarios* in Lombardum, *Breviloquium theologicae veritatis* conscripsit et theologiam mysticam feliciter excoluit.

Eodem saeculo *scholam dominicanam* fundaverunt b. ALBERTUS MAGNUS (doctor universalis, † 1280), qui philosophiam aristotelicam ab arabum corruptione vindicavit atque in ancillam revelationis christianae conduxit, et s. THOMAS AQUINAS (doctor angelicus, † 1274), qui teste Joanne pp. XXII „plus illuminavit ecclesiam quam omnes alii doctores". — Praecipua b. Thomae opera theologica sunt [1]: **a.** *Commentarius in IV libros Sententiarum* (cujuslibet distinctionis commentarius dividitur in quaestiones, quaestiones in articulos). **b.** *Summa Theologica*, maturiori aetate conscripta et in tres partes divisa, quarum *prima* agit „de Deo" et de processione creaturarum ex Deo; *secunda* „de motu rationalis creaturae in Deum", i. e. de fine hominis et mediis ad hunc finem, primo in universali (1^a 2^{ae}), deinde in particulari (2^a 2^{ae}); *tertia* „de Christo, qui secundum quod homo via est nobis tendendi in Deum" [2]. *Supplementum* tertiae partis, quam s. doctor imperfectam reliquit, ex commentario in libros Sententiarum adjecit Reginaldus Privernensis [3]. **c.** *Summa contra Gentiles*, proprie: *De veritate catholicae fidei contra Gentiles* (arabes aristotelicos, eruditos mahumetanos, judaeos talmudistas), divisa in IV libros et libri in capita. Argumentum: in tribus prioribus libris veritates religiosae, quae rationem non superant, argumentis philosophicis probantur, in quarto libro ostenditur mysteria revelata non esse contra rationem [4]. **d.** *Quaestiones disputatae*,

---

[1] Cfr. C. SUERMONDT, *Conspectus operum S. Thomae* in *Eph. Theol. Lovan.*, 1925, p. 236. — [2] Cfr. *S. Th.* I, 2, prooem.; plura invenies apud cl. DE GROOT, *De h. Thomas v. Aquino;* cfr. M. GRABMANN, *Einführung in die Summa Theologiae des hl. Thomas von Aquin*, ed. 2a, 1928. — [3] Cfr. P. MANDONNET, *Des écrits authentiques de St. Thomas d'Aquin*, 1910, p. 155. — [4] Cfr. *S. c. G.* I, 9 et IV, 1.

collectio plurium operum, quorum praecipua sunt : *De potentia*, *De malo* et imprimis *De veritate*. Denique e. ex opusculis: *Compendium Theologiae* (incompletum); *Expos. in Boetium de ss. Trinitate; De artic. fidei et ecclesiae sacramentis*, cujus alteram partem fere exscribit Eugenius IV in *Decreto pro Armenis*.

Denique eodem saec. XIII *novam scholam franciscanam* inchoavit JOANNES DUNS SCOTUS (doctor subtilis, † 1308), qui acutissimo ingenio doctrinam majorum imprimis s. Thomae in crisim vocabat, et in multis ab eo atque a b. Bonaventura discedebat [1]. Scripsit duos commentarios in Lombardum, alterum valde prolixum : *Opus oxoniense*, alterum breviorem : *Reportata parisiensia*. — Paulo post GULIELMUS OCCAM † 1349, Thomam simul et Scotum impugnans, *scholam nominalium* inchoavit.

c. A saec. XIV usque ad conc. trid. theologia non ita ingentes profectus fecit; floruerunt tamen plures doctores insignes, e. g. AEGIDIUS ROMANUS † 1316 (minister generalis et praecipuus doctor Augustiniensium); JOANNES CAPREOLUS, princeps thomistarum, † 1414; FRANCISCUS DE SYLVESTRIS, ferrariensis, † 1528, commentator Summae c. gentiles; card. CAJETANUS (Thomas de Vio) † 1534, praecipuus commentator Summae Theologicae; JOANNES GERSON † 1419; GABRIEL BIEL † 1495; s. ANTONINUS † 1447; DIONYSIUS CARTHUSIANUS [2] † 1471; NICOLAUS CUSANUS † 1464.

Porro per totam hanc epocham theologi in suis tractatibus systematicis solam fere speculativam colebant; nihilominus theologia positiva non omnino negligebatur, siquidem doctores, saltem praecipui, interpretationi s. Scripturae plurimam operam dederunt. Patristicam quod attinet, plerumque contenti erant

[1] Cfr. *De Kath.*, 1921, tom. 149, p. 273 et tom. 150, p. 1. — [2] Proprie Dionysius van Leeuwen, natus in Ryckel prope Trudonopolim, vixit Ruremundae.

catenis et summis sententiarum: quod tum ex difficultate sibi comparandi opera s. patrum, tum ex minori necessitate defensionis polemicae satis explicatur.

2⁰. *Epocha recentioris theologiae.*

a. Saec. XVI primo loco memorandi sunt celebres quidam *controversistae*, e. g. JOANNES ECKIUS † 1543; ALBERTUS PIGHIUS ex Campia † 1542: *Hierarchiae ecclesiasticae assertio;* RUARDUS TAPPER enchusanus † 1559: *Explicationes circa dogmata hoc saeculo controversa*; s. PETRUS CANISIUS † 1597; THOMAS STAPLETON † 1598; card. BELLARMINUS † 1621; card. DUPERRON † 1618; JACOBUS GRETSER † 1625; fratres VAN WALENBURG, origine rotterodamenses: *Tractatus generales de controversiis fidei,* maxima parte exarati a Petro † 1675, in lucem editi cura Adriani † 1669.

Theologia systematica, qualis post conc. trid. (1545—1563) colebatur, a vetustiori differt in tribus: **a.** cogentibus haereticis theologia positiva majori cura tractabatur et speculationibus scholasticis harmonice conjungebatur. **b.** Impellente imprimis Gul. Estio loco Sententiarum Lombardi *Summa Theologica* d. Thomae haberi coepit fundamentum praelectionum; hinc doctrina purior atque profundior, ordo concinnior. **c.** Conclusiones et applicationes practicae, quae hucusque cum inquisitionibus theoreticis iisdem tractatibus proponebantur, separatim excoli coeperunt, et ita orta est divisio theologiae in dogmaticam et moralem. — Doctores, qui unice aut fere unice theologiam moralem coluerunt, infra omittimus.

b. Primum saeculum post conc. trid. (1550—1660) fuit *aetas aurea* recentioris scholasticae.

Ex *schola dominicana* floruerunt FRANC. DE VICTORIA † 1546; DOM. SOTO † 1560; MELCHIOR CANO † 1560; DOM. BANNEZ † 1604, qui auctor „thomismi" et praemotionis physicae inventor a molinistis vocatur; PETRUS DE LEDESMA † 1616;

DIDACUS ALVAREZ † 1635; JOANNES A. s. THOMA † 1644; VINC. CONTENSON † 1674, cujus *Theologia mentis et cordis* asceticam speculativae miscuit; JOANNES GONET † 1681. Ad. scholam thomisticam praeterea pertinent GUL. ESTIUS † 1613; FRANC. SILVIUS † 1649, cujus commentarius in Summam b. Thomae etiam hodie merito consulitur, et SALMANTICENSES, ord. Carm. quorum *Cursus in Summam Theologiam* amplissimum et absolutissimum thomistarum opus vocatur (1679).

Ex *Societate Jesu* eminuerunt card. FRANC. TOLETUS † 1596; LUDOV. MOLINA † 1600; scientiae mediae praecipuus excultor et propagator; GREG. DE VALENTIA † 1603; GABRIEL VASQUEZ † 1604; FRANC. SUAREZ † 1617, prae cunctis aliis „doctor eximius"; LEON. LESSIUS † 1623; MART. BECANUS † 1624; JOAN. MARTINEZ DE RIPALDA † 1648; card. JOAN. DE LUGO † 1660, qui tamen imprimis theologiam moralem coluit.

Ex *schola scotistica* memorandi sunt THEODORUS SMISING † 1626; JOAN. BOSCO † 1684.

Eodem ferme tempore de theologia positiva optime meruerunt DION. PETAVIUS, S. J. † 1652; JOAN. MORINUS † 1659 et LUD. THOMASSINUS † 1695, oratoriani.

c. Saeculum subsequens (1660—1760) *aetas epigonorum* vocatur. Magnis quidem ingeniis caruit sed plures protulit, quorum opera soliditate et perspicuitate doctrinae necnon relativa brevitate commendantur. Recenseri merentur:

Ex *schola dominicana*: card. VINC. GOTTI † 1742; RENATUS BILLUART † 1757; BERN. MARIA DE RUBEIS † 1775.

Ex *Societate Jesu*: JACOBUS PLATEL † 1681; PAULUS ANTOINE † 1743; JOAN. BAPT. GÉNER † 1781; *Theologia Wirceburgensis* (HOLTZCLAU † 1783, KILBER † 1782, NEUBAUER † 1795).

Ex *schola franciscana*: CLAUDIUS FRASSEN † 1711, cujus *Scotus academicus* habetur optimum et lucidissimum scotistarum opus; THOMAS EX CHARMES (Ord. capuc. † 1765.

Ex *Augustinensibus:* LAUR. BERTI 1766.
Ex *Oratoriānis:* CASP. JUÉNIN † 1713 (Jansenismo infectus).
Ex *Sorbonicis:* CAR. WITASSE † 1716 (Jansenismo infectus) et HONOR. TOURNELY † 1729.

d. Sequitur *tempus decadentiae* (1760—1840), quo philosophia ac theologia scholastica a plerisque contemnebatur, theologia positiva vix ullum fructum maturavit, ipse sensus catholicus misere infirmabatur. Nonnulli, qui antiquam Scholae doctrinam ignorantes et falsa philosophia imbuti, profundiorem theologiae tractationem aspirabant (Baader, Hermes, Günther), magistri exstiterunt erroris, quia non fuerunt discipuli veritatis.

Tempora meliora praeparabant BRUNO LIEBERMANN † 1844, HENRICUS KLEE † 1840, FRANC. STAUDENMAIER † 1856, HENR. DENZINGER † 1883, et imprimis JOAN. PERRONE † 1886 atque JOS. KLEUTGEN † 1883 uterque e Societate Jesu.

Inde a conc. vatic. laeta reflorescit theologia scholastica, quam alacriora et penitiora in dies s. Scripturae ac ss. Patrum studia continuo alant, expurgent, perficiant!

IV. **Auctores moderni.** — Subjicere placet seriem quandam, utique valde incompletam, auctorum qui nostris diebus, i.e. fere a conc. vatic. theologiam systematicam coluerunt. Qui speciales tantum quaestiones aut non nisi unum alterumve tractatum exararunt non hic, sed per decursum tractatum suis locis memorantur.

a. De *theologia fundamentali et dogmatica* simul scripserunt v. g.:

L. BILLOT, S. J.: *De Ecclesia Christi:* tom. I, *De credibilitate Ecclesiae et intima ejus constitutione*, Ed. 5a, 1927; tom. II, *De habitudine Ecclesiae ad civilem societatem*, Ed. 2a, 1922; *De Inspiratione s. Scripturae*, Ed. 4a, 1928; *De*

immutabilitate Traditionis, Ed. 3a, 1922; *De Deo Uno et Trino*, Ed. 7a. 1926; *De Verbo incarnato*, Ed. 7a, 1927; *De Ecclesiae sacramentis*, 2 tom., Ed. 6a, 1922—'24; *De personali et originali peccato*, Ed. 5a, 1924; *De virtutibus infusis*, Ed. 4a, 1928; *De gratia Christi*, Ed. 4a, 1928; *Quaestiones de novissimis*, Ed. 6a, 1924.

F. EGGER: *Enchiridion Theologiae dogmaticae generalis*, Ed. 5a, 1913; *Enchiridion Theologiae dogmaticae specialis*, Ed. 9a (curavit A. Mayer), 1928.

J. B. HEINRICH: *Dogmatica Theologia*, 10 tom., 1881—1904 (inde a medio tom. VII opus perfecit C. Gutberlet).

H. HURTER, S. J.: *Theologiae dogmaticae compendium*, 3 tom., Ed. 11a, 1903.

L. LERCHER, S. J.: *Institutiones Theologiae dogmaticae*, 4 tom., 1925—'27.

J. LOTTINI, O. P.: *Introductio ad s. Theologiam*, 1 tom.; *Institutiones Theologiae dogmaticae specialis*, 3 tom., Ed. 2a, 1911 seq.

P. MANNENS: *Theologiae dogmaticae institutiones*, 3 tom., Ed. 2a, 1910—'15.

C. MANZONI: *Compendium Theologiae dogmaticae*, Ed. 3a, 1920—'22.

H. MAZELLA: *Praelectiones scholastico-dogmaticae breviori cursui accomodatae*, 4 tom., Ed. 5a, 1919.

P. MINGES, O. F. M.: *Compendium Theologiae dogmaticae generalis*, Ed. 2a, 1923; *Compendium Theologiae dogmaticae specialis*, Ed. 2a, 1922.

D. PALMIERI, S. J.: *De Romano Pontifice cum praeleg. de Ecclesia; De Deo creante et elevante; De peccato originali et immaculata conceptione; De gratia actuali; De poenitentia; De matrimonio.*

CHR. PESCH, S. J.: *Praelectiones dogmaticae*, 9 tom., Ed. 5—6a, 1925 seq.; *Compendium Theologiae dogmaticae*, 4 tom., Ed. 2a, 1920—'22.

M. J. SCHEEBEN: *Handbuch der katholischen Dogmatik*, 4 tom., Neudruck 1925 (tom. IV exaravit L. Atzberger).

TH. SPECHT: *Lehrbuch der Apologetik oder Fundamentaltheologie*, Ed. 2a (curavit G. Bauer), 1924; *Lehrbuch der Dogmatik* (curavit G. Bauer), 2 tom., Ed. 3a, 1925.

A. TANQUEREY: *Synopsis theologiae dogmaticae*, 3 tom., Ed. 20a, 1926.

G. B. TEPE, S. J.: *Institutiones theologicae*, 4 tom., 1894.

G. ZACCHERINI: *Theologiae dogmaticae speculativae cursus*, 1919.

b. De sola *theologia fundamentali* libros ediderunt i. a.:

A. D'ALÈS, etc.: *Dictionnaire Apologétique de la Foi Catholique*, 4 tom., Ed. 4a, 1913-'28.

A. BOUGAUD: *Le Christianisme et les temps présents* [1], 5 tom., Ed. 7a, 1901.

J. BRUNSMANN, S.V.D.: *Lehrbuch der Apologetik*, tom. I, 1924.

G. CASANOVA, O. F. M.: *Theologia fundamentalis*, 1899.

CARD. DECHAMPS: *Entretiens sur la démonstration catholique*, 1856.

A. DORSCH: *Institutiones theologiae fundamentalis*, 2 tom., Ed. 2a, 1928.

DUILHÉ DE SAINT-PROJET: *Apologie scientifique de la Foi chrétienne*, Edition refondue (par Senderens), 1921.

H. FELDER: *Apologetica sive Theologia fundamentalis*, 2 tom., 1920.

J. V. DE GROOT, O. P.: *Summa apologetica de Ecclesia*, Ed. 3a, 1906.

C. GUTBERLET: *Lehrbuch der Apologetik*, 3 tom., Ed. 4a, 1922.

[1] Hujus operis pars tertia „*Les dogmes du Credo*" continet aliquas opiniones, v. g. quoad scientiam Christi-hominis, non probandas; cfr. *Etudes*, 1878, p. 205 seq.

F. HETTINGER: *Lehrbuch der Fundamental-Theologie*, Ed. 3a, (curavit S. Weber), 1913; *Apologie des Christentums*, 5 tom., Ed. 10a (curavit Müller), 1915.

PH. KNEIB: *Handbuch der Apologetik*, 1912.

A. MICHELITSCH: *Elementa Apologeticae sive Theologiae fundamentalis*, 1925.

N. M. NEGUERUELA: *Lecciones de Apologetica*, 2 tom., Ed. 2a, 1927.

NORBERTUS A TUX, O. CAP.: *Compendium Theologiae fundamentalis ope scriptorum p. Alberti a Bulsano*, 2 tom., 1890.

J. OTTIGER, S. J.: *Theologia fundamentalis*, 2 tom., 1897—1911.

G. REINHOLD: *Praelectiones de Theologia fundamentali*, 2 tom., Ed. 2a, 1915.

P. SCHANZ: *Apologie des Christentums*, 3 tom., Ed. 4a, (curavit W. Koch), 1910.

A. SCHILL: *Theologische Principienlehre*, Ed. 4a (curavit H. Straubinger), 1914.

A. STOECKL: *Lehrbuch der Apologetik*, 2 tom., 1895.

A. STUMMER: O. CAP.: *Manuale Theologiae fundamentalis*, 1907.

S. SZYDELSKI: *Prolegomena in Theologiam sacram*, 2 tom., 1920—'21.

C. VOSEN: *Das Christentum und die Einsprüche seiner Gegner*, Ed. 5a (curavit Weber), 1905; *Der Katholizismus und die Einsprüge seiner Gegner*, Ed. 3a, (curavit Brüll), 1885.

S. WEBER: *Der alte und neue Glaube*, Ed. 3a, 1911. *Christliche Apologetik in Grundzügen für Studierende*, 1907.

A. WEISZ, O. P.: *Apologie des Christentums vom Standpunkte der Sitte und Kultur*, 5 tom., Ed. 4a, 1905.

W. WILMERS, S. J.: *De religione revelata: De Ecclesia: De Fide*: 1897—1902.

TH. ZIGLIARI, O. P.: *Propaedeutica ad s. Theologiam*, Ed. 4a, 1906 [1].

Usui magis populari inserviunt v. g.:

J. ARTS, O. P.: *Bijdragen tot wetenswaardige godsdienstvragen*, 3 tom., 1920—'21.

TH. BENSDORP, C. S. S. R. *Apologetica*, 3 tom., (curavit M. Stoks), 1918—'22.

A. BOULENGER: *Manuel d'Apologétique*, 1920.

G. ESSER et J. MAUSBACH: *Religion, Christentum und Kirche*, 3 tom., Ed. 5a, 1923.

L. v. HAMMERSTEIN, S. J.: *Gottesbeweise; Das Christentum; Katholicismus und Protestantismus;* 1891—94.

E. HUGUNEY, O. P.: *Critique et Catholique*, tom. II. *L'apologie des dogmes catholiques*, 1910.

J. KLUG: *Der katholische Glaubensinhalt*, Ed. 4a, 1920; *Lebensfragen*, 1913.

M. MORAWSKI, S. J.: *Abende am Genfer See. Grundzüge einer einheitlichen Weltanschauung*, 1926.

R. v. OPPENRAAY, S. J.: *Apologie van het Christendom*, 1922.

F. SAWICKI: *Die Wahrheit des Christentums*, 1918.

D. SLOET: *God, Christendom en Kerk*, 2 tom., 1890.

W. WILMERS, S. J.: *Lehrbuch der Religion*, 4 tom., Ed. 8a (curavit J. Hontheim), 1928.

Varia opera apologetica edidit: *Apologetische Vereeniging Petrus Canisius*.

c. De sola *theologia dogmatica* libros exararunt v. g.:

B. BARTMANN: *Lehrbuch der Dogmatik*, 2 tom., Ed. 7a, 1928.

F. DIEKAMP: *Katholische Dogmatik*, 2 tom., Ed. 3a-5a, 1921.

[1] De ceteris cfr. conspectus quem exhibet BAINVEL, o. c., p. 5; *Dict. Apol.* I, p. 215—250; *Dict. de Théol. Cath.* I, p. 1511 seq.; BUCHBERGER, *Kirchliches Handlexikon*, I, p. 280.

L. DÖRY: *Compendium Theologiae dogmaticae specialis*, 1926.

P. EINIG: *Institutiones Theologiae dogmaticae*, 6 fasc., 1896.

J. HERRMANN C. S. S. R. *Institutiones Theologiae dogmaticae*, 2 tom., Ed. 6a, 1926.

J. HERVÉ: *Manuale Theologiae dogmaticae*, 4 tom., 1925—'26.

E. HUGON: *Tractatus dogmatici ad modum commentarii in praecipuas quaestiones dogmaticas divi Thomae Aquinatis*, 3 tom., 1927.

L. JANSSENS, O.S.B.: *Summa theologica ad modum commentarii in Aquinatis Summam, praesentis aevi studiis aptatam*, 9 tom., 1899—1921.

J. KATSCHTHALER: *Theologia dogmatica catholica specialis*, 5 tom., 1877 etc.

G. NOGGLER (p. Gottfried a Graun), O. CAP.: *Institutiones Theologiae dogmaticae specialis p. Alberti a Bulsano recognitae*, 3 tom., 1893 etc.

B. OTTEN: *Institutiones dogmaticae in usum scholarum*, 6 tom., 1922—'25.

A. PAQUET: *Disputationes theologicae seu Commentarium in Summam Theologicam*, 6 tom., 1893 etc.

J. POHLE: *Lehrbuch der Dogmatik*, 3 tom., Ed. 7a, 1920-'21.

E. ROLFES: *Die Wahrheit des Glaubens*, 3 tom., 1910.

A. SANDA: *Synopsis Theologiae dogmaticae specialis*, 2 tom., 1916 et 1922.

M. SCHEEBEN: *Die Mysterien des Christentums*, Ed. 3a (curavit A. Rademacher), 1912.

VACANT-MANGENOT: *Dictionnaire de Théologie Catholique*, 1903 etc.

PRAELEGOMENA
IN
THEOLOGIAM FUNDAMENTALEM.

Theologiae fundamentalis tractationem aggressuri, pauca de ejus objecto, methodo, suppositionibus praenotare debemus.

Objectum. Theologia fundamentalis, uti jam diximus, versatur circa illas veritates, quibus universa sacra doctrina innititur, quas proinde omnes reliquae tractationes theologicae ut notas et admissas supponunt, scil. factum revelationis, ejusque ab ecclesia infallibilem conservationem. Est igitur *institutio eorum, quae scitu necessaria sunt ad theologiam specialem tractandam.* Comprehendit autem quatuor tractatus.

PRIMUS est *de vera Religione*, in quo ostenditur, dari in terris unam religionem divinitus revelatam atque omnibus praescriptam, eam scil. quam Jesus Christus, verus Dei legatus, nobis attulit et quae in concreto non alia est, quam religio catholica.

SECUNDUS est *de Ecclesia Christi*, in quo demonstratur. Christum instituisse veri nominis ecclesiam, societatem scil. visibilem, cui doctrinam suam credidit et in quam divinam suam ad salvandos homines missionem refudit. Investigatis hujus ecclesiae constitutione et proprietatibus, ostenditur eam identificari cum ecclesia romano-catholica; cujus deinde ordines hierarchici singulatim considerantur.

TERTIUS inscribitur *de Fontibus Revelationis* et agit de promptuariis, ex quibus ecclesia doctrinam, theologi argu-

menta sua haurire debent, scil. de Scriptura inspirata et de s. Traditione.

QUARTUS denique disserit *de Fide*, qua creditur, sive de assensu, quo homines veritates revelatas amplecti debent.

Ceterum theologia fundamentalis, quae, qua disciplina peculiaris, non nisi duobus ultimis saeculis colitur [1], fines undequaque ratos et fixos nondum habet. Magnam partem tractatus *de Ecclesia* aliqui, universum tractatum *de Fide* multi ad theologiam dogmaticam referunt.

Methodus ex fine intento determinanda est. Finis autem noster in hac fundamentalis theologiae tractatione duplex est: *primo* et principaliter quidem, ut motiva certitudinis nostrae in materia religionis, ipsamque rationem fidei nostrae distinctius et uberius cognoscamus; *deinde* vero ut viam discamus, qua incredulis veritatem fidei catholicae monstrare, eorumque difficultates solvere possimus [2]. Atqui ad utrumque hunc finem necessarium est, ut non statim ab initio argumentis theologicis (ex revelatione petitis) utamur, sed tamdiu per argumenta ordinis naturalis, sive philosophica sive historica, procedamus, donec veritas et infallibilitas ecclesiae catholicae probatae sint. Et ita tractatio nostra, saltem pro priori sua parte, non erit quidem stricte theologica, sed, uti speramus, majoris utilitatis. Haud obliviscimur tamen, nos etiam in hoc scientifico fundamentorum fidei examine catholicos esse, quibus minime opus est adhuc inquirere veritatem, sed solum intellegentiam

---

[1] Pro historia theologiae fundamentalis et apologeticae consuli possunt v. g. WERNER (supra laudatus); LANGHORST, in *Stimmen* tom. 18—20; SCHANZ, *Apologie*, I[3], p. 22 seq.; *Dict. Apologétique*, fasc. 1, col. 190 ss.; A. DE POULPIQUET, *Apologétique et Théologie*, in *Rev. des Sciences phil. et théol.*, 1912, p. 708. — [2] Cfr. J. STEFFES, *Wie kann man den Wahrheitscharakter der Religion erweisen?* in *Münst. Pastoralbl.*, 1923, p. 117.

tum intensive, tum extensive perfectiorem motivorum, quibus nititur [1]. Hinc jam ab initio tractationis propositionibus nostris adjiciemus qualificationes theologicas iis convenientes, — veritates enim, quas argumentis naturalibus stabiliendas aggredimur: divina origo doctrinae catholicae, veritas ecclesiae, cet., simul sunt dogmata fidei; — et quoties opportunum fuerit, definitiones magisterii ecclesiastici allegabimus, non quidem ad probationem thesium, sed tum ut ipsi sciamus, quid nobis catholicis circa subjectam materiam theologice tenendum sit, tum quia in qualibet disciplina aequum est illos audire, qui ejus peritiam profitentur [2].

Suppositiones. Qui ad theologiae fundamentalis studium in seminariis ecclesiasticis accedunt, cursum philosophicum consummarunt; hinc rectus ordo postulat, ut ea de quibus in praelectionibus philosophicis actum est, hic non repetantur sed supponantur.

Supponimus igitur generatim omnes sanae philosophiae, theoreticae saltem, doctrinas, in specie vero: a. valorem seu vim rationis ad cognoscendum verum, in ordine etiam metaphysico, morali, historico, quod tenendum est praecipue contra modernistas, qui agnosticismo adhaerent, i. e. systemati quod asserit objectum nostrae cognitionis intellectualis esse tantum *phaenomena*, np. sensibiliter apparentia, et consequenter nullum ens suprasensibile v. g. Deum, animam, a nobis posse co-

[1] Igitur fundamenta religionis nostrae subjicimus examini *non dubitativo* (quod irrationabiliter simul et impie s. theologiae candidatis commendabat Georgius Hermes † 1831; cfr. *Conc. Vatic.*, const. *De fid. cath.* cap. 3. DENZ. 1794, 1815), sed *confirmativo*, cujus finis est a certitudine vulgari progredi ad certitudinem philosophicam. Utraque vera certitudo est, firmam habens mentis adhaesionem, utraque motivis sufficientibus nititur, sed in certitudine philosophica motiva uberius, distinctius et praecipue magis reflexe percipiuntur. — [2] Cfr. B. DURST, *Zur theologischen Methode*, in *Theol. Revue*, 1927, p. 293 et 361.

gnosci aut ejus exsistentiam posse demonstrari ratiocinio intellectus nostri [1]; **b.** *exsistentiam unius summi Numinis* a mundo distincti, a quo universa procedunt, in quem omnia tendunt, cujus ineffabili *providentia* cuncta conservantur et diriguntur [2]; **c.** *veram hominis libertatem* [3]. Sane haec tria non fidei tantum, sed omnis religionis, etiam naturalis, *praeambula* sunt, de quibus nisi prius constiterit, vana atque inutilis erit quaelibet de religione sive naturali, sive supernaturali, disputatio.

Supponimus deinde *auctoritatem historicam* sive humanam (genuinitatem, veracitatem, substantialem integritatem) *Librorum Novi Testamenti, imprimis Evangeliorum.* Verum est, demonstrationem pro divinitate revelationis christianae atque pro veritate ecclesiae maxima parte his libris niti. Ast universaliter obtinuit usus, ut de auctoritate historica ss. Librorum agatur in disciplina speciali, n.p. in Isagoge biblica. Quare igitur nos in praelectionibus nostris, quibus ceteroquin temporis copia sat modica praesto est, ea repeteremus, quae alibi ex professo tractantur? Accedit quod, si nihilominus hanc materiam tangere vellemus, id maxima tantum brevitate et nonnisi per summa quaedam lineamenta facere possemus. Atqui harum rerum pertractatio nimis contracta et incompleta, nostro quidem judicio, obesse magis quam prodesse nata est [4].

De relatione inter Philosophiam et Theologiam. Quum

---

[1] Cfr. BEIJSENS, *Dynam.* p. 89 seq., *Algem. Zielk.* II, p. 46 seq. — [2] Modernistae dicunt indigentiam *divini* et non Dei, quia nolunt agnoscere Deum personalem. Cfr. BEIJSENS, *Theol. Nat.* p. 3 ss. et p. 82 ss.; *Theodicee* I, p. 7 et 323; G. MICHELET, *Dieu et l'agnosticisme contemporain*, Ed. 4a, 1920; R. GARRIGOU-LAGRANGE, *Dieu*, Ed. 3a, 1920; I. J. M. VAN DEN BERG, *Introductio in theologiam naturalem*, 1927. — [3] Cfr. BEIJSENS, *Dynam.* p. 140, *Alg. Zielk.* II, p. 241. — [4] Praeter auctores biblicos consuli possunt v. g. H. BOESE, *Die Glaubwürdigkeit unserer Evangelien*, 1895; J. L. GONDAL, *La provenance des Évangiles*, 1898; TH. BENSDORP, *Legende of Historie*,

in tractatu *de Fide* [1] ex professo agatur de habitudine fidei et rationis, hic paucis tantum indicatur verbis nexus inter Philosophiam et Theologiam. „*Philosophiae* munus est praecipuum, in perspicuo ponere fidei nostrae rationabile obsequium, et, quod inde consequitur, officium adjungendae fidei auctoritati divinae altissima mysteria proponenti, quae plurimis testata veritatis indiciis, *credibilia facta sunt nimis* [2]. Longe aliud ab hoc *Theologiae* munus est, quae divina revelatione nititur et in fide solidiores efficit eos, qui christiani nominis honore se gaudere fatentur; nullus quippe christianus debet disputare quomodo, quod catholica ecclesiae corde credit et ore confitetur, non sit; sed semper eandem, fidem indubitanter tenendo, amando et secundum illam vivendo, humiliter quantum potest, quaerere rationem quomodo sit. Si potest intellegere, Deo gratias agat; si non potest, non immittat cornua ad ventilandum, sed submittat caput ad venerandum" [3]

1904; E. JACQUIER. *La crédibilité des Évangiles*, 1913; DR B. HEIGL, *Die vier Evangelien*, 1916. Cfr. P. G. GROENEN *Algemeene inleiding tot de H. Schrift*, 1917.

[1] No. 331 seq. — [2] Ps. 92, 5. — [3] Ex *Encycl.* „Communium rerum", 21 Aprilis 1909; DENZ. 2120.

MONITUM.

Quum Lectores subsequentium tractatuum saepe ad *numeros marginales* hujus tractatus remittantur, hos numeros ex prima editione immutatos recipere debui. Ubi igitur aliquid addendum videbatur, numeri appositis parvis literis repetuntur.

TRACTATUS
DE VERA RELIGIONE[1].

Religio, quam vocem multi post Ciceronem a *relegere* 1
(frequenter legere, studiose meditari, ea scil. quae ad cultum Dei pertinent), alii cum Lactantio a *religare* (Deo ligare et obstringere), quidam cum s. Augustino minus probabiliter a *re-eligere* (Deum scil., quem per peccatum amiseramus) derivatam esse putant, relationem hominis ad Deum significat[2]. Relationem dico, non ontologicam qua omnis creatura secundum totum suum esse a Deo pendet, sed moralem qua creatura rationalis, hanc dependentiam et officia inde profluentia agnoscens, Deum theoretice et practice honorat. Quum autem honor cum submissione cultus nomen acceperit, religio definiri

[1] Praeter auctores universam theologiam fundamentalem pertractantes, speciales de hac materia libros ediderunt i. a. J. OTTIGER, *De Revel. supernaturali*, 1897; J. HERRMANN, *Tract. de vera Religione*, Ed. 3a, 1903; J. L. GONDAL, *La Religion*, 1893; *Le Surnaturel*, 1894; G. ZACCHERINI, *De vera Religione*, 1905; A. DE BROGLIE, *Problèmes et conclusions de l'histoire des religions*, Ed. 4a; *Religion et Critique* (ed. Piat) 1896; S. SCHIFFINI, *De vera religione*, 1908; J. V. BAINVEL, *De Vera Religione et Apologetica*, 1914; H. v. LAAK, *Inst. theol. fund.* tract. II. *De religionis revelatione in abstracto considerata*, 1908; E. DORSCH, *De religione revelata*, 1916; R. GARRIGOU-LAGRANGE, *De Revelatione per Ecclesiam Catholicam proposita*, Ed. 3a, 1925; W. POHL, *De vera religione. Quaestiones selectae*, 1928. — [2] *S. Th.*, II, II, 81, 1. c.; SCHANZ, *Apol. des Christentums*, I[4], § 4, 2.

potest: *Virtus, qua Deo cultum debitum praestamus propter summam ejus excellentiam* [1].

Virtus religionis nec solis actibus cognoscitivis, nec solis operationibus a voluntate imperatis, nec solis affectibus rationalibus et sensitivis exercetur, sed his omnibus simul; ita tamen ut actus intellectus et voluntatis praecipui sint, affectus vero sensitivi aliquid omnino accessorium. Falluntur igitur qui docent, religionem essentialiter consistere in solo actu intellectus (Hegel, Spencer, E. v. Hartmann, O. Pfleiderer) aut in solo actu voluntatis (Kant, Fichte, Ritschl, Herrmann, Schopenhauer, Achelis, Caird, Paulsen, Wundt, Tolstoi) aut in affectibus, sentimento, (Schleiermacher, Jacobi, James, Modernistae) [2]. Affectus magna parte pendent a dispositione corporali, et nisi ratione regulantur, religionem vitiare possunt.

Ceterum actus religionis alii sunt proprii seu eliciti, alii imperati. Actus religionis proprii sunt, qui immediate et per se Deum honorant, ut adoratio, gratiarum actio, petitio, cet.; actus vero imperati sunt actus aliarum virtutum, v. g. temperantiae, quatenus in gloriam Dei ordinantur, a religione imperantur, ideoque indirecte ad eam pertinent [3].

[1] Non immoramur in recensendis et refellendis falsis religionis notionibus; ut sciatur quousque verborum abusus et notionum confusio pervenerit, legatur V. CATHREIN, *Moderne Religion*, in *Stimmen*, 1905, tom. 68, p. 53. Multi sensum dependentiae erga *quodlibet* ens religionem vocant. D. F. STRAUS: „Grundbestandteil aller Religion ist das Gefühl der unbedingten Abhängigkeit. Ob wir Gott oder Universum sagen, slechthin abhängig fühlen wir uns von dem einen wie von dem anderen" *(Alter und neuer Glaube*, p. 142). Hinc intelleguntur v. g. effata L. RAUWENHOFF: „Godsdienst kan bestaan onafhankelijk van het geloof aan een persoonlijken God", et S. HOEKSTRA: „Het geval is niet ondenkbaar, dat iemand zeer religieus is, zonder aan een God te gelooven". Cfr. *Theolog. Tijdschrift*, 1875, p. 242. — [2] Cfr. BEYSENS, *Criteriologie*[2], p. 238, seq. — [3] *S. Th.* 81, 1. ad 1; 4 ad 2; cfr. *Coll. Brugens.*, 1924, p. 406. — Hinc vides, quo sensu *moralitas* a religione distinguatur, quo sensu sub illa comprehendatur.

Haec de religione *subjective* spectata, quatenus scil. est virtus specialis inclinans ad debitum cultum Deo praestandum; nam religio *objective* sumpta est summa officiorum, quibus Deum colere debemus aut, quod in idem fere recidit, *summa veritatum theoreticarum et practicarum de Deo atque de nostra ad ipsum relatione.*

In hoc tractatu fere semper sermo erit de religione objective spectata. Exhibebimus in sectione priori brevem quandam *theoriam religionis*, ut deinceps in sectione altera *veritatem religionis christiano-catholicae* probemus.

SECTIO I.

THEORIA RELIGIONIS.

Religio duplex est, naturalis et supernaturalis. *Religio naturalis* est, quae ex Dei hominisque natura necessario profluit, solo rationis lumine cognoscitur ac regitur et ad finem naturalem ducit. *Supernaturalis* ea est, quae aliqua revelatione supernaturali nititur, ut suo loco uberius exponemus. Porro religio supernaturalis non aufert, nec immutat religionem naturalem, sed ei superadditur, eamque perficit.

Scopus noster non exigit, ut de religione mere naturali aliquid in specie dicamus, sed necessarium est fundamenti instar breviter tractare de religione in genere, quibus deinde plura subjicienda erunt de religione revelata.

CAPUT I.

De religione in genere.

Quae in hoc capite dicentur, per se valent de religione naturali, hypothetice vero, n.p. si datur reapse revelatio divina, etiam applicantur religioni supernaturali. Dicemus de funda-

mento objectivo, obligatione, unitate religionis in genere i.e. sive mere naturalis tantum, sive etiam revelatae.

Art. I.

DE FUNDAMENTO OBJECTIVO ET OBLIGATIONE RELIGIONIS.

1a I. **Fundamentum objectivum.** — Nostris diebus plures monismi, subjectivismi, positivismi sectatores, praestituendo Deum supramundanum aut non exsistere aut saltem a nobis nulla ratione posse cognosci [1], contendunt, omnem religionem ultimo niti non fundamento objectivo, sed meris factis subjectivis: sentimento psychologico. Dicunt: homines religiosi sunt, non quia exsistentiam Dei propriamque ab eo dependentiam argumentis objective validis cognoverunt, sed quia subjectiva dispositione (caeco instinctu rerum suprasensibilium vel infiniti, sensu propriae insufficientiae cum desiderio auxilii ac beatitudinis, imperativo categorico) acti, deum vel deos sibi finxerunt. Igitur origo religionis non est repetenda a ratione theoretica, quae Deum aut per naturam aut supra naturam seipsum manifestantem cognoscat, sed ex corde, affectibus, voluntate humana. — Eodem fere modo docent modernistae, qui agnosticismum et immanentismum [2] sectantes religionis originem repetendam esse putant ex quadam subjectiva divini indigentia quae latet infra conscientiam seu in subconscientia. Quando in opportunis circumstantiis haec indigentia e latebris subconscientiae erumpit, homo incipit *sentire* quam vehementer cor suum anhelet in Deum. *Sensus* ille *religiosus*, qui fides nominatur, est *initium omnis religionis* [3].

[1] Cfr. BEYSENS, *Nat. Godsleer*, I, p. 7-51. — [2] *Agnosticismus* perhibet humanam rationem esse imperviam ad aliquid circa suprasensibile ejusque exsistentiam cognoscendum. *Immanentismus* docet omnis et totius religionis originem altissimamque explicationem inveniri *in* ipso homine, n.p. in intrinseca animae dispositione et affectione. — [3] Cfr. DENZ. 2074 seq.

Hoc autem posito, facile intellegitur altera eorundem assertio: homines pro diversis adjunctis internis et externis deos suos, relationes eorum ad nos, officia religiosa aliter atque aliter effinxisse [1]; et ita explicari diversitatem religionum, quae fuerunt et sunt. Adjiciunt nonnulli, religionem tandem aliquando permutandam esse scientia, cultu humanitatis, moralitate autonoma, cet.

Contra hanc theoriam, secundum quam non Deus hominem, sed homo deum creavit, omnino tenendum est:

1⁰. *Religionem niti posse fundamento objectivo*, cognitione scil. objective vera Dei exsistentis et gubernantis. Res immediate fluit ex iis quae in *Criteriologia* et *Theodicea* dicuntur; nam in illa probatur cognitionem objective veram rerum metaphysicarum nobis possibilem esse, in hac exsistentia unius Dei, creatoris ac domini nostri, multis argumentis invicte probatur. — Haec autem assertio praecipua est, sufficit enim ad tuenda jura ac legitimitatem objectivam religionis qua talis. **1b**

2⁰. *Factum historicum religionis hoc fundamento objectivo minime caruisse.* Fuerunt utique et sunt multae religiones

[1] FR. PAULSEN: „Nicht aus dem Verstande, aus logisch-metaphysischen Speculationen, oder aus historischen Beweise dieser oder jener Geschichte, sondern aus dem Herze kommt der Glaube" (*Philosophia militans*, p. 46). „Die Vorstellungen, worin die Religion sich kleidet, die begrifflichen Formeln, worin Philosophen und Theologen sie zu fassen suchen, sind das zufällige und unwesentliche an der Religion" (*System der Ethik*[5], p. 406). — W. WUNDT: Die Religion ist „nicht von dem menschlichen Gemüte verschieden". Sie ist „nichts anders als die konkrete Verkörperung der sittlichen Ideale". „Die Wünsche und Forderungen, die Affekte höchster Billigung, die der Mensch in seinem Bewusstsein vorfindet, stellt er sich als eine objektive und doch in fortwährender Beziehung zu ihm stehende Welt gegenüber. Entkleidet man daher die religiösen Vorstellungen ihrer phantasievollen Form, so bilden die Imperative des Gewissens ihren eigentlichen Inhalt" (*System der Ethik*, II[3], p. 104).

falsae, n.p. tales ut in doctrinis, praeceptis, ritibus suis plura contineant, quae recta ratio nec docet nec approbat, sed substantia facti religiosi, persuasio scil. obligationis et voluntas colendi aliquod Numen, universim loquendo nitebatur certitudine, utique vulgari, de exsistentia objective reali alicujus Numinis. Res iterum constat ex *Theodicea*, quae ostendit, persuasionem constantem ac moraliter universalem generis humani de exsistentia Deitatis iis characteribus insignitam esse, ut omnino habenda sit fructus rectae rationis, quae considerando mundum realem ratiocinatione obvia ac fere spontanea ad cognitionem supremi alicujus Numinis pervenit [1]. Hanc autem ratiocinationem non esse formam cogitandi mere subjectivam, sed ei competere valorem objectivum, habes per applicationem eorum quibus in *Criteriologia* [2] subjectivismus et positivismus refelluntur.

2 II. **Obligatio.** — Quaestionem de fundamento objectivo, seu de possibilitate religionis quae plus est quam foetus meri sentimenti psychologici, sequitur quaestio de necessitate morali sive obligatione religionis. Vera autem et stricta obligatio Deum cultu religioso prosequendi, praeter eos quos supra impugnavimus, negatur ab illis *indifferentismi absoluti* sectatoribus, qui docent Deum de nostro obsequio nihil curare, omnemque religionem ex hoc capite inutilem esse ac supervacaneam [3]. Contra hos igitur sit:

---

[1] Cfr. v. g. BEYSENS, *Nat. Godsleer*, I, p. 323. — [2] Cfr. BEYSENS, *l. c.* — [3] Scripsit v. g. KANT: „Ich nehme folgenden Satz als einen keines Beweises benöthigenden Grundsatz an: Alles was, ausser dem guten Lebenswandel, der Mensch noch thun zu können vermeint um Gott wohlgefällig zu werden, ist blosser Religionswahn und Afterdienst Gottes" (*Relig. innerhalb der Grenzen d. Vernunft.* Werke VI, Ed. Hartenstein, p. 353).

PROP. 1. **Homo jure naturae absolute tenetur ad religionem.** [1] — Certum est. 3

Prop. *probatur.* — 1°. Ex *ordine metaphysico.* Homo intellectu et voluntate gaudens ordinem ontologicum theoretice agnoscere, seseque illi practice per liberos actus conformare debet; atqui ordo naturae postulat ut Deo summus honor, plena subjectio, summus amor deferatur; ergo homo hanc postulationem theoretice agnoscere, eamque practice exsequi debet seu, quod idem est, ad religionem tenetur.

Major patet: quis enim dicet, homini, quia libertate donatus est, licere ordinem naturae negligere aut contra eum agere?

Minor probatur. Natura et ratio docent, excellenti deberi honorem, domino obsequium, fini tendentiam seu amorem. Atqui a. in Deo est excellentia summa et infinita, „in quantum omnia in infinitum transcendit secundum omnimodum excessum"[2]; ergo Deo debetur summus honor seu adoratio [3]. b. Deus est supremus omnium dominus, quia ab eo cuncta absolute dependent tamquam a creatore, conservatore, provisore suo; ergo Deo debetur summa subjectio, maximum obsequium. c. Deus est finis ultimus omnium, quia cuncta in ipsum ultimo ordinantur, hinc super omnia appeti et cunctis aliis bonis praeferri debet, a.v. Deo debetur amor súper omnia. Merito igitur LEO XIII: „Ex omnibus hominum officiis illud est sine dubitatione maximum ac sanctissimum, quo pie religioseque Deum colere homines jubemur. Idque necessario ex eo consequitur, quod in Dei potestate perpetuo sumus, Dei numine providentiaque gubernamur, ab eoque profecti ad eum reverti debemus" [4].

[1] M. SÉROL, *Le besoin et le devoir religieux*, 1908. Auctor non semper bene distinguit inter religionem positivam revelatam et religionem naturalem. — [2] *S. Th.* II, II, **81**, 4, c. — [3] L. ROURE, *La religion du Dieu Créateur ou la place de l'adoration dans la religion*, in *Etudes*, 1928, tom. 194, p. 513. — [4] Enc. *Libertas praestantissimum* (in *Leonis pp. XIII Alloc.* cet. Ed. Desclée III, p. 108).

Nec refert, quod Deus obsequiis nostris non indiget, nec quidquam beatitudinis aut cujuslibet utilitatis sibi ex iis acquirit; nam exinde nec Deus jure suo exuitur, nec homo a sua obligatione liberatur. Sane quis dicet, mendicum a gratitudine dispensari, quia haec potentissimo regi vix aliquid prodest? Neque fingendum est, Deum jure suo cedere; nam Deus, quum nequeat sibi contradicere, non potest non velle ut creatura secundum suam naturam operetur. Ceterum non colimus Deum „propter ejus utilitatem, sed propter ejus gloriam [externam], nostram autem utilitatem" [1].

4 2°. Ex *consensu generis humani.* Omnes ubique terrarum populi, quotquot aut sunt aut fuerunt, non solum cultiores sed etiam maxime barbari, aliquam religionem licet saepe valde superstitiosam professi sunt. Quae enim nonnulli de gentibus omni religione carentibus narrarunt, veritate non nituntur [2]. Atqui consensus tam constans et universalis in re morali,

[1] *S. Th.* l. c., 6, ad 2. — [2] O. PESCHEL, *Völkerkunde*, Ed. 6a, p. 273: „Die Frage, ob irgendwo auf Erden ein Volksstamm ohne religiöse Anregungen und Vorstellungen jemals angetroffen worden sei, darf entschieden verneint werden." — C. P. TIELE, *Geschiedenis van den Godsdienst in de oudheid*, I. p. 361: „Hoe hoog sir John Lubbock ook op ander gebied moge staan, voor de waardeering van godsdienstige verschijnselen schijnt hij niet het rechte orgaan te bezitten. G. Roskoff heeft hem dan ook op menig punt weerlegd en duidelijk aangetoond, dat verscheiden volkeren, waaraan Lubbock alle godsdienstig gevoel ontzegt, werkelijk een godsdienst bezitten." — CHANTEPIE DE LA SAUSSAYE, *Lehrb. der Religionsgeschichte*, p. 13: „Von den religionslosen Menschen gilt bis heute dasselbe was von den sprachlosen und den feuerlosen: man findet sie in gewissen Systemen, weil sie eben hineinpassen, in der Wirklichkeit aber sind sie nicht nach zu weisen." — MAX MÜLLER, *Ursprung und Entwicklung der Relig.* p. 88: „Wir können jetzt sicher behaupten, dass trotz aller Nachforschungen keine menschlichen Wesen irgendwo gefunden worden sind, die nicht etwas besassen, was

passionibus minime favente, non ex praejudiciis aut educatione, non ex legislatorum vel sacerdotum fraudibus, non ex ignorantia rerum naturalium aut irrationabili timore, non ex defunctorum veneratione, sed inde tantum explicari potest, quod gentes hac in re rectae rationis dictamen sequebantur; secundum illud CICERONIS: „Deum natura venerari novit, nec quisquam est homo, qui lege quae hoc praecipiat careat" [1].

Argumentum non infirmatur ex eo, quod multi nostro praesertim tempore nullam religionem profitentur, imo obligationem Deum colendi diserte negant. Etenim: a. plurimi ex iis, qui ad nullam ecclesiam aut sectam pertinent, ideo non omni religione, saltem interna, carere volunt [2]; b. qui vero omnem obligationem Deum quocumque modo colendi perfracte negant, dato etiam quod sincere agant, ita pauci sunt, ut universalem consensum generis humani minime infringant. Nemo contendit, hominem necessario religiosum esse aut dictamen rationis passionibus et praejudiciis obscurari non posse. Ceterum qui omnem religionem exuerunt, nec virtute eminere, nec sibi

---

ihnen als Religion galt." Cfr. SCHANZ, *Apologie*, I[4] § 3. Nec provocare licet ad Buddhismum tam late diffusum; nam Buddhismus late diffusus, scil. Buddhismus *popularis*, non est atheisticus.

[1] *Orat. pro Flacco.* Cfr. M. LAGRANGE, *La religion de Cicéron d'après le „De natura deorum"*, in *Eph. Theol. Lovan.*, 1928, p. 413; BEYSENS, *Nat. Godsleer*, tom. I, p. 316. — [2] A. SABATIER: „On confond l'hostilité déclarée à une religion extérieure, à un dogme, à une église, à une tradition, avec l'athéisme et l'irréligion. Rien n'est plus faux ... Il n'est qu'un athée et un impie: c'est l'homme frivole, qui se fait de cette frivolité même l'arme et le masque tout ensemble d'un vain et brutal égoisme" (*Esquisse d'une philosophie de la Religion*[8], p. 27-28). Contra eos qui dicunt, rerum naturalium scientiam religionem expellere, cfr. KNELLER, *Das Christentum und die Vertreter der neueren Naturwissenschaft*, 1912; DENNERT (*Die Religion der Naturforscher*[6], 1902) contendit, ex 100 rerum naturalium cultoribus circiter 92 admittere exsistentiam Dei.

ipsis contenti esse solent (uti praxes spiritisticae, ipsumque odium fanaticum religionis saepe ostendunt).

5 PROP. 2. **Homo jure naturae etiam ad aliquem cultum externum tenetur.** — Certum est.

Religio primo et principaliter consistit in actibus intellectus et voluntatis, in agnitione scil. atque amore divinae excellentiae; et hic est *cultus internus*. Secundario ad religionem pertinet *cultus externus*, nempe honor Deo exhibitus per actus externos corporis nostri. — Sunt qui obligationem religionis in genere, ac per consequens cultus interni, agnoscunt, sed obligationem naturalem cultus externi negant. Dicimus autem, hominem jure naturae teneri ad *aliquem* cultum externum, scil. ad aliquos actus externos indeterminate, dimissa quaestione, num homo ex sola naturae lege obligetur ad hunc vel illum actum in specie v. g. ad sacrificium [1].

6 *Probatur.* 1°. Cultus externus est necessarius *ratione sui*. Totus homo a Deo dependet, ergo totus homo, non solum anima sed etiam corpus, hanc dependentiam protestari debet. „Duplex cultus Dei, ait AQUINAS, interior et exterior. Cum enim homo sit compositus ex anima et corpore, utrumque debet applicari ad colendum Deum, ut scil. anima colat interiori cultu et corpus exteriori" [2].

---

[1] S. THOMAS objectionem: „Caeremonialia non sunt de dictamine rationis naturalis", solvit hoc responso generali: „De dictamine rationis naturalis est, quod homo aliqua faciat ad reverentiam divinam, sed quod haec determinate faciat vel illa, istud non est de dictamine rationis naturalis, sed de institutione juris divini vel humani" (*S. Th.* II, II, **81**, 2 ad 3). Alibi tamen docet, quod „oblatio sacrificii pertinet ad jus naturale" (l. c., **85**, 1). Quae forte ita componi possunt, ut dicamus, oblationem sacrificiorum dictamine rationis naturalis non quidem stricte imponi, sed suaderi. Cfr. *tract. de Sacr.*, no. **437**. — [2] *S. Th.* I, II, **101**, 2, c.

2°. Cultus externus necessarius est *ratione cultus interni*. Homo obligatur ad Deum cultu interno quam perfectissime colendum, ergo ad adhibenda media, quibus actus interni religionis excitantur, sustinentur, augentur. Atqui ita natura comparati sumus, ut affectus interni per signa et actiones sensibiles in nobis provocentur, fulciantur, vīvidiores reddantur[1]. „Mens humana, ita s. THOMAS, indiget ad hoc, quod conjungatur Deo, sensibilium manuductione. Et ideo in divino cultu necesse est aliquibus corporalibus uti, ut eis quasi signis quibusdam mens hominis excitetur ad spirituales actus, quibus Deo conjungitur. Et ideo religio habet exteriòres actus quasi secundarios, et ad interiores actus ordinatos" [2].

PROP. 3. **Homines jure naturae Deum, etiam publice, colere tenentur.** — Certum est. 7

A cultu privato, eo scil. qui a singulis hominibus privatim exercetur, gradum facientes ad *cultum publicum* asserimus. Deum etiam ab hominibus in societatem adunatis, sive ab ipsa societate, qua tali, coli debere. Per se patet, cultum publicum necessario esse externum, et ita necessitas cultus socialis denuo probat necessitatem cultus exterioris. Adver-

---

[1] Vice versa affectus interni, vividiores praesertim, in signa externa sponte prosiliunt, et ita religio interna, dummodo sincera sit, sese veluti necessario per cultum externum manifestabit. Quemadmodum igitur cultus externus, sine interno, hypocrisis esset (fingitur enim quod non est); ita cultus mere internus, sine externo, mancus et languens et contra naturam esset. — [2] *S. Th.* II, II, **81**, 7, c. Et alibi: „Exercentur ab hominibus quaedam sensibilia opera . . . , sicut prostrationes, genuflexiones, vocales clamores et cantus, quae non fiunt quasi Deus his indigeat qui omnia novit, sed propter nos facimus, ut per haec sensibilia opera intentio nostra dirigatur in Deum, et affectio accendatur; simul etiam per hoc Deum profitemur animae et corporis auctorem, cui et spiritualia et corporalia obsequia exhibemus" (*S. c. G.*, III, 119).

sarios habemus liberales et imprimis socialistas, qui religionem „rem privatam" esse dictitant, quamvis revera etiam religionem privatam summis viribus impugnent. — Observa autem, hoc loco solum summa quaedam principia tradi, quin inquiratur, quousque et qua ratione ea applicari possint ac debeant v. g. in societate, in qua variae religiones miscentur.

Probatur. Sicut singuli homines, ita et societas divino beneficio subsistit, divino nutu regitur, totaque a Deo dependet. Sane quis contendet, homines subesse Deo quantum ad vitam privatam, non vero quantum ad vitam socialem et politicam. Hinc homo etiam ut socialis est, a.v. ipsa societas, qua talis, suam a Deo dependentiam agnoscere et protestari debet. „Natura et ratio, ait LEO XIII, qua jubet singulos sancte religioseque Deum colere, quod in ejus potestate sumus, et quod ab eo profecti in eum reverti debemus, eadem lege adstringit civilem communitatem. Homines enim, communi societate conjuncti, nihilo sunt minus in Dei potestate quam singuli, neque minorem quam singuli gratiam Deo societas debet, quo auctore coaluit, cujus nutu conservatur, cujus beneficio innumerabilem bonorum, quibus affluit, copiam accepit" [1].

8 **Scholion.** *Officium religionis omnium officiorum praecipuum, et totius moralitatis fundamentum est.*

1⁰. Dictat ratio, homini incumbere officia erga Deum, erga seipsum, erga alios homines. Quis autem non videt, ex his omnibus praecipua et sanctissima esse officia, quibus homo obligatur erga Deum, primum principium et finem ultimum omnium.

2⁰. Insuper religio est fundamentum omnium aliorum offici-

[1] Enc. *Immortale Dei* (in *Leonis XIII Alloc. cet.*, Ed. Desclée, III, p. 149).

orum, sive totius moralitatis [1]. Revera, admissa obligatione Deum honorandi per subjectionem, officia moralitatis habent fundamentum inviolabile, voluntatem scil. Dei legislatoris, cujus auctoritate omnes ligantur. At qui aut exsistentiam Dei, aut obligationem ipsi serviendi negant, nullam possunt assignare rationem, propter quam homines ad moralitatem servandam vere et stricte tenerentur [2]. Provocant a. ad *dictamen conscientiae, innatum sensum honestatis, amorem ordinis,* cet. sed nisi conscientia spectetur ut praeco, divinam legem intimans, nullam ligandi vim habet. Nemo ligatur nisi a superiore, conscientia autem seu ratio, facultas scil. hominis, homini superior non est. Hinc autonomiam rationis proclamare, idem est ac hominem declarare omnis verae obligationis expertem [3]. Provocant b. ad *leges civiles;* sed, ut alia taceamus, legislator humanus, nisi divina auctoritate fretus, nullam veri nominis obligationem inducere potest.

Quidquid igitur in contrarium dicatur, praedicare moralitatem a religione solutam, moralitatem, quam *independentem* ac *liberam* vocant, nihil aliud est quam universum ordinem

---

[1] Moralitas, quatenus a religione distinguitur, est complexus officiorum, quibus homo obligatur erga seipsum et erga alios homines, sive individuos, sive in societatem adunatos. — [2] Cfr. FRANON, *Les fondements du devoir*, 1916; BEYSENS, *Ethiek of natuurlijke zedenleer*, I, p. 582 seq.; EM. BRUNETEAU, *Peut-il y avoir une morale sans Dieu?* in *Rev. pratique d'apol.*, 1913, tom. 16, p. 801-811. — [3] ROUSSEAU: „On a beau vouloir établir la vertu par la raison seule; quelle base peut-on lui donner? La vertu, disent-ils, est l'amour de l'ordre. Mais cet amour peut-il donc et doit-il l'emporter en moi sur celui de mon bien-être? Qu'ils me donnent une raison pour le préférer. Si la Divinité n'est pas, il n'y a que le méchant qui raisonne, le bon n'est qu'un insensé (*Émile*, I, IV). — Nonne Fr. Nietzsche († 1900) applicando societati humanae „pugnam pro vita", suprahomini jus tribuit cuncta debilia prosternendi, ut ipse ad summa perveniat (Herren-Moral!)?

moralem labefactare [1]. Hinc novum argumentum pro necessitate religionis; si enim moralitatem subvertere pessimum est, haec autem exclusa religione logice ruit, ergo religionem admittere necessarium est. — Nec verum est, hominem dedecere moralem heteronomam. Homini, quum in ordine ontologico independens non sit, independentia in ordine morali convenire nequit. Sed aliud est a legislatore superno pendere, aliud ejus praecepta ex solo timore servili implere

Art. II.

DE UNITATE VERAE RELIGIONIS.

9 Venimus ad defensores *indifferentismi relativi*, qui, obligationem aut saltem utilitatem religionis concedendo, asserunt omnes religiones bonas esse ac legitimas. Quod quidam ad solas formas aut sectas christianismi coarctant.

Assertio haec diversimode defenditur. Alii, inter quos modernistae [2], nituntur errore supra exposito, religionem ex mero sentimento psychologico profectam esse, proinde hanc tantum

---

[1] Practice ii, qui moralitatem a religionis „fulcris" liberarunt, bonis moribus eminere minime solent; nihilominus ab assertionibus nimis generalibus in hac materia abstinendum est. Quodsi pauci quidam absque religione vitam honestam ducant, verissima sunt quae observat A. BALFOUR: „Biologists tell us of parasites, which live and can only live within the bodies of animals more highly organised than they. So it is with those persons. Their spiritual life is parasitic: it is sheltered by convictions which belong, not to them, but to the society of which they form a part; it is nourished by processes, in which they take no share. And when those convictions decay, and those processes come to an end, the alien life, which they have maintained, can scarce be exspected to outlast them" (*Foundations of Belief*, 1895, p. 82-83). — [2] Cfr. DENZ. 2077, 2082, 2083.

habere utilitatem, quod satisfacit indigentiis ac aspirationibus cordis humani. Unde consequenter inferunt, quamlibet religionem bonam esse saltem suo respectivo tempore et loco; quae enim aspirationibus cultorum suorum satisfacere desinit, ultro dimittitur vel reformatur, nisi per vim injustam sustineatur. Alii nituntur suppositione, omnem veritatem esse relativam, proinde mutabilem. Alii denique concedunt quidem unam religionem esse objective veram, reliquas falsas, sed simul contendunt practice impossibile esse veram a falsis discernere, et ideo ponunt, cunctas religiones practice bonas esse.

Ad praecavendam confusionem haec. Posito quod religio nitatur fundamento objectivo, scil. cognitione objective vera (sive naturali sive etiam supernaturali) Dei, statim sequitur eam tantum religionem *veram* esse, quae de Deo, de Dei nobiscum relationibus, de officiis nostris erga Deum vera docet. Quodsi systema aliquod religionis hac in re falsa tradit aut veris falsa permiscet, religio *falsa* audit (bonum enim ex integra causa, malum ex quocumque defectu). Porro religio quae objectiva veritate destituitur, quatenus ea destituitur, legitima ac bona esse nequit. Siquidem *legitima* est, quae legi, i.e. voluntati Dei, convenit; *bona* vero, quae Deum modo debito colit et cujus professio per se ad finem ultimum perducit.

Veram religionem a falsis discerni posse, infra dicetur, ubi de criteriis revelationis sermo erit. Nihilominus concedendum est, hanc discretionem in praxi non omnibus facilem esse. Hinc fieri potest et fit, ut homines ex errore invincibili religionem falsam pro vera amplectantur. Qui autem bona fide officia falsae religionis adimplet, subjective bene agit et, suppositis supponendis, mereri potest [1]. Nihilominus religio,

[1] Nec in contrarium facit prop. 15 in *Syllabo* notata: „Liberum cuique homini est eam amplecti ac profiteri religionem, quam rationis lumine quis ductus veram putaverit". DENZ. 1715. Prop. rejecta est *in sensu auctoris* (F. Vigil, peruanus), cujus mens erat: homo nec possibilitatem revelati-

quam profitetur, *objective* et secundum se considerata falsa, illegitima, mala manet. Porro hujus loci non est, inquirere quidnam alicui homini per accidens, n.p. propter errorem inculpabilem, subjective licitum, imo obligatorium esse possit, sed *quaenam sit religio objective vera,* quam omnes homines per se amplecti, proinde pro viribus atque adjunctis exquirere debent.

His praenotatis dicimus:

9a PROP. **Religio objective vera, legitima, bona est una eademque pro omnibus.** — Certum est.

Explicatur. Propugnando unitatem verae religionis, non intendimus cuncta officia religiosa eadem esse pro omnibus, sed *officia absoluta* et *hypothetica generalia* tantum.

Officia religionis *absoluta* sunt, quae per se profluunt ex Dei hominisque natura, ut v.g. obligatio agnoscendi unum Deum ac dominum, eum gratitudine et amore internis necnon aliquo cultu externo honorandi. Et haec officia absoluta eadem sunt non tantum pro omnibus hominibus determinati temporis, sed etiam pro omnibus temporibus. Officia *hypothetica generalia* sunt, quae supposito officiis absolutis consequuntur aliquod factum, universum genus humanum respiciens. Hujusmodi facta secundum doctrinam catholicam sunt: elevatio hominis ad ordinem supernaturalem, revelatio in Christo ejusque apostolis facta, institutio ecclesiae catholicae. Officia autem hypothetica generalia eadem sunt pro omnibus, non quidem per se omni tempore, sed a tempore quo factum illud contigit. — Praeterea ad veram religionem pertinere possunt et de facto pertinent

---

onis respicere, nec per consequens factum ejus inquirere tenetur, sed liberum ei est eam amplecti religionem, cujus dogmata ipsi videntur rationi magis consentanea, ita ut tuto rejicere possit quamlibet doctrinam, cujus interna veritas ipsi non apparet. Cfr. TOSI, *Vorlesungen über den Syllabus*, p. 52; HEINER, *Der Syllabus*, p. 89.

multa officia *hypothetica particularia*, quae scil. nituntur facto divino aut humano, non omnes sed aliquos tantum sive homines sive societates ligante. Et haec, uti per se patet, differre possunt non solum pro diversis temporibus, sed etiam pro diversis ejusdem temporis hominibus. Ita v.g. religio naturalis, si sola obtinuisset, a legitima auctoritate humana pro diversis gentibus diversimode determinari potuisset, imo debuisset; ita lex mosaica soli Israeli divinitus imposita fuit; ita in ipsa religione catholica ex variis factis humanis particulares ecclesiae obligantur ad ritus et leges disciplinares particulares, clerici ac religiosi ad officia peculiaria sui status, cet.

Prop. in sensu exposito *probatur*. — 1°. Quoad *officia absoluta*. Diximus, quod per se manant ex Dei hominisque natura. Atqui nec Deus nec natura humana mutantur; igitur impossibile est, ut relationes inde per se fluentes, officiaque his relationibus correspondentia diversificentur. — 2°. Quoad officia *hypothetica generalia*. Quum ex dictis factum, quod hujusmodi officia consequuntur, cunctos homines aequaliter afficiat, iterum impossibile est ut, facto jam posito, ipsa officia non sint eadem pro omnibus. Nonne v.g. evidens est, post factam revelationem omnibus destinatam, et divinam institutionem universalis societatis religiosae, cunctos homines aequaliter obligari tum ad hanc revelationem fide suscipiendam, tum ad hanc societatem ingrediendam?

Scholion. *Igitur rejicienda est theoria progressismi religiosi.* Multi qui omnem actionem supernaturalem Dei in mundum excludunt, imo religioni fundamentum objectivum abjudicant sed per evolutionem jurant, theoriam continui progressus etiam religioni applicant [1]. Docent, omnes religiones, quae fuerunt aut sunt, efformare totidem stadia, per quae genus humanum

[1] Cfr. DENZ. 2094.

paulatim ad perfectam religionem, utique mere naturalem, ascendit, — aut secundum alios eo tendit, ut a „morbo" religionis tandem aliquando liberetur! — Siquidem ex eodem sentimento religioso, eadem conscientia religiosa, pro diversis gentium adjunctis internis et externis, diversae oriebantur conceptiones, judicia, praxes religiosae, uno verbo variae religiones [1]. Et hae quidem singulae, quum indoli, culturae, cet. cultorum suorum responderent, suo tempore ac loco legitimae ac bonae fuere, sed absolute loquendo plurimum ab invicem distant gradu perfectionis. Hinc fundatores et reformatores religionum, etsi nonnisi per illusionem aut piam fraudem missionem divinam protenderunt, pari veneratione digni exsistunt, quia omnes suo modo et pro suis adjunctis continui progressus antesignani fuerunt [2]. Via autem, per quam genus humanum paulatim ascendit, haec fere fuit. Post aevum, prae barbarie religionis adhuc nescium, primo venit *Fetischismus*, quo animata habebantur et colebantur quaedam individua materialia, hic lapis, hic mons [3]; deinde *Animismus*, quo colebantur animae defunctorum, jam in res materiales receptae; postea *Totemismus*, quo colebatur integra quaedam species animalium, quibus animae majorum inhabitare credebantur [4]; postea *Schamanismus*, quo schamani, i.e. sacerdotes

[1] Non multum ab hoc differre videtur Dr. A. Kuyper, saltem quoad religiones, ecclesias *christianas*, cfr. TH. BENSDORP, *Apologetica*, I, p. 588; II, p. 724. — [2] Et ita Christus dominus, „qui est super omnia Deus benedictus in saecula", in eodem censu habetur cum Confucio, Gautama, Mahumete, Luthero, cet. — Theoriam expositam, sin minus integram, saltem magna ex parte sequuntur plures theologi protestantes, qui *moderni* vocantur. Et hi quidem, ut populo christiano fucum faciant, revelationis nomine uti, Mosem et prophetas Dei legatos, Christum Dei filium mundique redemptorem dicere, mutatis interim verborum significationibus, pergunt! — [3] E. Haeckel cultum catholicum reliquiarum et imaginum Fetischismi vestigium aestimat! — [4] Notiones *Animismi* et *Totemismi* admodum vagae sunt et ab aliis aliter

praestigiatores, entia spiritualia homini infensa ad tempus placare student, dehinc *Polytheismus; Dualismus*, qui duplex rerum principium cognoscit, bonum et malum, lucem ac tenebras; *Monotheismus*, de quo plures vaticinantur quod aliquando *Monismo* atheistico locum cedet!

Post praedicta vix opus est exponere, quantopere haec theoria a vero distet. **10a**

a. Exsistentiam, imo possibilitatem revelationis immerito negari, infra ostendetur.

b. Admisso valore objectivo cognitionis nostrae, ineptum est cunctas simul religiones legitimas praedicare; manifestum est enim, quod sibi in multis iisque fundamentalibus doctrinis contradicunt. Nec proficit diversitatem religionum comparare varietati linguarum, quae licet perfectione differant omnes bonae sunt. Lingua, systema scil. signorum arbitrariorum ad conceptus nostros exprimendos, comparari potest ritibus ac caeremoniis religiosis, quae et ipsae magna parte signa arbitraria sunt, ita ut a competenti auctoritate aliter atque aliter determinari possint. Quemadmodum enim eadem veritas diversis sonis ac verbis exprimi potest, ita eadem doctrina, idem affectus religiosus variis ritibus symbolizari potest. Sed longe alia est ratio doctrinarum religiosarum, quae nisi habitudinem hominis ad Deum secundum objectivam veritatem exhibent, falsae sunt nec probari possunt. Eadem fere ratione solvitur alia comparatio; quemadmodum principi placet, si a subditis diversis modis honoratur, ita Deo placere debet varietas religionum! Numquid principi placet, si honor ipsi debitus exhibetur aemulis, si de regiminis sui rationibus falsa in populum sparguntur,

---

intelleguntur; cfr. PRAT, *La science de la religion et du langage d'apres Max Müller*, p. 18; AL. BORCHERT, *Der Animismus oder Ursprung und Entwicklung der Religion aus dem Seelen-Ahnen und Geisterkult*, 1900; TH. MAINAGE, *Les religions de la Préhistoire*, 1921.

si caeremoniae aulicae ab ipso sancitae omittuntur ac despiciuntur? Supposito, quod subditi bona fide agant, intentionem errantium acceptam habere poterit, sed ipsum cultum falsum minime probabit.

c. Evolutio religionis, qualem asseclae progressismi exhibent, non est fructus inquisitionis historicae sed merum postulatum evolutionismi atheistici.

Scalam supra exhibitam, quae a Fetischismo incipit, nec universum genus humanum, nec magna quaedam ejus pars percucurrit. Imo frustra quaeres unam aliquam gentem, de qua ostendi possit, eam per hujusmodi scalam saltem fere ascendisse.

Homines primitivos, e statu brutorum animalium recens ascendentes, omni religione aliquando caruisse, historia nec probat nec insinuat; siquidem gentes etiam antiquissimae, quas historia novit, semper religiosae fuerunt.

Historia religionum apud permultas gentes antiquas, tum cultas tum incultas, polytheismo deditas, vestigia quaedam, sin minus certa saltem valde probabilia, primitivi cujusdam monotheismi invenit[1]. Quodsi his adjunxeris traditiones late diffusas populorum, qui initium religionis suae a supernaturali quadam deorum communicatione repetunt, thesis fidei catholicae de primitivo monotheismo, revelatione accepto, mere historice spectata longe majorem probabilitatem habet quam constructio evolutionismi.

Inter gentes, quae decursu saeculorum reapse e polytheismo ad purum monotheismum ascenderunt, vix aut ne vix quidem unam invenies, de qua probari possit, eam ad hujusmodi perfectionem solis naturae viribus, i. e. absque auxilio revelationis supernaturalis, pertigisse [2].

[1] Cfr. GUTBERLET, *Lehrbuch der Apologetik*, I, § 7; SCHANZ, *Apologie*, II[1], § 2. seq.; SLOET, *God, Christendom en Kerk*, p. 9 et 116. — [2] Recte concludit J. RIDDERBOS: „Tegenover de wet der evolutie toont ons de Heilige Schrift deze andere wet, dat het eerst door God ontstoken licht door de

CAPUT II.

De religione revelata.

Probatis obligatione juris naturalis profitendi religionem et necessaria unicitate verae religionis, in sensu exposito, statim sequitur, hominem in conscientia obligari, ut veram religionem pro viribus exquirat. Qui enim tenetur ad finem, tenetur ad media necessaria. Quum autem officium religionis sit omnium officiorum praecipuum, haec obligatio gravis, imo gravissima esse debet. 11

Quodsi sese offerat religio, quae cum aliqua veri specie revelata audit, iterum sequitur ex praedictis, hominem eam prudenti examine inquirere et, verificato facto revelationis, eam amplecti debere. Evidens enim est, hominem, quia ad religionem obligatur, obligari ad amplectendam et exercendam eam religionem, quam Deus forte positiva revelatione docuerit atque praescripserit. — Hinc pronum esset, statim aggredi demonstrationem revelationis christianae. Quum tamen increduli huic demonstrationi viam quasi a limine praecludere tentent, tum adulterando revelationis conceptum, tum asserendo revelationem supernaturalem esse impossibilem aut inutilem vel saltem minime certo cognoscibilem, mos invaluit, ut demonstrationi revelationis christianae praemittatur generalis quaedam theoria revelationis, in qua, stabilita genuina revelationis notione, praedictae difficultates solvuntur. Neque ad-

---

menschelijke zonde altijd meer wordt verduisterd, maar door Zijne genade in des te grooter klaarheid wordt gesteld; en zoo wordt voor ons oog ontrold dat machtig werelddrama, de historie van God en mensch, die voortschrijdt en opklimt niet van polydemonisme tot monotheisme, of zelfs van dier tot mensch, maar van den eersten tot den tweeden Adam, van het aardsche straks tot het hemelsch Paradijs". Cfr. *Studiën*, 1916, tom. 85, p. 516.

versariorum causa tantum ita agimus, sed etiam quia ita procedendo melius consulitur ordini et cohaerentiae rerum dicendarum, ac per consequens perspicuitati doctrinae.

Adversarios habemus illos omnes, qui, quantumvis ceteroquin differant, conveniunt in eo, ut rationem humanam summam et unicam veri falsique normam habeant, nihilque ultra naturam cognosci posse statuant: *rationalistas* seu *naturalistas* et *modernistas* [1].

Ex ordine dicemus de *possibilitate, necessitate, cognoscibilitate* revelationis.

Art. I.

DE POSSIBILITATE REVELATIONIS.

Ne aërem verberemus, ante omnia tradenda est genuina notio revelationis; deinde, quia possibilitas revelationis, mysteria continentis, specialibus difficultatibus impugnatur, explicanda venit notio mysterii.

12 I. **Notio revelationis.** — Revelatio, a remotione veli rem occultantis dicta, generatim significat manifestationem veritatis alteri factam. Revelatio *active* sumpta, est actus, quo quis alteri veritatem pandit; *objective* accepta, est ipsa veritas manifestata. Theologi autem nomine revelationis semper intellegunt revelationem divinam: manifestationem veritatis a Deo factam creaturae rationali, imprimis homini.

Jam duplici ratione Deus aliquam veritatem ad nostram cognitionem perducere potest:

1°. *Modo naturali*, scil. per creationem mundi visibilis et

[1] Stricte loquendo *naturalistae* ii sunt, qui nihil extra naturam exsistere docent, *rationalistae* vero ii, qui nihil, quod ultra naturam sit, cognosci posse dicunt; sed nomina saepissime promiscue adhibentur. — *Modernistae*, uti jam vidimus, agnosticismo adhaerentes, omnem revelationem proprie dictam penitus e medio tollunt, genuinam ejus notionem pervertentes; cfr. DENZ. 2072.

largitionem facultatum cognoscitivarum. Et haec vocari potest *revelatio naturalis*; quum enim Deus tum facultatum, quibus cognoscimus, tum rerum sensibilium, e quibus cognitionem haurimus, auctor sit, non absurde dicitur nobis revelare veritates, quas exercitio facultatum naturalium detegimus. Nihilominus revelatio naturalis nonnisi sensu *improprio* et *analogo* revelatio vocatur ideoque revelatio naturalis et revelatio supernaturalis sese ad invicem *non* habent ut duae species ejusdem generis [1].

2°. *Modo naturae nostrae indebito*, per testificationem praeter ordinem naturae factam: *revelatio supernaturalis*, quae sola proprie et simpliciter revelatio audit et quam semper intendimus, quoties sine addito revelationem nominamus. Definiri autem potest revelatio supernaturalis [2]: *manifestatio veritatis a Deo homini facta, praeter ordinem naturae* [3].

---

[1] *Reformatio* negat revelationem mere naturalem, non vero supernaturalem. Cfr. H. BAVINCK, *Gereformeerde Dogmatiek*, I², p. 313, 336, 367. Quam difficile sit intellegere quomodo supernaturalitas revelationis salvetur secundum doctrinam Protestantium, ostenditur in *Studiën*, 1916, tom. 85, p. 515: „*Naturalisme of Supernaturalisme in de verklaring van Israël's Godsdienst*". — *Rationalistae*, si nomine revelationis utuntur, semper intellegunt naturalem revelationem, secundum illud A. SCHOPENHAUER: „Es gibt keine andere Offenbaring als die Gedanken des Weisen" (*Parerga* II, § 177). *Modernistis* revelatio nihil aliud est quam acquisita ab homine suae ad Deum relationis conscientia; cfr. DENZ. 2020. — [2] *Supernaturale* generatim est illud omne, quod excedit seu *superat essentiam, exigentias, vires* entis creati, a. v. quod neque requiritur ut res constituatur, neque rei jam constitutae debetur, neque ab illa attingi aut perfici potest. Et cave, ne supernaturale confundas: a. cum eo, quod sensum superat et sola ratione attingitur; b. cum qualibet doctrina de Deo, nam Deus etiam naturaliter cognoscitur; c. cum eo, quod est contra naturam, hoc enim naturam destruit aut laedit, quum supernaturale eam ultra suas exigentias perficiat. — [3] Pro scopo nostro nihil refert, utrum signa quibus Deus

13 **Divisio.** — Revelatio dividitur:

1°. Ratione personarum, quibus destinatur, in *privatam* et *publicam*. Privata est, quae unam aut plures personas particulares; publica, quae ad aliquam societatem destinatur.

2°. Ratione modi, quo destinatariis innotescit, in *immediatam* et *mediatam*. Immediata est, quam destinatarius recipit absque interventu alterius hominis [1]; mediata, quae per alium hominem, ad hoc a Deo legatum constitutum, ad suos destinatarios pervenit.

3°. Ratione veritatum, quas pandit, in *supernaturalem quoad modum* et *supernaturalem quoad substantiam*. Quatenus manifestantur veritates, quae humanae rationi per se imperviae non sunt, quarum cognitio igitur homini absque revelatione physice saltem possibilis est, habetur revelatio quoad modum (tantum) supernaturalis. Observa, nomine veritatum non solum intellegi veritates theoreticas, sed etiam practicas, a. v. praecepta legis naturalis. — Quatenus traduntur praecepta et

---

ad manifestandam veritatem utitur, immediate sensus externos, an imaginationem, an intellectum afficiant: revelatio *sensitiva*, *imaginaria*, *intellectualis*. At quibusvis mediis Deus revelans utatur, ad proprie dictam revelationem semper requiritur, ut Deus non solum veritatem manifestet, sed insuper personam, cui manifestatur, certiorem reddat hanc veritatem *a Deo* communicari. Cfr. *S. Th.* II, II, 173, 2. — Alii (i. q. v. LAAK, o. c., p. 2; MANNENS, *Theol. fund.*[2] p. 32; W. WILMERS, *De Rel. Rev.*, p. 47; p. GERVASIUS, in *Ned. K. St.* 1916, p. 196) praeferunt talem definitionem, in qua clarius exprimitur manifestatio veritatis *per formalem locutionem Dei*, ut excludatur creatio, miraculum, scientia infusa, visio beatifica.

[1] Consulto dicitur: absque interventu *hominis*, nam revelatio, per ministerium angelorum homini data, immediata dici consuevit. — Ceterum divisio revelationis mediatae et immediatae aliquando ita sumitur, ut nomine mediatae intellegatur revelatio naturalis, nomine immediatae omnis revelatio supernaturalis.

instituta positiva, i. e. ex habitudine creaturae rationalis ad creatorem per se non profluentia, necnon veritates theoreticae, humanae rationis vires excedentes, seu mysteria, habetur revelatio (etiam) quoad substantiam supernaturalis[1].

II. **Notio mysterii.** — Mysterium (a verbo *μύω* = claudi) **14** sensu vulgari idem est ac absconditum, sensu autem theologico est *veritas humanam rationem absolute et per se excedens.*

Dico: *absolute.* Multa sunt, quorum exsistentiam ratione cognoscimus, quin tamen eorum naturam et modum perfecte intellegamus v. g. vis electrica, attributa Dei. Haec igitur intellectum nostrum *secundum quid* excedunt, et mysteria, in sensu saltem theologico, non sunt[2].

Dico: *per se,* nam quae *per accidens* tantum, seu propter impedimenta externa, cognitionem nostram excedunt, uti v. g. numerus stellarum, mysteriis accensenda non sunt.

Jam aliae veritates humanum intellectum absolute et per se excedunt quantum ad exsistentiam tantum, aliae quantum ad exsistentiam et essentiam, seu internam possibilitatem simul.

Veritas, cujus *exsistentia* absque revelatione certo cognosci nequit, sed cujus interna possibilitas, saltem post revelationem, positive intellegi potest, ut v. g. exsistentia spirituum purorum, judicium universale, vocatur *mysterium secundum quid* (secundi ordinis, improprie dictum). His mysteriis aequiparanda sunt

---

[1] Revelatio, quoad modum tantum supernaturalis, a quibusdam auctoribus revelatio *formalis;* revelatio, quoad substantiam supernaturalis, revelatio *materialis* dicitur. — [2] Cfr. M. GOSSARD, *Le mystere religieux et le mystère scientifique.* in *Rev. prat. d'apol.* 1912, tom. 13, p. 344. Sententias eorum, qui vel exsistentiam mysteriorum negant vel eorum conceptus pervertunt, exhibet V. LAAK, o. c., p. 20.

praecepta et instituta, libera Dei voluntate praeter ordinem naturae inducta, v. g. circumstantia sabbati in tertio decalogi praecepto, ecclesia ut societas perfecta et infallibilis.

Veritas, cujus *exsistentia* absque revelatione innotescere nequit, et cujus *interna possibilitas* (consociabilitas notarum), ne post revelationem quidem, positive intellegi potest, ut v. g. ss. Trinitas, praesentia corporis Domini in Eucharistia, vocatur *mysterium simpliciter* (primi ordinis, proprie dictum)[1].

Observa vocem: *positive* intellegi; aliud enim est, videre consociabilitatem notarum, aliud non videre earum inconsociabilitatem, quod est negative intellegere rei possibilitatem. Quum autem mysterium, etsi rationem superat, non sit contra rationem, sequitur ejus possibilitatem negative intellegi, a. v. rationem non posse ostendere intrinsecam notarum repugnantiam. Sane ubi haec adesset, non jam haberes mysterium sed absurditatem. Si autem de facto non adest repugnantia, impossibile est, eam a ratione videri.

Colliges: 1°. *nullum mysterium*, sive primi sive secundi ordinis, per rationem a. *inveniri*, aut b. revelatione traditum, *demonstrari* posse. Veritas enim, de qua ratio ex suis principiis, argumentis necessariis[2], unquam ostendere posset, quod res ita esse debeat, absolute loquendo etiam a ratione inveniri potest. — 2°. *Mysterium simpliciter* per rationem neque a. *inveniri*, neque post revelationem b. *demonstrari*, aut c. *intellegi* posse.

[1] Alio modo, sed in eundem sensum, dici potest: mysterium improprie dictum habetur, quando ratio videre nequit, quod praedicatum subjecto realiter *conveniat*; mysterium proprie dictum, quando ratio insuper videre nequit, quod praedicatum subjecto *convenire possit*. — [2] Dico: argumentis *necessariis*. Aliud enim est veritatem argumentis necessariis demonstrare, aliud eam quibusdam *congruentiis* et *similitudinibus* illustrare et suadere. In hoc, non illud, respectu mysteriorum incumbunt theologiae scholasticae cultores.

His praenotatis, ostendenda est possibilitas revelationis in genere, deinde revelationis mysteria pandentis, demum revelationis mediatae.

PROP. 1. **Possibilis est revelatio in genere.** 15

Prop. vindicat possibilitatem alicujus revelationis in genere, ergo saltem illius, quae minoribus difficultatibus subjacet. Talis autem est revelatio *immediata* et *quoad modum tantum supernaturalis*, quae igitur nihil aliud est quam nova declaratio religionis et legis naturalis. Propositio est *fidei dogma* ex conc. vat.: „S. q. d., fieri non posse aut non expedire, ut per revelationem divinam homo de Deo, cultuque ei exhibendo edoceatur, a. s."[1].

Probatur. Revelatio religionis et legis naturalis impossibilis 16
dici nequit, si neque ex parte Dei, neque ex parte hominis repugnat. Atqui:

1°. *Non repugnat ex parte Dei.* Sane Deo nec *scientia* perfectissima legis naturalis deest, nec *potentia* eam quibusdam signis, praeter naturae ordinem, homini communicandi, et quidem tali modo, ut homo certus fiat, se a Deo edoceri. Neque abest finis divinae *sapientiae* dignus; etsi enim veritates, de quibus agitur, etiam absque revelatione innotescere physice saltem queunt, per revelationem facilius et certius cognoscentur, praecepta sanctiora erunt, Deus bonitatem suam novo modo manifestabit, ipse homo intimiori cum Deo communione maxime honestabitur. Simul vides, revelationem, ut superflua non sit, minime supponere naturam debita perfectione carentem, sed solum ulteriores perfectionis capacem. Demum si *majestati* divinae non obest, hominem et infima animalcula creare, quo jure rationalistae definiunt, Deo indignum esse, per semetipsum hominem erudire?

[1] Const. *De fid. cath.* can. II, 2. DENZ. 1807.

2°. *Non repugnat ex parte hominis.* Quum homo plura per magisterium quam per inventionem discere soleat, certe ejus *dignitati* non derogat, Deum, scientia et auctoritate infinitum, habere magistrum. Si credere homini hominem non dedecet, quare Deo credere non deceret? Neque verum est, animam humanam in recipienda revelatione contra suam naturam *ad absolutam passivitatem redigi*[1], nam ideae, immediata Dei actione excitatae, minime habentur absque actu intellectus humani.

Dicunt: revelatione tolli autonomiam seu independentiam rationis[2]. — Sed: a. ineptum est rationem, facultatem necessariam, quae semper aut a proprio objecto, aut a voluntate determinatur, autonomam dicere! b. Si sensus est, voluntatem ita autonomam esse, ut non teneatur movere intellectum ad assensum revelationis, de cujus origine divina rite constiterit, talis autonomia omnino rejicienda est[3].

Dicunt adhuc: revelatione infringi continuam evolutionem humanae cognitionis. — Esto! Et tamen Deus, a quo quaecumque fiunt, ordinate fiunt, revelationem suam ita dedit, ut antea genus humanum ad eam recipiendam, suavi providentia, multipliciter disposuerit atque praeparaverit. Nonne rationalistae totam historiam revelationis mosaicae, propheticae, christianae per naturalem evolutionem explicare nituntur? Frustra quidem; sed hujusmodi tentamina penitus impossibilia essent, si Deus revelans nullo modo aptitudinem, aspirationes, necessitates, uno verbo conditiones recipientium respexisset.

---

[1] Ita D. F. STRAUSS, *Christliche Glaubenslehre*, I, p. 140; et multi post eum. — [2] Cfr. P. THONE, *Le principe d'autonomie*, in *Rev. du Clergé franç.*, 1909, tom. 59, p. 188; R. GARRIGOU LAGRANGE, *Le sens commun, la philosophie de l'être et les formules dogmatiques*, 1909 et in *Rev. Thomiste*, 1908. p. 164, 259, 566. — [3] Cfr. CONC. VATIC., const. *De fide cath., can.* III, 1, DENZ. 1810.

PROP. 2. **Possibilis est revelatio mysteriorum.** 17

Propositio, agens de revelatione quoad substantiam supernaturali, *dogma fidei* est ex conc. vat.: „S. q. d., hominem ad cognitionem et perfectionem, quae naturalem superet, divinitus evehi non posse, sed ex seipso ad omnis tandem veri et boni possessionem, jugi profectu, pertingere posse et debere, a. s." [1].

Nomine mysteriorum hoc loco intellegimus quidquid religioni ac legi naturali divinitus superadditur; igitur: **a.** praecepta a libera Dei voluntate pendentia; **b.** mysteria secundi ordinis, circa quae vel a priori certum est, quod aliqua exsistunt. Quis enim, ut alia praetereamus, contendet, nulla esse in Deo decreta libera; haec autem, nisi revelantur, nobis innotescere nequeunt; **c.** mysteria primi ordinis, si quae exsistunt.

A posteriori, n.p. ex facto revelationis, novimus dari revera hujusmodi mysteria; ceterum id unum contendimus, a priori nullatenus ostendi posse, eorum exsistentiam repugnare. Sane qua via ratio ostenderet, in Deo, ente infinito, cujus naturam analogice tantum atque imperfectissime cognoscimus, nihil esse posse, quod intellectum nostrum undequaque transcendat; praesertim quum ex ipsis rebus finitis, quarum exsistentiam naturaliter novimus, multae vel acutissimis ingeniis post diuturnum studium obscurae maneant.

Probatur. Quum argumenta, in superiori thesi allata, nullo 18
negotio hic applicari queant, sufficiat breviter diluere difficultates, quas rationalistae revelationi mysteriorum, primi praesertim ordinis, opponunt.

Dicunt igitur:

1°. Dari non possunt mysteria, veritates intellectum huma-

[1] L. c., can. II. 3 cfr. can. IV, 1; cap. 4; DENZ. 1808, 1816, 1795 seq.

num absolute excedentes; objectum enim intellectus est omne ens, seu omne verum.

Resp. Objectum intellectus humani est omne ens: *dist.*; dummodo illi proportionetur seu rite proponatur: *conc.*; secus: *nego*. Intellectui autem humano in praesenti vita solum proportionantur res sensibiles et ea quae ex sensibilibus cognosci possunt. Atqui nulla ratione probatur ex rebus sensibilibus perveniri posse ad cognitionem omnis veri[1].

2°. Mysteria dicuntur quidem supra rationem, sed revera sunt contra rationem; quum enim, omnibus concedentibus, rationi non sint congrua, restat ut illi sunt incongrua seu contraria.

Resp. Mysteria rationi non sunt positive congrua, ita scil. ut per rationem inveniri, demonstrari, intellegi queant: *conc.*; ergo sunt rationi positive incongrua seu contraria, ita scil. ut ratio in iis evidentem contradictionem inveniat: *nego*.

3°. Revelatio mysterii est contradictio in terminis; revelare enim est amovere velum, mysteria autem, juxta conc. vat., etiam post revelationem „velamine contecta et quadam quasi caligine obvoluta" manent[2].

Resp. In revelatione mysterii removetur velum quantum ad exsistentiam rei, remanet vero quantum ad internam ejus possibilitatem. — Hinc etiam diluitur sophisma: mysterium revelari nequit, quin desinat esse mysterium.

4°. Auctor rationis non vult ut rationem abdicemus; atqui rationem abdicat, qui assentitur propositionibus, quae nec probantur nec probari possunt; tales autem sunt quae dicuntur mysteria[3].

[1] Cfr. V. LAAK, o. c., p. 23 seq. — [2] Const. *De fid. cath.* cap. 4, DENZ. 1796. — [3] Hanc et sequentem objectionem nuper recoxit E. LE ROY, *Qu'est-ce qu'un dogme*, in *Quinzaine*.

Resp. Mysteria sunt propositiones, quae nec probantur nec probari possunt: *dist.;* non possunt probari rationibus internis, ita ut earum veritas rationi illuceat: *conc.*; non possunt probari rationibus externis, n.p. testimonio historice certo et fide dignissimo, n.p. divino: *nego.* Atqui admittere res obscuras ob testimonium fide dignum, non est abdicare rationem, sed rationem sequi. „Sicut maximae amentiae esset idiota, qui ea, quae a philosopho proponuntur, falsa esse assereret propter hoc, quod ea capere non potest; ita et multo amplius nimiae stultitiae esset homo, si ea, quae divinitus revelantur, falsa esse suspicaretur ex hoc, quod ratione investigari non possunt"[1]. — Nec verum est, solas veritates practicas, regulas vitae practicae nobis ab auctoritate externa imponi posse, minime vero assensum veritatum theoreticarum. „Quum homo a Deo creatore et domino suo totus dependeat et ratio creata increatae veritati penitus subjecta sit, plenum revelanti Deo intellectus et voluntatis obsequium fide praestare tenemur"[2]. Quatenus autem mens moderna hujusmodi obligationem refugit, subjectionem Deo naturaliter debitam praestare detrectat.

5°. Deus non facit inutilia; inutile autem esset hominem docere propositiones, quae nullum sensum cogitabilem exhibeant, tales autem sunt quae vocantur mysteria.

Resp. Aliud est veritatem propositionis menti non illucere, aliud est propositionem nullum offerre sensum cogitabilem,

---

1905 (16 avril) et in libro: *Dogme et Critique*; cfr. *Rev. Thom.* 1905, p. 438, ubi tota doctrina Le Roy refutatur a Th. Pègues; cfr. etiam J. BITTREMIEUX, *Der pragmatische Dogmabegriff*, in *Theologie und Glaube*, 1912, p. 277.

[1] S. THOMAS, *S. c. G.*, I, 3. — [2] CONC. VATIC., const. *De fid.* cap. 3, DENZ, 1789, cfr. 1810; Decr. *Lam.* prop. 22a, cfr. DENZ. 1636 et Enc. *Pascendi*, DENZ. 2079, 2078.

a. v. sensu vacuam esse. Illud contingit, quoties non videmus, quomodo subjectum praedicato convenire possit, quod revera in mysteriis primi saltem ordinis obtinet; hoc contingeret, si conceptus subjecti et praedicati aut saltem alterutrius essent mere negativi. Porro conceptus, quibus mysteria apprehendimus, quum ex rebus sensibilibus divina admodum imperfecte repraesentantibus desumpti sint, analogi quidem sunt ac proinde positivo-negativi [1], minime vero pure negativi [2]. Quodsi adaequati esse nequeunt, sunt tamen aliquatenus distincti et saltem clari, ita ut unum conceptum ab alio apprime distinguamus. — Nec verum est, horum conceptuum contentum, si pressius consideratur, reduci ad metaphoram aut anthropomorphismum; nam id, quod expurgata quavis imperfectione conceptibus analogis exprimimus, etiam in divinis verificatur formaliter, seu secundum propriam definitionem,

---

[1] Cfr. BEYSENS, *Logica*, p. 22 et 23, *Dynam*, p. 97 seq. Quam imperfecta sit cognitio analogica pulchre ostendit cl. GUTBERLET his verbis: „Die analogen Ideen sind Schattenumrissen vergleichbar. Wenn wir die wirkliche Welt nicht selbst beobachten könnten, sondern sie aus dem Schatten der Körper, und den Stellungen und Beziehungen der Schatten zu einander, uns verständlich machen müssten, wie viele Vorgänge der wirklichen Welt müssten uns unbekannt bleiben? Alles, was nicht eine Veränderung der Umrisse und Grösze der Schatten herbeiführt, würde uns entgehen. Manches würde uns ganz räthselhaft vorkommen: wie dass ein Schatten in den andern eindringt; aus dieser Thatsache würden wir die Undurchdringlichkeit der Körper leugnen" (*Lehrbuch der Apologetik*, II², p. 18). Nihilominus umbrae projectae saltem aliquam similitudinem corporum et habitudinis eorum ad invicem exhibent, et ita ex iis corpora, utut imperfectissime, aliqua saltem ratione cognosci possunt. Hinc plurimum differunt a notationibus algebraicis, quae nullam rei similitudinem exhibent, proinde nullam de ea cognitionem ingerere possunt. — [2] Cfr. S. THOMAS, *De potentia*, 7, 5, c.

modo licet eminentiori. Itaque etiam in mysteriis satis apprehendimus sensum propositionis, seu quid sit illud quod nobis credendum proponitur, unde mysterium aptis verbis exprimere et ab omni alia propositione distinguere possumus. Quum autem de convenientia praedicati cum subjecto divino testimonio certioremur, per revelationem mysterii reapse veritatem secus inaccessam discimus.

Neque putandum est, hujusmodi cognitionem homini nihil prodesse. — a. Verum est, mysteria, quum etiam post revelationem positive intellegi et ex principiis rationis demonstrari nequeant, a nobis non cognosci scientifice per suas causas. At si plus est aliquam veritatem intellegere quam solam ejus exsistentiam cognoscere, haec ultima cognitio minime despicienda est, nam „de rebus nobilissimis quantumcumque imperfecta cognitio maximam perfectionem animae confert"[1]. b. Iterum verum est, mysteria systemati alicujus scientiae non incorporari. Nihilominus nulli scientiae contradicunt, nec proinde mentem humanam in duas partes incompossibiles scindunt[2], sed salva omni veritate, quam intellectus per seipsum attingere potest, hominem instruunt de rebus quae naturalem ejus capacitatem excedunt. c. Adhuc si verum esset, mysteria non conferre ad profectum scientiarum, nihil probaret contra utilitatem revelationis mysteriorum, quia Deus non in hunc finem revelationem suam dedit, sed in profectum religionis[3]. Atqui revelatione mysteriorum majestatem ac bonitatem Dei plenius cognoscimus et exinde in ejus reverentiam, gratitudinem, amorem efficacius permovemur. Cogita mysteria Trinitatis, Incarnationis, ss. Eucharistiae!

---

[1] S. THOMAS, *S. c. G.*, I, 5. — [2] Cfr. Decr. *Lam.* prop. 57, DENZ. 2057. — [3] Dicitur: *si verum esset*, nam, ut suo loco ostendetur, fides opitulatur rationi (cfr. *tract. de Fide*, no. 336), „rationem ab erroribus liberat, et multiplici cognitione instruit", etiam quoad scientias profanas.

19 PROP. 3. **Possibilis est revelatio mediata.** Certum est. — Quum nonnulli rationalistae illum imprimis divinae revelationis modum impugnent, quo veritates, toti genti aut universo generi humano destinatae, immediate revelantur paucis quibusdam hominibus, qui eas deinde nomine et auctoritate Dei aliis communicent, necesse est ex professo ostendere possibilitatem revelationis (sive quoad modum tantum, sive quoad substantiam supernaturalis) mediatae. Agitur autem de possibilitate concreta, quae non adesset si revelatio mediata divinam sapientiam ac bonitatem dedeceret.

Ceterum asserimus possibilitatem revelationis mediatae sub conditione, quod Deus eam quibusdam characteribus, divinam originem attestantibus, insignierit. Cujusmodi autem illi characteres esse possint aut debeant, explicabitur ubi de cognoscibilitate revelationis sermo erit.

20 *Probatur.* Revelatio mediata possibilis dicenda est, si neque ex parte Dei, neque ex parte hominis repugnat.

Atqui: 1°. *Non repugnat ex parte Dei.* Evidens est, Deo non deesse *jus*, ut quosdam homines legatos ac ministros suos constituat, a quibus alii omnes religionem discere debeant; neque *potentiam*, qua provideat, ut doctrina revelata etiam per multa saecula ét incorrupta custodiatur, ét indubiis divinae suae originis signis praefulgeat.

Dici autem nequit: Deum, si revelationem dare velit, pro sua *sapientia* et *bonitate* teneri, singulos homines immediate docere, quia revelatio mediata non nisi lentissime per orbem evulgabitur, et insuper a multis rejicietur. — Etsi enim hujusmodi rationes efficiunt, revelationem immediatam ex hac parte mediatae praestare, verum manet, etiam mediatam esse ingens beneficium; Deus autem, maxime in donis supernaturalibus, non tenetur ad melius [1]. Ceterum homines qui revelationem

[1] Admodum petulanter igitur J. J. ROUSSEAU: „J'aimerais

mediatam absque sua culpa non agnoscunt, sive quia in eorum regionibus nondum propagata est, sive aliis de causis, inde poenas non luent; quod vero a multis culpabiliter rejiciatur Deo utique imputandum non est. Aliunde infra videbimus, non deesse rationes, divinae sapientiae dignas, eligendi revelationem mediatam prae immediata. Et observa, difficultatem, ex lenta revelationis mediatae divulgatione petitam, certo non cadere in revelationem, quam Deus forte primis generis humani parentibus dederit.

2°. *Non repugnat ex parte hominis.* Nam ab *una parte* legati veritates divinitus acceptas, etiam mysteria, aliis communicare possunt; ab *alia parte* homines generatim ita comparati sunt, ut etiam in rebus divinis libenter ab aliis hominibus edoceantur, uti probatur ex facilitate, qua diversissimae gentes doctrinas religiosas acceperunt a viris, ad missionem divinam sive jure sive falso provocantibus. *Neque* impossibile hominibus erit, cum vera certitudine morali (quae in hujusmodi rebus sufficit) agnoscere divinitatem revelationis mediatae, quam Deus sigillo suo muniisse supponitur. *Denique* nec inde repugnat revelatio mediata, quod in ea ab hominibus doctrinam accipimus, et Deo credere tenemur; nam homines in casu nihil aliud faciunt, quam divina auctoritate doctrinam divinam proponere [1].

Scholion. *De convenientia revelationis mediatae.* — Revelatio mediata non solum possibilis, sed etiam conveniens dicenda est, nam: 21

a. Per eam Deus in supernaturalibus *eodem ordine procedit, quo in naturalibus* utitur. Quemadmodum enim in naturalibus

mieux avoir entendu Dieu lui même; il ne lui en aurait pas couté davantage et j'aurais été à l'abri de la séduction. Que d'hommes entre Dieu et moi". *Emile*, L. IV.

[1] Cfr. V. LAAK, *o. c.*, p. 25 seq.

quam plurima, quae Deus immediate facere posset, per causas secundas fiunt, ut v.g. homines alii ab aliis procreentur, instituantur, regantur; ita in hypothesi revelationis mediatae alii aliis divinam veritatem communicabunt. Hinc s. THOMAS: „Quum autem quae a Deo sunt, ordine quodam agantur, in manifestationem eorum quae sunt fidei ordinem quendam observari oportuit, scilicet, ut quidam immediate a Deo reciperent, alii vero ab his, et sic per ordinem usque ad ultimos"[1].

b. Per eam *connaturaliter et sponte oritur societas religiosa* supernaturalis, quum in hypothesi revelationis singulis immediate factae, per se nulla societas religiosa constitueretur. Possent utique homines etiam in hac hypothesi sacris quibusdam vinculis colligari, sed unio ét minus connaturaliter induceretur ét minus arcta esset.

c. Per eam aperitur *uberior occasio exercendarum virtutum*, humilitatis quidem et obedientiae in accipienda doctrina revelata, charitas vero erga proximos in ea aliis annuntianda.

Art. II.

DE NECESSITATE REVELATIONIS.

22 Ut omnis confusio vitetur, haec praenotamus.

Quum Deus ex gratuita benignitate hominem ad ordinem supernaturalem elevaverit, i. e. ei finem supernaturalem, modo rationali creaturae congruo prosequendum praefixerit, homo autem per sua naturalia hunc finem cognoscere nequeat, sequitur revelationem (quoad substantiam) supernaturalem *ex hac hypothesi*, et consequenter ad hanc Dei ordinationem, absolute necessariam esse. Hinc conc. vatic.: „Revelatio absolute necessaria dicenda est... quia Deus ex infinita bonitate sua ordinavit hominem ad finem supernaturalem, ad participanda

[1] *S. c. G.* III, 154.

scil. bona divina, quae humanae mentis intellegentiam omnino superant" [1].

Attamen de hac hypothetica revelationis necessitate in praesenti non agimus, sed unice quaerimus, num homines, ut religionem legemque naturalem sufficienter cognoscant, revelatione (utique quoad modum tantum supernaturali) aliqua saltem ratione indigeant. Finis autem hujus inquisitionis non est, ut agnita qualicumque revelationis necessitate, inde ad ejus exsistentiam concludamus, sed ut contra rationalistas, qui contendunt, saltem „non expedire, ut per revelationem divinam homo de Deo cultuque ei exhibendo edoceatur" [2], maximam revelationis utilitatem ex ratione ostendamus.

PROP. **Religionis naturalis cognitio congrua generi humano, ad falsorum numinum cultum semel dilapso, citra revelationem moraliter impossibilis erat.** 23

Ante omnia sensus propositionis quam accuratissime exponendus est.

1°. Agitur de *impossibilitate morali*, quae physicam possibilitatem supponit. Physice impossibile est, ad quod obtinendum vel efficiendum deest potentia seu facultas physica. Cognitionem, etiam perfectam, religionis naturalis homini physice possibilem esse, patet ex ipsis terminis: naturale enim homini non esset, ad quod attingendum vires ejus absolute improportionatae exsisterent [3]. Moraliter impossibile est, ad quod

[1] Const. *De fide cath.* cap. 2; DENZ. 1786. — [2] CONC. VATIC., l. c. can. II, 2; DENZ. 1807. — [3] Revelationis necessitatem exaggerant *Traditionalistae* et *Fideistae*, qui revelationem divinam simpliciter et absolute necessariam dicunt, eo quod nulla veritas religiosa, ne exsistentia Dei quidem, ab homine naturaliter cognosci valeat. Cfr. EGGER, *Enchir. Theol. dogm. gener.*, Ed. 5a, n. 70; theses a BAUTAIN et BONNETTY subscriptae; DENZ. 1622 seq. et 1649 seq.; J. BEYSENS, *Idealogia*, p. 195; J. AENGENENT, *Antimodernisteneed*, p. 8 seq.

obtinendum facultas physica praesto est, sed tot ac tantis difficultatibus impedita, ut de facto nunquam aut vix unquam obtineatur.

2°. Moraliter impossibilem dicimus *congruam religionis (ac legis) naturalis cognitionem*. Nomine cognitionis *congruae* intellegimus eam, quae sufficit ut homo de Deo ejusque cultu satis recte sentiat, ac totam suam vitam secundum regulas naturalis honestatis instituere valeat. Ad hunc autem finem non sufficit: a. cognitio unius aut alterius veritatis religiosae, v. g. exsistentiae Dei, sed requiritur cognitio *sat ampla* et evoluta veritatum theoreticarum et practicarum, v. g. cognitio unius veri Dei, conditoris ac provisoris omnium, modi illum colendi, immortalitatis animae, principiorum primariorum et secundariorum legis naturalis, cum eorum applicatione ad casus in proprio cujusque statu obvios. Ceterum ambitum cognitionis congruae in individuo determinare, aeque impossibile est ac definire, quot cibi et qualibus cibis homo indigeat ad sane vivendum. Neque sufficit b. cognitio dubia seu conjecturalis, aut foedis erroribus permixta; sed requiritur cognitio *certa*, et a magnis saltem erroribus libera. Denique non sufficit c. cognitio religionis post multos tandem annos, aut fere sub finem vitae acquisita; sed requiritur cognitio *matura* ex qua tota vita componi possit [1].

[1] Observa, cognitionem congruam, de qua supra, non coincidere cum cognitione, quae adhuc absolute sufficeret ad finem ultimum naturalem (de fine supernaturali enim omnino non agitur) obtinendum. Plures veritates tum speculativae tum practicae, quae requiruntur ut homo modo congruo in finem ultimum tendat, ideoque ad convenientem religionis naturalis notitiam pertinent, invincibiliter ignorari possunt, quin exinde assecutio finis ultimi reddatur plane impossibilis. Sane quicumque fideliter secutus fuerit conscientiae dictamen, etsi lumina admodum defectuosa habuerit, atque per consequens in pluribus sat foede, invincibiliter tamen, erraverit,

3°. Moralis impossibilitas congruae cognitionis religiosae asseritur respectu *generis humani*, seu totius societatis humanae, ac per consequens pro longe maxima parte hominum, non vero respectu cujuslibet individui. Si de singulis quibusvis hominibus ageretur, etiam de iis, qui acutissimum ingenium nacti in adjunctis felicissimis versantur, cognitio perfecta quidem, non vero simpliciter congrua, moraliter impossibilis dicenda videtur. Agimus utique de genere humano, quale de facto est, cum omnibus suis infirmitatibus atque defectibus.

4°. Praeterea sermo tantum est de genere humano, *ad falsorum deorum cultum jam dilapso*. Testibus ethnographis atque historicis, ante ortum christianismi apud omnes gentes (Judaeis tantum exceptis) falsorum numinum cultus cum magna morum corruptione vigebat, atque dominabatur, et eadem misera conditio adhuc obtinet, ubicumque doctrina christiana praedicata nondum est[1]. Haud asserimus, genus humanum semper in pessima ista conditione vixisse, aut necessario in eam devenisse, sed id unum contendimus: generi humano, *inducta semel ac stabilita idololatria*, cognitionem congruam religionis naturalis fuisse moraliter impossibilem[2].

---

fine ultimo non frustrabitur. — Cognitio congrua, de qua sermo habetur, medium locum tenet inter cognitionem perfectam, et cognitionem ad assecutionem ultimi finis absolute adhuc sufficientem.

[1] Mahumetani ex revelatione tum mosaica tum christiana hauserunt. — [2] Necesse non est in praesenti solvere quaestionem, undenam misera illa conditio generis humani, ac per consequens moralis impotentia religionem satis cognoscendi ortum habuerit. Polytheismum atque idololatriam non fuisse primitivam generis nostri conditionem, ipsa historia profana suadet. Ceterum ad praecavendas difficultates, haec *theologice* adjungimus. Deus de facto hominem a primo ipsius exordio ad ordinem supernaturalem elevavit et revelatione (primitiva) donavit, quam (substantialiter) integram conservare, generi

5°. Denique adjunximus verba: *citra revelationem*. Posita morali impossibilitate, quam explicavimus, sponte sequitur moralis necessitas alicujus auxilii supernaturalis. Concedendum est, Deum etiam alio remedio extraordinario providentiae suae, quam revelatione, uti potuisse ad hominum indigentiae subveniendum, unde verba: citra revelationem, intellegenda sunt ex hypothesi, quod Deus non aliud subsidium praeelegerit.

En igitur quo sensu et quibus conditionibus revelatio, quoad modum supernaturalis, generi humano fuerit necessaria.

---

humano certo non solum physice, sed etiam moraliter possibile fuit. Gentes autem suâ sulpâ indulgendo concupiscentiis ac vitiis suis, primo quidem in pessimos mores, deinde etiam in idololatriam deciderunt. Miserrimum hunc defectum induxit mala voluntas hominum, auxiliantibus tamen, ut ita dicam, prava concupiscentia et ipsius rationis superioris (i. e. rationis, in quantum intendit rebus *aeternis*) imbecillitate. At ipsa prava concupiscentia et rationis infirmitas non fuerunt in homine, qualis de facto creatus est, sed per peccatum protoparentis inductae sunt. Vides igitur, impotentiam moralem religionem congruo modo cognoscendi, totam quanta est, ex culpa generis humani ortam esse, ac proinde generi humano (non dico: singulis individuis) voluntariam fuisse.

Quaeres, an eadem impossibilitas moralis obtinuisset in *statu naturae purae?* In hypothesi naturae purae protoparentes creati fuissent in statu perfecto, tum secundum corpus, tum secundum animam, ideoque aut in ipso ortu suo jam instructi fuissent cognitione religionis congrua, aut saltem eam fere statim sibi comparassent sub auxilio Dei speciali quidem, sed tamen naturali. Posteri autem cognitionem hanc a parentibus acceptam conservare etiam moraliter potuissent. An eam revera conservassent? Id profecto nescimus. Theologi tamen censent custodiam veritatis religiosae in hypothesi naturae purae fuisse faciliorem, quam fuit in statu naturae lapsae, sive quod concupiscentia et debilitas rationis non tantae fuissent, sive quod difficultates extrinsecae ex impugnatione diaboli ortae non fuissent, sive denique quod providentia Dei validiora subsidia, naturalia tamen, tunc subministrasset.

Propositio *certa* est, et continetur in conc. vatic., dicente: 24
„Divinae revelationi tribuendum est, ut ea, quae in rebus divinis humanae rationi per se impervia non sunt, in praesenti quoque generis humani conditione ab omnibus expedite, firma certitudine, et nullo admixto errore cognosci possint. Non hac tamen de causa revelatio absolute necessaria dicenda est, sed quia"[1], cet.

Probatur. Ad probationem theseos ostendemus: 1°. gentes paganas congruam religionis ac legis naturalis notitiam mi-

[1] Constit. *De fide cath.* cap. 2, DENZ. 1786. — Concilium hoc loco agere, neque de cognitione omnino perfecta religionis naturalis, neque de minima quacumque cognitione religiosa, sed de *convenienti quadam mensura* cognitionis, tum ex ipsis verbis, tum ex Actis colligit GRANDERATH, *Constit. dogm. Conc. Vatic. ex actis explicatae*, p. 78. Jam concilium affirmat, possibilitatem moralem illius cognitionis respectu generis humani, quale de facto est, ex revelatione pendere; ergo sine revelatione talis possibilitas non aderat, a.v. congrua cognitio de facto erat moraliter impossibilis. Addendo verba *in praesenti conditione* synodus ostendit moralem impossibilitatem, quam docet, adesse non per se, sed tantum per accidens et ex quadam suppositione. Quaenam sit haec suppositio, synodus non addidit. Et multi quidem theologi videntur sentire, impotentiam moralem praedictam ex solo protoparentis peccato jam haberi; nos autem putamus id non satis probari, unde dicere maluimus, eam adesse suppositis tum natura lapsa, tum insuper universali idololatria postea inducta. Sententia impotentiam congruae cognitionis ex solo statu naturae lapsae repetens, a concilio vatic. saltem non docetur; imo videtur esse contra mentem patrum. In congregatione enim praeparatoria Rev^mus Relator, emendationem propositam abnuens, dixit: „Cum loquimur de praesenti hominis statu, utique etiam intellegimus hominem per peccatum lapsum" (*Collect. Lacens.* VII, p. 136, d). *Etiam* intelligimus; ergo non intellexerunt statum hominis lapsi *simpliciter et sine addito*, sed aliquid ultra. Quid autem hoc esse potest, nisi universalis defectio a cultu veri Dei?

nime habuis; 2°. eas mediis naturalibus ad hanc cognitionem surgere moraliter non potuisse.

25 1°. *Gentes paganae congrua religionis cognitione caruerunt.* Quum res in comperto sit, summa quaedam capita breviter indicamus. Turpissime erraverunt gentes circa unitatem Dei, plura numina admittendo; circa naturam et proprietates Dei: homines, animalia, solem, cet. adorando, aut saltem diis suis malas cupiditates et crimina adscribendo; circa cultum Dei: ebrietates, impudicitias, sacrificia humana in honorem deorum perpetrando; circa finem hominis: vel immortalitatem animae in dubium revocando, vel metempsychosim admittendo, vel paradisum turpem et homini indignum sibi fingendo, cet. Similiter foedissime errarunt in re morali: cogita immanem servitutem, exterorum odium, partuum abactus, infantium debilium aut male formatorum expositionem et interfectionem, fornicationes, aliaque pejora, quae usu communi et inveterato quasi honestata, pro vitiis non habebantur.

Et observa, talia admissa, perpetrata, propagata fuisse publice, praeeuntibus magistratu, sacerdotibus, philosophis, favente imo saepe jubente lege civili; idque non solum apud gentes barbaras, sed etiam apud cultiores, quae nonnunquam eo foedius in religiosis atque moralibus errabant, quo magis in re politica et militari, scientia et artibus eminebant.

26 2°. *Gentes ethnicae ad congruam religionis cognitionem surgere moraliter non potuerunt.* Ad finem praedictum gentes duobus tantum mediis naturaliter pervenire potuissent, aut propria singulorum inquisitione, aut adjutorio philosophorum. Atqui nec hoc, nec illa moraliter sufficiebat.

a. Non sufficiebant *propriae singulorum investigationes.* Quis non videt, ad congruam religionis cognitionem sibi comparandam, necessariam esse inquisitionem diligentem et

constantem. Ab hac autem plurimi homines impediuntur sive complexionis indispositione, sive rei familiaris necessitate, sive pigritia et animi levitate. Hinc *pauci admodum* in veritates religiosas studiose et constanter inquirunt. Hi autem ad praedictarum veritatum inventionem *non nisi post longum tempus* perveniunt; nam ad tam altas veritates per viam rationis capiendas requiruntur tum longum exercitium intellectus, tum multae cognitiones praeviae; quum praeterea anima, tempore juventutis vehementioribus passionum motibus agitata, minus apta sit ad hujusmodi investigationes. Denique sera haec paucorum cognitio plerumque *dubitationibus atque erroribus erit permixta*, quia propter debilitatem intellectus vis demonstrationis facillime aliquando ignoratur, et ratio probabilis tantum aut etiam sophistica pro demonstratione accipitur [1]. Ergo per proprios singulorum conatus, ad summum pauci quidam homines, per modum exceptionis, nunquam vero aliqua gens, aut hominum universitas ad convenientem religionis cognitionem pervenire moraliter potuisset.

b. Non sufficiebat *auxilium philosophorum*. Etenim philosophi gentiles, licet quidam ex iis in nonnullis praeclara tradiderint, *a.* ad congruam in materia religionis cognitionem, teste historia, *ipsi non pervenerunt*. „Nostis enim quam saepe falsa et absona, quam multa incerta et dubia tradiderint de vera divinitatis ratione, de prima rerum origine, de divina futurorum cognitione, de malorum causa et principio, de ultimo fine hominis aeternaque be.. .tudine, de virtutibus et vitiis, quarum vera certaque notitia nihil magis est humano generi necessarium" [2]. Deinde *β.* doctrinas saniores, quas ipsi attigerunt, *populos edocere noluerunt* sed intra scholarum septa fere continuerunt: sive quod Horatio consentiebant dicenti: „Odi profanum vulgus et arceo" [3], sive quod cum

[1] Cfr. S. THOMAS, *S. c. G.* I, 4. — [2] LEO XIII Enc. *Aeterni Patris* (in *Alloc.* cet. Ed. Desclée, tom. I, p. 96.) — [3] Od. III, 1.

Platone [1] et Varrone [2] falsam patriae religionem retinendam esse statuebant. Denique, etsi voluissent, γ. populos ad saniorem doctrinam erudire *non valuissent*, quum enim in plurimis inter se dissiderent, vitaque ac moribus vel propriae doctrinae contradicerent, omni auctoritate apud populos destituti exsistebant.

Quae autem diximus, *confirmantur* ex facto, quod nulla unquam gens, absque revelationis auxilio, ex ignorantiae et erroris baratro surrexit.

27 **Scholion 1.** *De philosophis recentioribus.* — Quae supra de impotentia philosophorum gentilium in materia religionis innuimus, magna ex parte applicari possunt iis philosophis recentioribus, qui religionem christianam rejecerunt. Quisnam ex iis naturalem veritatem de Deo, de nostra in ipsum relatione, de fine hominis, sine magnis saltem erroribus docuit? Nonne omnes fere in scepticismum, agnosticismum, monismum (vel idealisticum vel materialisticum) inciderunt? Unde si genus humanum, sicut olim, adhuc in errorum tenebris versaretur, nunquam per eos ad congruam religionis naturalis cognitionem perduceretur. Quodsi multi ex modernis philosophis, in doctrina morali tradenda, veteribus longe antecellunt, id non tam ipsorum ingenio, quam revelationi christianae, cujus veritate aut ipsi enutriti sunt, aut saltem undique circumdantur, et de qua vel inscii ac nolentes plura mutuantur, tribuendum est.

28 **Scholion 2.** *Necessitas revelationis, quam probavimus, non efficit, revelationem generi humano, ut supra dilapso, fuisse debitam, sed tantum Deo ter optimo convenire.* — Etenim : a. agitur de impotentia non physica sed morali tantum perveniendi ad cognitionem congruam, non vero de vera

[1] *De Republ.* L. IV. — [2] Cfr. s. AUGUSTINUS, *De Civitate Dei*, VI, 27 et 31.

impotentia morali perveniendi ad eam cognitionem, quam assecutio finis (naturalis) absolute requirit. b. Deinde, quod majoris momenti est, impotentia moralis religionem modo convenienti cognoscendi culpa hominum inducta est. Numquid Deus justus ac sapiens tenetur generi humano, primitivam cognitionem libere et culpabiliter abjicienti, aut saltem foedissime deturpanti, medio supernaturali succurrere? „Minime durus dici potest benefactor, negans extraordinario amplius modo subvenire pauperi, qui acceptis jam ab ipso largis pecuniis ad injurias ipsi inferendas abusus, miser factus est. Itaque nequidquam aliud ex necessitate revelationis licet concludere, nisi divinae bonitati, quae vel in mundo corporeo non tantum necessaria sed et utilia atque jucunda liberaliter usque largitur, valde utique *convenire*, ut humanae miseriae revelationis auxilio mederi dignetur, hominem vero debere magno desiderio revelationem exoptare, et, si quae impertita sit, ejus cognitioni studere cognitaeque sese addiscere" [1].

Art. III.

DE REVELATIONIS COGNOSCIBILITATE.

Parum prodesset revelatio divina, nisi ut talis ab hominibus **29**
agnosci posset. Hinc Deus, si aliquam revelationem impertire voluit, eam absque dubio insignivit quibusdam signis, ex quibus cognosci atque a doctrinis, divinam originem falso praetendentibus, cum certitudine secerni queat. Quemadmodum enim homo nullo praetextu excusatur ab obligatione, revelationem certo divinam acceptandi, ita sanam rationem ac proinde voluntatem Dei naturaliter cognitam offenderet, si ut divinam acceptaret doctrinam, de cujus divinitate ipsi prius non

[1] Ita OTTIGER, *Theol. Fundam.*, I, p. 147. Cfr. *Coll. Brug.*, 1914, p. 170.

constiterit. Signa autem seu rationes, ex quibus alicujus doctrinae origo divina dignoscitur, vocantur *criteria revelationis* aut *motiva credibilitatis*. Criteria revelationis, quia ex iis dijudicatur et discernitur (κρίνω), num talis doctrina vere sit a Deo revelata; motiva credibilitatis, quia intellectum movent ad judicium: haec doctrina, quia de ejus origine divina constat, rationabiliter fide divina credi potest (judicium credibilitatis) [1]. Vides igitur finem, ad quem inserviunt hujusmodi criteria, non esse ut (immediate) ostendatur veritas alicujus doctrinae, sed ut constet de ejus divina origine seu de facto revelationis.

Dicemus primo de *criteriis in genere;* deinde in specie de duobus criteriis, quae prae ceteris majoris momenti sunt, de *miraculis* scil. et *prophetiis*. Denique adjungemus pauca de *apologetica*, quae vocatur, *immanentiae*. Et adverte, quod non nisi de criteriis revelationis mediatae ex professo agimus.

§ 1. *De criteriis revelationis in genere.*

30 *Praenotandum*. Ratio humana non potest ex sese determinare, quibus praecise modis Deus revelationem, si quam dare voluerit, cognoscibilem reddiderit; hinc exsistentia plurium saltem criteriorum, de quibus sermo erit, nobis non nisi ex facto revelationis, ejusque historia innotescit. Neque alio fine hoc loco de iis agimus, quam ut eorum usus et efficacia cognoscatur. Unde finis praesentis inquisitionis proprie est, ut rationalistis dicamus: supposito quod Deus his et illis criteriis revelationem suam insignire voluerit, ea a nobis cum certitudine ut divina agnosci potest.

---

[1] *Criteria revelationis* cum *praeambulis fidei* (v. g. exsistentia et veracitas Dei) conveniunt in eo, quod utraque praerequiruntur, ut quis ad fidem venire possit; differunt exinde, quod criteria revelationis ostendunt, Deum esse locutum.

Criteriorum divisio [1]. Criteria revelationis sunt aut 31
interna (scil. doctrinae intrinseca): indoles n.p. ipsius doctrinae, de qua quaeritur utrum revelata sit, necne; aut *externa*, quae ab ipsa doctrina distincta sunt, et consistunt in factis historicis, alicujus doctrinae manifestationem praecedentibus, concomitantibus, subsequentibus.

Rursus utriusque generis criteria possunt esse aut *negativa*, si n.p. ostendunt nihil obstare, quominus aliqua doctrina possit esse a Deo, quin probent eam revera divinam esse; aut *positiva*, si ostendunt, sive probabiliter tantum, sive peremptorie, doctrinam revera a Deo profectam esse. Criterium positivum, quod divinam doctrinae originem cum majori vel minori probabilitate tantum probat, quamvis in unione cum aliis criteriis utilissime adhibeatur, per se solum utique non sufficit, ac proinde est criterium *inadaequatum*.

Criteriorum enumeratio et applicatio. 32

1°. *Criteria interna* sunt: *doctrinae veritas, honestas, praestantia.*

a. *Negativa.* Doctrina religiosa, quae sanae rationi aut morum honestati in nullo contradicit, ab omni contradictione libera est, neque cum alia revelatione certo divina pugnat, a Deo revelata esse *potest*. Quodsi vel una ex hisce conditionibus deest, a Deo esse nequit [2].

---

[1] Cfr. A. DE POULPIQUET, *La solidarité apologétique des motifs de crédibilité*, in *Rev. prat. d'apol.* 1912, tom. 13, p. 81 et 161. — [2] Advertendum tamen, non omnia philosophorum ac physicorum asserta pro indubitatis sanae rationis effatis habenda esse, et revelationem divinam posse continere veritates rationis captum superantes. Hinc patet, quam perperam rationalistae contendant, consonantiam doctrinae cum principiis rationis esse *unicum* verae revelationis criterium. Quomodo enim unicum revelationis criterium esset nota, quae **a.** per se non divinitatem, sed solam veritatem doctrinae probat, et **b.** mysteriis applicari nequit?

b. *Positiva.* Doctrina criteriis negativis satisfaciens, quae religionem ac legem naturalem satis plene, certo, et pure tradit, quin eam ex priori revelatione mutuaverit, cum *magna probabilitate* divinitus revelata censenda est; et haec probabilitas eo major est, quo plenius et perfectius religio naturalis traditur. — Ratio est maxima difficultas, imo moralis impossibilitas, saltem late dicta, religionem naturalem sola ratione ita perfecte cognoscendi. Quum tamen non sit omnino impossibile, aliquem eximii ingenii virum per sua naturalia ad hujusmodi cognitionem pervenire, criterium per se solum peremptorium, seu adaequatum non est.

Quodsi praeterea talis doctrina, per ea quae religioni naturali forte superaddit, humanae naturae indigentiis atque legitimis aspirationibus apprime respondeat (apte solvendo quaestiones, humanam mentem in materia religionis agitantes [1]; tradendo praecepta et instituta tum hominum conditioni optime congrua, tum ad promovendam pietatem, honestatem, ordinem socialem valde efficacia), *praesumptio* in favorem divinae originis adhuc *augetur*, quin tamen unquam, ex hisce indiciis tantum, ad plenam certitudinem perveniatur. — Ratio: ab una parte non facile virum sincerum persuadebis, humanum ingenium, cujus infirmitas in hujusmodi rebus satis nota est, doctrinam tam praestantem et tam salubrem ex proprio penu protulisse; ab alia parte non valebis argumentis peremptoriis demonstrare, talem doctrinam non nisi a Deo profectam esse posse, praesertim quum difficilium quaestionum solutio apta, seu verisimilis, non necessario sit solutio vera.

33 2°. *Criteria externa*: sunt *mores praeconis, doctrinae fructus* et *historia*, maxime vero *miracula* et *prophetiae*.

Praeco revelationis intellegitur *primus* ejus testis, ille scil.

[1] V. g. de origine hominis; quare tot calamitatibus subjicimur et concupiscentia premimur; de modo Deum per peccata iratum placandi; de sorte animae post mortem; cet.

vel illi, qui a Deo eliguntur ad revelationem primo inter homines promulgandam.

a. *Negativa.* Doctrina, cujus praeco sobria mente et bonis moribus praeditus quidem est, sed non ultra communem mensuram; quae fructum pietatis et honestatis ostendere quidem potest, sed non ita mirabilem; cujus diffusio et conservatio ex causis honestis sed naturalibus explicari valet, divinam originem habere *potest*, sed non necessario habet.

Contra religio, cujus praeco apparet homo vitiosus, divinam originem vix, aut ne vix quidem, habere poterit. Licet enim non absolute repugnet, Deum aliquando per improbos homines loqui, incredibile est, Deum sanctissimum et sapientissimum tali homine uti velle ad novam religionem promulgandam. Quis enim sibi persuadebit, Deum per seipsum, immediate, ad munus tam sublime et extraordinarium elegisse virum infamem et sibi infensum, cujus vita magnum praejudicium contra sacram doctrinam ingereret, ipsaque miracula ab illo patranda redderet suspecta [1].

Item religio, quae depravationem ac dissolutionem morum per se induxisse conspicitur, certo certius divina non est.

Denique doctrina, quae fraude, aliisque mediis inhonestis [2]

---

[1] Doctrina exposita minime infirmatur exemplo Balaam (*Num.* **22—24**) et Caiphae (*Jo.* **11**, 49—52), nam inter hos casus et casum fundatoris novae religionis nulla est aequalitas. — Neque ea, quae de primo revelationis nuntio dicta sunt, eodem jure applicari possunt posterioribus et ministris religionis jam fundatae; hi enim **a.** non immeditate ab ipso Deo eliguntur, et **b.** non *tantum* praejudicium ingerunt contra religionem, de cujus revelatione, antecedenter ad ipsorum praedicationem, aliunde jam constat. Et tamen quam vehementer et illi, male vivendo, nocent auctoritati religionis ab ipsis praedicatae! — [2] Mediis inhonestis aequiparanda est *vis armata*, nam ejusmodi coactio repugnat tum consueto agendi modo providentiae divinae, quae cum magna reverentia disponit de

propagatur aut sustinetur, nisi manifestum sit id contra proprium ejus institutum per accidens alicubi fieri, saltem valde suspecta est. Quodsi primus ejus nuntius fraude, cet. uteretur, certum esset, ipsum legatum divinum non esse.

b. *Positiva*. Doctrina, divinitus revelata audiens, cujus praeco vitae puritate eminet; quae insignes virtutum fructus maturavit; cujus diffusio et conservatio omnem exspectationem vincunt, probabiliter imo *probabilissime* divina est.

Quodsi aut mores praeconis, aut effectus producti, aut doctrinae propagatio vel persistentia ita mirabiles sunt, ut ex causis naturalibus explicari nequeant, sed speciali Deitatis auxilio tribuenda sint, cum *plena certitudine* de divina origine illius doctrinae constabit. Ratio: habetur in his casibus miraculum in ordine morali, de quo infra (in fine § 2) dicetur.

Denique *miracula* et *prophetiae*, dummodo cum doctrina, de qua agitur, debito modo connectantur, sunt criteria positiva et peremptoria [1], uti ex sequentibus §§ patebit.

34 **Criteriorum ad invicem comparatio.** — Ex praedictis facile inferes, criteria *negativa* eximiae utilitatis esse ad discernendam religionem, originem divinam falso praetendentem; sed ad agnoscendam doctrinam vere divinam non ita multum conducere.

Criteria *positiva* quod attinet, dicendum est *externa internis praevalere*, judicium enim de utilitate, praestantia, sublimitate alicujus religionis ét per se solum rem non plene conficit, ét, quum diligens singularum doctrinarum examen praeexigat,

---

homine, tum naturae religionis quae, nisi persuasione nititur et libere exercetur, nullius pretii est.

[1] *Protestantes orthodoxi* miracula et prophetias magis considerant ut media quam ut criteria revelationis, unde secundum ipsos potestas miraculorum desiit, cum religio christiana constituta fuerat. Cfr. BAVINCK, o. c., I², p. 349, 353, 361.

a paucis ferri potest, ét a subjectivis inquirentium dispositionibus non parum pendet [1]. Nihilominus internarum notarum usus generatim utilissimus est, tum ut animae simplices et sincerae ad argumenta externa libentius discutienda disponantur, tum ut demonstratio, ex historicis argumentis petita, inde confirmetur. Imo nonnunquam plane necessarius erit ad removenda praejudicia eorum, qui argumentis externis aurem praebere detrectant, vel quia religionem, de qua agitur, obsoletam esse vel absurditatibus scatere putant, vel quia opinantur religionem aliquam ipsis credibilem et veram fieri non posse, nisi exigentiis atque aspirationibus proprii cordis respondere probetur. Ceterum hujus loci non est inquirere, qua via in singulis casibus procedendum sit, ut quis incredulum lucretur; id enim plurimum pendet ab adjunctis. Sed quaerimus, quaenam argumenta, interna an externa, *objective et secundum* se aptiora sint ad probandam divinam originem alicujus religionis. Porro argumenta externa per se internis praevalere vel ex eo patet, quod revelatio divina, quum sit factum historicum, praecipue argumentis historicis stabilienda est.

Inter ipsa demum argumenta externa eminent *miracula* et *prophetiae*.

Atque ex his explicantur verba conc. vatic. [2]: „Ut fidei nostrae obsequium rationi consentaneum esset, voluit Deus cum internis Spiritus Sancti auxiliis externa jungi revelationis suae argumenta, facta scil. divina, atque imprimis miracula

[1] Cfr. A. DE POULPIQUET, *Quelle est la valeur de l'apologétique interne?* in *Rev. des scienc. phil. et théol.*, 1907, p. 449. — [2] Constit. *De fid. cath.* cap. 3, DENZ. 1790; cfr. can. III, 3, DENZ. 1812. Canon statutus est contra eos, qui rejectis aut saltem posthabitis criteriis externis, divinitatem religionis unice aut primario dignosci putant *ex interna experientia, sensu religioso, testimonio privato s. Spiritus, immediata certitudine fidei*, aliisque id genus. Cfr. *Coll. Lac.* VII, p. 528.

et prophetias, quae cum Dei omnipotentiam et infinitam scientiam luculenter commonstrent, divinae revelationis signa sunt certissima et omnium intelligentiae accommodata".

§ 2. *De Miraculis* [1].

Quia in quaestione de miraculis tota fere revelationis christianae probatio tamquam in suo cardine vertitur, paulo latius de hac materia agere necesse est. Dicemus de miraculi *notione, possibilitate, cognoscibilitate* et *probandi vi;* deinde pauca adjungemus de *miraculo in ordine morali.*

I. Miraculi notio et divisio.

35 „**Nomen** miraculi ab admiratione sumitur; admiratio autem consurgit, cum effectus sunt manifesti et causa occulta, sicut aliquis miratur, cum videt eclypsim solis et ignorat causam. Potest autem causa alicujus effectus apparentis alicui esse nota, quae tamen aliis est incognita, unde aliquid est mirum uni, quod non est mirum aliis, sicut eclypsim solis miratur rusticus non autem astrologus. Miraculum autem dicitur quasi

---

[1] Cfr. s. THOMAS, *S. Th.* I, **105**, 6-8; *S. c. G.* III, 98 seq.; *De Pot.* **6**. (Varios S. Thomae textus de miraculo collegit G. SICHIROLLO, *Nomenclatura tomistica nella teoria del miraculo,* 1909); F. v. TESSEN-WESIERSKI, *Die Grundlagen des Wunderbegriffs nach Thomas v. Aquin*; A. v. HOVE, *La doctrine du miracle chez S. Thomas et son accord avec les principes de la recherche scientifique,* 1927; A. ZACCHI, *Il miracolo,* 1923; G. SORTAIS, *La providence et le miracle devant la science moderne;* A. DE POULPIQUET, *Le miracle et ses suppléances,* 1913; L. DE GRANDMAISON, *Les signes divines et les miracles,* in *Rech. de science relig.,* 1914, p. 105; J. DE TONQUÉDEC, *Introduction à l'étude du merveilleux et du miracle,* 1916; *Dict. d'Apol.* (d'Alès) in voce: *Miracle.*

admiratione plenum, quod scil. habet causam simpliciter et omnibus occultam. Haec autem est Deus, unde illa, quae a Deo fiunt praeter causas nobis notas, miracula dicuntur" [1]. Et haec sunt miracula *simpliciter* (in sensu stricto, miracula absoluta): n⁰ **36—38** et **40**.

Quum autem substantia separata sit causa, non quidem simpliciter et omnibus, sed nobis hominibus occulta, effectus, qui praeter cursum consuetum naturae visibilis fiunt ab agente supra-humano, latiori sensu vocantur miracula: miracula *quoad nos* [2] (miracula relativa): n⁰ **39** et **40**.

Definitio miraculi [3]. Miraculum absolutum definitur: *effectus* **36** *sensibilis praeter ordinem totius naturae.*

Effectus *sensibilis*, qui scil. aut ipse sensibus directe subjacet, aut saltem sensibiliter manifestatur, ut v.g. scientia apostolis divinitus infusa; nisi enim effectus sit manifestus, admiratio non excitatur. Hinc conversio panis in corpus Domini miraculis, in sensu usitato, non annumeratur. Ceterum si etiam effectus suprasensibiles, ordinem naturae superantes, miraculis accensere volueris, parum interest [4]; sed hujusmodi miracula ad probandam divinitatem alicujus doctrinae inservire nequeunt.

---

[1] S. THOM. *S. Th.*, I, **105**, 7, c. Deus dicitur causa simpliciter occulta, non quasi ejus exsistentia nos lateat sed quia modus, quo Deus agit, a nostra cognitione remotissimus est. Miracula ratione ejus, quod sunt, vocantur etiam *virtutes;* ratione finis, in quem fiunt, scil. ad manifestandum aliquid supernaturale, vocantur *signa;* ratione excellentiae vocantur *portenta* seu *prodigia*. Cfr. *S. Th.* II, II, **178**, 1, ad 3. — [2] *S. Th.* I, **110**, 4, ad 2. Quoties in hoc tractatu mentionem facimus de creaturis spiritualibus, sive bonis sive malis, loquimur ex suppositione quod exsistant, eosque consideramus secundum communem sententiam eorum, qui exsistentiam spirituum creatorum admittunt. — [3] Cfr. J. TH. BEYSENS, *Natuurphilosophie*, p. 273-290. — [4] Cfr. S. THOM., *S. Th.* I, **105**, 7, ad 3 et *De Pot*, **6**, 2, ad 2.

Praeter ordinem totius naturae est illud, quod producitur praeter omnes modos, quibus res creatae operantur. Quum igitur sub ordine naturae contineantur omnes quarumlibet creaturarum vires et potentiae, miraculum est effectus facultatem effectricem omnium creaturarum superans.

Miraculum saepe vocatur effectus *insolitus*, non praecise quia rarum est, sed quia contingit praeter cursum naturae, cui assueti sumus, „unde si quotidie caeci illuminarentur, nihilominus miraculum esset" [1]. Sequitur, non omnes effectus, qui a solo Deo procedunt, miracula esse, sed eos tantum, qui fiunt praeter ordinem naturae inditum, seu qui ordini naturae aliqua ratione opponuntur eique derogant. Hinc neque creatio et conservatio mundi, per quas ordo naturae primum institutus est et perseverat, neque creatio quotidiana animarum rationalium, quae ad cursum consuetum naturae pertinet, ab eoque exigitur [2], miraculis accensetur.

37 **Auctor miraculi** [3]. — Evidens est, effectum omnem facultatem creatam excedentem, Deum tantum posse habere auctorem, seu *causam principalem*. Deinde quum de ratione miraculi sit, ut contingat praeter modum operandi cujuslibet

[1] S. THOM., *In II Sent.*, d. 18, q. I, a. 3, ad 2. — Nonnulli vocem *insolitus* ita intellegunt, ut dicant ad miraculum requiri effectum praeter *omnem* ordinem de facto constitutum, ideoque non solum praeter ordinem naturae, sed etiam praeter *ordinem consuetum gratiae*. Quo admisso, justificatio per baptismum et transsubstantiatio etiam ex hoc capite miracula non sunt, quum fiant secundum legem communiter servatam in ordine supernaturali gratiae. Ast, quamvis verissimum sit, praedictos non esse miracula, spectato ordine gratiae, melius videtur in doctrina generali de miraculis solum ordinem naturae respicere. — [2] Productio animae rationalis *non omni sensu* superat facultatem effectricem naturae, nam actio generativa parentum animam infantis aliqua ratione causat, non quidem perfective, sed dispositive. — [3] Cfr. *Stimmen*, 1913, tom. 85, p. 58.

creaturae, sequitur, nullam creaturam de suo aliquid conferre posse ad immutationem miraculosam physice perficiendam. Quatenus enim causa creata aliquid efficienter ad effectum operaretur, eatenus effectus non esset productus praeter omnem modum operandi creaturarum. Hinc creatura ad effectum miraculosum ne quidem per modum veri instrumenti, scil. instrumenti physici, concurrere potest. Sed *solus* Deus, nihil praeter eum, habet rationem verae causae efficientis in miraculis. Cave tamen ne inde concludas, creaturas nulla prorsus ratione ad miracula patranda posse concurrere; angeli enim et homines duplici modo concurrere possunt: aut *moraliter*, Deum precibus movendo, ut miraculum faciat, aut *potestative* aliquid coagendo, n.p. divinum imperium naturae praesentando, et ita imponendo rei necessitatem proximam, ut in ea nunc fiat sola divina virtute immutatio miraculosa. Et secundum hoc angelus aut homo dicitur *causa instrumentalis* vel *ministerialis* miraculi. Revera, qui ex motione Dei divinum imperium naturae intimat, aut, iterum ex motione divina, miraculum efflagitat, aliquo saltem modo habet rationem instrumenti divini ad operationem miraculosam [1].

Divisio miraculi. — Miracula imprimis dividuntur *pro* 38
diverso modo, quo facultatem naturae excedunt [2]. Sub hac

[1] S. THOMAS, *De Pot.*, 6, 4, c. — Si de quibusdam Sanctis legimus, eos dono miraculorum, gratia virtutum vel curationum insignitos fuisse, non ita intellegendum est, ac si habuissent aliquam virtutem, sive naturalem sive gratuitam, habitualiter in iis manentem, qua uti possent, quando vellent; sed significatur, Deum Sanctos illos frequenter motione transeunti excitasse, ut ad miraculosas operationes sive intercessione, sive potestative concurrerent. S. THOMAS, *l. c.* et *S. Th.* II, II, 178, 1, ad. 1; cfr. *Zeits. f. k. Theol.* 1918, p. 748. — [2] Aliam divisionem *pro diversa ratione, qua effectus ordini naturae opponitur*, i. e. qua repugnat dispositioni agentibus naturalibus inditae, invenies apud s. THOMAM, *De Pot.*, 6, 2 ad 3.

igitur ratione distinguuntur effectus, vires creaturarum superantes[1]:

a. Quoad *ipsam facti substantiam*, seu ratione sui, ita ut a natura nullo modo et in nullo subjecto produci queant v.g. compenetratio duorum corporum, glorificatio corporis humani.

b. Quoad *subjectum, in quo* fiunt, illi scil. effectus, quos etiam natura producere valet, sed non in tali subjecto seu materia, v. g. resuscitatio mortui; nam etiam natura vitam causare potest (saltem dispositive), in foetu scil., nullatenus vero in cadavere.

c. Quoad *modum, quo* fiunt, ubi n.p. agitur de effectu, quem natura etiam in hoc subjecto producere potest, sed non tali modo et ordine, v.g. gravis morbi aut vulneris sanatio repentina et absque mediis proportionatis.

Nota. Ex hac divisione solvitur quaestio, *quo sensu unum miraculum dici possit alio majus*. Quum enim effectus praecise ex comparatione ad facultatem naturae quam excedit, miraculum vocetur, illud miraculum recte dicitur alio majus, quod vires creaturarum magis excedit. Et ita inter miracula summum gradum tenent effectus, quoad ipsam substantiam facti naturae ordinem excedentes, quum effectus, quoad modum tantum vires creatas superantes, infimum locum habeant. Et observa, nullum effectum mirabilem, aut aliis mirabiliorem dici posse per comparationem ad potentiam divinam, haec enim sese ad omnia (intrinsece) possibilia prorsus aequaliter habet[2].

39 **Miracula quoad nos**. Creaturae mere spirituales, quum sub ordine totius naturae comprehendantur, miracula absoluta patrare nequeunt[3]. Nihilominus effectus homini admodum mirabiles producere possunt. Quia enim invisibiliter operantur,

[1] *S. Th.* I, **105**, 8, c. — [2] *S. Th. l. c.* — [3] Cfr. s. THOM. *S. c. G.*, III, **102**; DE TONQUÉDEC, *o. c.*, p. 239 seq.

et corporum vires, quas perfectius norunt quam homines, cum maxima dexteritate ac celeritate applicare valent, plura praestare possunt, quae consuetum cursum naturae visibilis excedunt, i. e. quae natura corporea sibi relicta, aut ab homine tantum applicata, vel nullatenus faceret, vel non tanta perfectione faceret. Circa hujusmodi autem mirabilia duo sunt observanda.

1°. Illa a miraculis absolutis non gradu tantum, sed *specie differre*; quum enim miracula simpliciter sola divina voluntate absque operatione agentis creati perficiantur, miracula quoad nos semper producuntur per applicationem virtutis creatae, ac proinde, stricte loquendo, non praeter sed secundum ordinem a Deo rebus inditum fiunt, quamvis nobis videri possint praeter illum ordinem contingere. Hinc s. Thomas docet, mira per spiritus creatos effici, non per modum miraculi, sed per modum artis [1].

2°. Mira hujusmodi, ad quae patranda propria virtus spiritus creati sufficit, ab illis produci non posse, nisi quatenus *Deus aut jusserit, aut saltem permiserit.* Spiritus enim, non minus quam aliae res creatae, ordinationi divinae providentiae totaliter subsunt. Quamvis autem hominis non sit, determinare quid Deus substantiis separatis permittere possit vel permittat, duo videntur manifesta, scil.: a. Deum non posse permittere, ut spiritus creati consuetum cursum mundi visibilis omnino pro libitu, et quandocumque velint, immutent, effectus mirabiles fere quotidie perpetrando; quod ceteroquin vel ipsa experientia testatur. b. Deum non posse permittere spiritibus aliquod prodigium patrare eo modo, et in iis adjunctis, ut homines inde indeclinabiliter inducantur in errorem religioni et bonis moribus contrarium. Ratio: talia permittere, sapientiae divinae repugnaret.

[1] *De Pot.* 6, 3, c.

40 **Finis miraculi.** — Sapientissimus Deus non operatur praeter ordinem totius naturae absque fine speciali. Finis autem specialis miraculi non continetur intra ordinem naturalem ; qui enim admitteret, ordinem naturae ad suam conservationem aliquando miraculis indigere, eo ipso poneret defectum praevisionis in Deo. Igitur miraculi finis pertinet ad altiorem providentiae ordinem, et est supernaturalis quaedam manifestatio divina, peculiare *testimonium divinum*. Jam quodlibet miraculum natura sua est testimonium omnipotentiae divinae, ordini naturae minime alligatae ; deinde haec ostensio potentiae ulterius a Deo ordinari potest in testimonium peculiaris benevolentiae aut irae erga aliquem, ad commendandam aliquam virtutem, ad manifestandam alicujus personae sanctitatem, ad confirmandam aliquam doctrinam, cet. Quod utrum fiat, ex adjunctis miraculi dijudicandum erit. Ratione hujus finalitatis miraculum ab omnibus habetur signum seu signaculum divinum, et saepe etiam simpliciter *signum* vocatur.

Jam angeli sancti, quum Deo conjunctissimi sint, nunquam immutant cursum consuetum naturae visibilis, nisi Deo aut jubente aut approbante. Hinc effectus mirabilis a bono angelo in favorem alicujus personae aut doctrinae productus, semper ac necessario involvit testimonium divinum erga hanc personam vel doctrinam. Et ita opus, praeter consuetum cursum naturae visibilis a bono angelo effectum, *in ratione signi divini* miraculo absoluto aequivalet. Hinc mirabiles effectus, facultatem naturae visibilis, non vero spiritus creati vires superantes, dummodo constet eos, sin minus a Deo, saltem a bonis spiritibus operatos esse, *vera miracula* (utique minora, et relativa tantum) dici possunt, et a recentioribus saepe dicuntur [1]. Quod et nos faciemus.

[1] Hi igitur miraculum, ita latiori sensu acceptum, definiunt : effectus sensibilis, praeter cursum naturae saltem visibilis, a Deo vel bono angelo productus. — Ipsa tribunalia ecclesiastica in causis canonizationis ut vera miracula etiam illa admittunt,

Dico: dummodo constet, illos effectus saltem a *bonis* angelis provenire, nam mira a malis daemonibus patrata, quamvis non fiant sine permissione divina, rationem signi seu testimonii divini nullatenus habent. Exinde mirabilia daemonum nunquam sine addito dicuntur miracula, sed vel portenta, vel miracula daemoniaca, aut falsa, cet.

Doctrina catholica de miraculis his verbis traditur a conc. vatic.: „S. q. d., miracula nulla fieri posse, proindeque omnes de iis narrationes, etiam in s. Scriptura contentas, inter fabulas vel mythos ablegandas esse; aut miracula certo cognosci nunquam posse, nec iis divinam religionis christianae originem rite probari, a. s." [1]. 41

II. Miraculi possibilitas.

Possibilitatem miraculorum consequenter negant, quicumque Dei, a mundo distincti, exsistentiam infitiantur: atheistae et pantheistae omnes; cum quibus rem non habemus. Sed agimus contra rationalistas, qui, Dei personalis exsistentiam concedentes, nihilominus nulla miracula fieri posse summa animositate contendunt, et ita quidem ut saepe ex hac praeconcepta opinione tantum libris, miraculorum narrationes continentibus, imprimis Evangeliis, fidem detrectent [2]. Dicemus autem ex professo de solis miraculis absolutis, quia horum possibilitate admissa, de reliquis vix movetur quaestio.

---

quae boni angeli propria virtute patrare posse existimantur. Cfr. BENED. XIV, *De Beatif. et Canon. Serv. Dei* l. IV, p. I, no. 17.

[1] Const. *De fide cath.* III, 4; DENZ. 1813. — [2] D. F. STRAUSS: „Es gibt überhaupt kein rein historisches Bewusstsein ohne die Einsicht in die Unzerreisbarkeit der Kette endlicher Ursachen, und die Unmöglichkeit des Wunders" (*Leben Jesu*, Ed. 3, Einleit. p. 86). — E. RENAN: „Que les Évangiles

42 PROP. **Supposita exsistentia Dei miracula possibilia sunt.** — *Dogma fidei* est ex conc. vatic.

Probatur. 1°. *Argumento positivo.* Ordo causarum secundarum a Deo, non per necessitatem naturae, sed per liberum voluntatis arbitrium institutus est; potuisset enim et alium ordinem instituere. Hinc sequitur, Deum ordini semel electo et instituto nullatenus adstringi, sed posse „praeter ordinem institutum agere cum voluerit, puta agendo effectus causarum secundarum sine illis, vel producendo aliquos effectus, ad quos causae secundae non se extendunt", vel „retinendo operationes rerum naturalium, ne agant quod natae sunt agere" [1].

43 2°. *Solvendo rationes adversariorum* in contrarium.

Dicunt: a. Qui ponunt, Deum posse operari praeter ordinem physicum, etiam admittere coguntur. eum agere posse praeter ordinem moralem v. g. faciendo ut perjurium bonum sit, approbando mendacium, cet. Utrumque enim ordinem Deus aequaliter instituit.

Resp. Negando paritatem. Deus praeter ordinem physicum agere potest, non praecise quia ordo physicus a Deo institutus est, sed quia ordo physicus ita libere a Deo institutus est, ut etiam alius eligi potuisset. Ordo autem moralis, seu lex naturalis morum, a Deo non libere institutus est, sed necessario ex attributis Dei moralibus profluit. Nec mirum: ordine physico referuntur res creatae ad invicem, quae relationes possent esse omnino aliae, quin inde cessaret necessaria

---

soient en partie légendaires c'est ce qui est évident, puisqu'ils sont plein de miracles et de surnaturel" (*Hist. des orig. du Christianisme*, I, *Vie de Jésus*, Ed. 19a, p. XLVIII). — Cfr. E. BRUNETEAU: *De quelques théories éliminatrices du miracle* in *Rev. prat. d'apol.*, 1914, tom. 18, p. 499, 561; 1915, tom. 19, p. 225, 362.

[1] S. THOM *S. Th.* I, **105**, 6, c.; *De Pot.* **6**, 2, c.

relatio creaturarum in Deum; ordine vero morali recte disponuntur liberae actiones creaturarum relate ad ipsum Deum, finem ultimum; unde sublato hoc ordine, creatura rationalis jam non referretur in Deum; quod utique sapientiae et sanctitati Dei repugnat [1].

Dicunt: **b.** Per miraculum derogaretur legibus naturae (legibus physicis), quae sunt immutabiles [2].

Resp. Leges physicae, i. e. *tendentiae naturales rerum ad certo modo operandum*, revera immutabiles sunt, permanentibus rerum naturis, cum quibus identificantur. At tendentiae illae in actum non exeunt, nisi simul adsunt *omnes conditiones requisitae*. Conditiones autem haud necessario adsunt; sed impediri, modificari, auferri possunt, tum (saepe) influxu causarum secundarum, tum (semper) influxu ipsius Dei.

Jam in miraculis naturalis rei inclinatio ad certo modo operandum nec aufertur, nec mutatur; sed Deus immediate per seipsum efficit, ut non impleatur aliqua conditio, a qua ejus exercitium pendet. Qua ratione Deus id faciat, nescimus, quod autem facere possit, indubium est ex ejus omnipotentia. Sane si homines interponendo aggerem aquas cohibere valent, quare divina virtus non potuisset efficere, ut aqua maris rubri staret, quin suam gravitatem amitteret? Si homo lapidem in altum projicere potest, quare omnipotentia divina non potuisset elevare corpus Christi, in coelum ascendentis? Si homo ope praeparationis chimicae saltem aliquo tempore rem a combustione defendere potest, quare Deus non potuisset protegere tres pueros ab igne camini, manente in flammis naturali tendentia ad comburendum [3].

[1] Cfr. *De Pot.* **6**, 1, ad 3; BEYSENS, *o. c.*, p. 282, cfr. p. 268 seq. — [2] P. PÉRIER, *Le miracle est-il une violation des lois de la nature?* in *Rev. prat. d'apol.*, 1920, tom. 30, p. 18 seq. — [3] Cfr. S. THOM: *De Pot* **6**, 1, ad 20. CH. RENOUVIER, christianismo minime addictus: „L'idée que nous avons des lois naturelles ne peut légitimement s'étendre jusqu'à nous

Quia igitur semper verum manet, res creatas, impletis omnibus conditionibus requisitis, secundum naturalem suam inclinationem operari, dicendum est in miraculis proprie non mutari aut suspendi ullam legem physicam, sed effectum legis, deficiente aliqua conditione requisita, in casu particulari suspendí aut immutari; quod, quum absque interventu causae naturalis fiat, recte dicitur, in illo casu particulari mutari cursum naturae.

Ineptum autem est dicere, impossibilem reddi omnem humanam praevisionem, omnemque scientiam, si admittatur Deum posse mutare cursum naturae; nam Deus id neque late, neque crebro facit, sed in casu particulari tantum et raro. Sane quis dicet incertum esse, num homo aquis inambulare volens mergetur, quia Petrus aliquando super mare ambulavit?

Dicunt: c. Miraculum fieri repugnat immutabilitati et sapientiae divinae; *immutabilitati* quidem, nam defensores miraculorum admittere coguntur, Deo non amplius placere ordinem naturae, quem prius instituit; *sapientiae* vero, quia ponere debent, Deum cursum naturae immutare aut pro libitu et absque causa, aut ad corrigendos defectus, praeter ejus voluntatem in rebus obtinentes, quod certe defectum providentiae in Deo argueret[1].

---

faire affirmer, que jamais une volonté supramondaine n'y introduit tel phénomène, que leur seul développement spontané n'aurait pas produit. Ainsi la raison et ce que nous connaissons des lois ne nous obligent pas à nier la possibilité des miracles. Nous n'avons pas non plus le droit de dire, que nous bannissons le miracle de l'histoire au nom d'une constante expérience, et qu'il n'y a pas eu jusqu'ici de miracle constaté" (*Phil. analyt. de l'histoire*, 1898, II, p. 366).

[1] Hinc arguit WEGSCHEIDER (*Inst. Theol. Christ. Dogm.* Proleg. c 1, § 12), mirum non esse, homines incultioris aetatis, qui promptiores erant ad considerandam potentiam quam sapientiam divinam, possibilitatem miraculorum facile admisisse: non attendebant enim, se, extollendo omnipotentiam, omnisapientiam Dei auferre. Cfr. BEYSENS, o. c., p. 285.

Resp. Miraculum non repugnat *immutabilitati* Dei; eodem enim aeterno decreto, quo Deus ordinavit consuetum naturae cursum, simul statuit, aliquando ei derogare per miracula. „Deus ab aeterno praevidit et voluit se facturum, quod in tempore facit; sic ergo instituit naturae cursum, ut tamen praeordinaretur in aeterna sua voluntate quod praeter cursum istum quandoque facturus erat" [1]. Igitur nulla est divinae voluntatis mutatio.

Neque repugnat *sapientiae* Dei; minime enim ponimus Deum aut absque causa rationabili, aut ad emendandam machinam naturae, a se nimis defectuose constructam, praeter ordinem institutum operari, sed propter alias causas sapientiae ejus dignissimas, quas supra jam indicavimus [2].

Scholion. *Convenientia miraculi.* — Ex fine miraculi, ostensione potentiae divinae, ordini naturae haud adstrictae, intellegitur, non solum possibile esse sed etiam maxime convenire, ut Deus interdum miracula operetur. „Nullo enim modo, ait s. THOMAS, melius manifestari potest, quod tota natura divinae subjecta est voluntati, quam ex hoc, quod quandoque ipse praeter ordinem naturae aliquid operatur; ex hoc enim apparet, quod ordo rerum processit a Deo non per necessitatem naturae sed per liberam voluntatem. Nec debet haec ratio frivola reputari, quod Deus aliquid facit in natura ad hoc, quod Deus se mentibus hominum manifestet, quum omnes creaturae corporales ad naturam intellectualem ordinentur quodammodo sicut in finem. Ipsius autem intellectualis naturae finis est divina cognitio. Non est ergo mirum si, ad cognitionem de Deo intellectuali naturae praebendam, sit aliqua mutatio in **44**

[1] S. THOM. *De Pot.* **6**, 1, ad 6. — [2] Cfr. supra no. **40.** Plane immerito igitur PAULSEN: „Wunder sind *Nothbehelfe*, wodurch die Dingen von aussen zurechtgerückt werden" (*System d. Ethik*, 1889, p. 343).

natura corporali" [1]. Et s. AUGUSTINUS: „Quia ille [Deus] non est talis substantia, quae videri oculis possit, et miracula [magna opera] ejus quibus totum mundum regit, universamque creaturam administrat, assiduitate viluerunt, ita ut pene nemo dignetur attendere opera Dei mira et stupenda in quolibet seminis grano, secundum ipsam suam misericordiam servavit sibi quaedam, quae faceret opportuno tempore praeter usitatum cursum, ordinemque naturae, ut non majora, sed insolita videndo stuperent, quibus quotidiana viluerant" [2].

III. Miraculi cognoscibilitas[3].

45 Nimis futilia sunt, quae, admissa Dei exsistentia, contra possibilitatem miraculorum afferuntur; hinc plures rationalistae, aliud subterfugium quaerentes, dicunt, miracula impossibilia quidem non esse, sed nunquam cum certitudine a nobis cognosci posse, aut saltem hucusque de nullo miraculo vere constare [4].

Et alii quidem contendunt, nunquam certo constare posse, praesertim apud homines qui postea vivunt, *de ipso facto*

[1] *S. c. G.* III, 99. — [2] *Tract.* 24 *in Jo.* no. I. — [3] Legatur GARRIGOU-LAGRANGE, *o. c.* II, p. 63 seq. — [4] RENAN: „Nous ne disons pas: le miracle est impossible, nous disons: il n'y a pas eu jusqu'ici de miracle constaté (*Hist. des Orig. du Christianisme*, I, p. XCVI). HARNACK: „Der Historiker ist nicht im Stande, mit einem Wunder als einem sicher geschichtlichen Ereignis zu rechnen . . . Jedes einzelne Wunder bleibt geschichtlich völlig zweifelhaft, und die Summation des zweifelhaften führt niemals zu einer Gewissheit" (*Dogmengesch.* I³ p. 63). Cfr. KNELLER, *Wunder und Evangelienkritik* in *Stimmen*, 1898, tom. 54, p. 117; A. SEYSENER, *Kenbaarheid van het wonder* in *De Kath.* 1913, tom. 143, p. 270; G. MATTIUSSI, *Cognoscibilità del miracolo*, in *La scuola catt.* 1908, p. 277, 435, 608, 704; J. GUIBERT: *Pour voir un miracle*, in *Rev. prat. d'apol.*, 1908, tom. 7, p. 439.

mirabili materialiter sumpto, num scil. vere contigerit eventus ille extraordinarius, qui sit miraculum. Et haec est quaestio *de veritate historica* miraculorum.

Alii vero ponunt, nunquam posse constare *de causa supernaturali* facti mirabilis, num scil. eventus vere sit a Deo vel bono angelo, et non ab occultis viribus naturae, hominis fraudibus aut a diabolo. Et haec est quaestio *de veritate philosophica* miraculorum.

Utraque igitur cognoscibilitas seu veritas, tum historica, tum philosophica, adstruenda est.

PROP. 1. **Facta mirabilia tum a praesentibus, tum a posteris, etiam post plura saecula viventibus, cum certitudine cognosci aliquando possunt.** — *De fide* est ex conc. vatic. praecitato [1]. 46

Propositio de sola *veritate historica* agit, eliminata interim omni quaestione de charactere supernaturali eventus observati aut attestati. Porro hac in re cavendum est a paralogismo, quo nonnulli moderni utuntur, dicendo factum miraculosum, eo ipso quod supponitur miraculosum = productum a causa nobis incognita, „demonstrari" non posse [2]. Impossibile utique est, veritatem effectus miraculosi probari ex ejus causis (demonstratione propter quid); sed minime sequitur exsistentiam talis effectus certo cognosci non posse, sive a praesentibus sensuum perceptione, sive a posteris legitimo testimonio. Quod, etsi cognitionem stricte scientificam non praebet, veram cer-

[1] Praeterea ad rem facit propositio a BAUTAIN subscripta (a^0 1840): „Revelationis christianae probatio ex miraculis Christi desumpta, quae testium ocularium sensus mentesque percellebat, vim suam atque fulgorem quoad subsequentes generationes non amisit. Haec eadem probatio in traditione omnium christianorum orali et scripta reperire est. Qua duplici traditione illis demonstranda est, qui vel eam rejiciunt, vel quin admittant, requirunt" (DENZ. 1624). — [2] Cfr. BEYSENS, *Denkleer*, p. 234, cfr. p. 201.

titudinem praebere potest (demonstratione quia) [1]. Certitudinem intellege moralem, quippe quae rebus historicis unice convenit. Neque asserimus, talem certitudinem acquiri posse de quolibet eventu mirabili, qui olim factus esse perhibetur, sed de aliquibus tantum, n.p. de iis, qui debito modo ad nos transmissi sunt.

Probatur. 1°. Quoad *praesentes*. Ad certam mirabilis facti praesentis cognitionem nihil aliud requiritur, quam ut testes sint sensibus integri, et debitam attentionem adhibeant. Sane miraculosum factum per se aeque facile, clare et certo sensibus percipi potest ac factum ordinarium; idque non solum ab hominibus doctis, sed etiam a simplicibus et rudibus, qui sensibus inferiores non sunt. Deinde ipsa facti insolentia majorem attentionem provocat, et ad rem diligentius explorandam excitat. Numquid v. g. impossibile aut difficile erat certo rescire, num homo concivis fuerit a nativitate caecus et postea viderit; num Lazarus fuerit quatriduanus in monumento, et postea vixerit? — Nimium ergo est, quod aliqui increduli postulant, ut scil. semper prophetia factum praecedat, resque juridica examinis forma aut a specialistis recognoscatur.

2°. Quoad *posteros*. Ut factum mirabile, a praesentibus rite exploratum, etiam posteris certo innotescat, requiritur et sufficit, ut testimonio fide digno transmittatur et conservetur. Revera nulla est ratio, cur testibus ad rem cognoscendam aptis, veracibus et consentientibus minus credamus de facto miro, quam de aliis; praesertim quum eventus plane insoliti audientium dubitationes et ulteriores investigationes provocare soleant, ita ut aliquorum nimia, si forte adfuit credulitas, aliorum incredulitate compensetur et corrigatur. Quod tunc maxime obtinet, quando audientium et transmittentium interest, rei falsitatem detegere. Nec certitudini obest longa saeculorum

[1] Cfr. BEYSENS, *Criteriologie*[2], p. 320 seq.

successio, licet enim factum recens imaginationem vividius percellere soleat, traditio, dummodo debitis conditionibus vestita sit, vim suam tractu temporis non amittit.

Objiciunt[1]: 1°. fieri miraculum physice impossibile est; errare autem aut decipere etiam mille testes, ceteroquin probatissimos, moraliter tantum impossibile est; ergo moralis certitudo in favorem miraculi semper eliditur physica certudine in contrarium. Iterum: experientia unius hominis, qui testatur v.g. mortuum surrexisse, vincitur experientia mille hominum affirmantium mortuos non resurgere. Et ita in quolibet miraculo contra unum testem mille insurgunt. 47

Resp. Fieri miraculum, seu effectum praeter ordinem naturae, per causas naturales physice impossibile est; fieri per causam primam nullatenus impossibile est, sed omnino possibile, ut ostensum est. Ergo certitudini morali, per testimonium fide dignum comparatae, nulla alia certitudo opponitur.

Neque experientia paucorum de resurrectione alicujus mortui eliditur contraria experientia millium; nam experientiae illae, quum non sint de eodem casu, invicem oppositae non sunt. — Non immerito igitur D. Hume, difficultatis inventor[2], addidit „omnem superstitionem necessario everti" argumento suo, *„si sit legitimum!"*

Objiciunt: 2°. saltem constat, homines christianos in admittendis factis miraculosis nimium credulos fuisse. 47a

Resp. Concedendum est quosdam christianos, imo quibusdam temporibus christianos generatim, sicut et reliquos homines nimis credulos fuisse; et ideo de ipsa religione optime merentur

[1] J. TONQUÉDEC, *La critique du témoignage en matière du merveilleux*, in *Rech. de science relig.*, 1916, p. 50. — [2] *An Inquiry concerning human Understanding*, 1748, I, 10, *Of miracles*; Cfr. A. DOODKORTE, *Over natuurwet en wonder*, 1913.

eruditi, qui ope artis criticae verum a falso discernere nituntur. Sed minime sequitur nullum factum miraculosum certo cognosci posse, aut omnia miracula, quae christiani admiserunt, leviter accepta fuisse. Applicentur regulae criticae, sobriae scil. et justae, nam sicut nimia credulitas ita et hypercritica vitanda est [1]. Immerito autem ex credulitate medii aevi adversarii inferunt, nimiam in hac materia credendi facilitatem necessario ac per se cum fide revelationis connecti. Connectebatur fidei per accidens; oriebatur enim ex defectu sensus critici, qui in hominibus, scientiarum naturalium exactitudine non assuetis et documentorum copia destitutis, facile explicatur. Quodsi superiorum saeculorum viri haud raro credulitate peccaverunt, nostri saeculi eruditi saepe in oppositam partem excedunt, sive quod methodum scientiarum physicarum in res historiae, religiosae imprimis, transferunt, sive quod, possibilitatem miraculi saltem practice excludendo, cum Renan judicant omnem de re supernaturali narrationem semper importare credulitatem aut imposturam [2].

48 PROP. 2. **Vera miracula a miris effectibus naturalibus et a daemonum portentis, certo dignosci aliquando possunt.** *De fide* est ex conc. vatic. praecitato.

Admissa veritate historica facti, character miraculosus seu *veritas philosophica* miraculi indaganda est, quod tum per testes praesentes, tum per posteros fieri potest. *Vera miracula* intellegimus non solum miracula absoluta, sed etiam relativa per angelos bonos patrata, de quibus jam diximus quod in ratione signi divini absolutis aequivalent [3]. Asseritur tantum, vera miracula *aliquando* cum certitudine dignosci posse, nec

[1] Legi meretur DE SMEDT, *Principes de la critique historique.* — [2] RENAN: „Nous maintiendrons donc ce principe de critique historique, qu'un récit surnaturel ne peut être admis comme tel, qu'il implique toujours crédulité ou imposture" (*l. c.*, p. XCVIII). — [3] Cfr. supra n° **40**.

mirum videri debet, rem quandoque plus minusve dubiam remanere; ubi enim non de confirmatione alicujus doctrinae agitur sed de sola ostensione singularis benevolentiae erga aliquam personam, puta liberationem e periculo, sanationem a morbo, cet., necesse non est ut homo omnino certus fiat, se per proprie dictum miraculum liberatum esse.

Probatur prop. ostendendo haud semper deesse media quibus certo innotescat aliquem effectum neque 1°. viribus naturae visibilis, neque 2°. operationi daemonum attribui posse. Quod si utrumque constiterit, verum miraculum admittendum esse patet.

Pars I. Ut certo sciamus, eventum mirabilem *non ab occultis naturae viribus, neque ab arte vel fraude hominum* provenire, saepe sufficit attente considerare tum naturam effectus, tum modum quo producitur. 49

1°. *Naturam effectus:* nonnulli enim effectus ejusmodi sunt, ut aut quantum ad facti substantiam, aut saltem quantum ad subjectum in quo fiunt, omnem naturae corporeae facultatem, omnemque artem humanam manifesto excedant, v. g. resuscitatio mortui, multiplicatio panum, ambulatio super aquas, cet.

2°. *Modum, quo effectus obtinetur:* etenim effectus, ad quem natura etiam in tali subjecto pertingere potest, certo naturae viribus attribui nequit, quoties constiterit aut nullum omnino medium adhibitum esse (si v. g. thaumaturgus nudo vocis imperio lepram subito mundavit, aut tempestatem sedavit), aut medium effectui manifeste improportionatum (si v. g. luto caecum curavit, aut umbrae tactu graves morbos illico abstulit). Omnis enim causa secunda mediis proportionatis omnino adstringitur.

Difficultates. Dicunt: a. nescimus, quousque vires naturae se extendunt: recole saeculi nostri stupendas inventiones[1]! 50

[1] Cfr. *Rev. apol.*, 1924, tom. 38, p. 344.

Resp. Concedo, nos id non semper scire; sed: *α.* aliquando negative scimus, nullam vim naturalem ad hunc effectum pertingere, v. g. ad mortuum vivificandum [1]; *β.* saepe etiam positive scimus, quid vires naturales in his vel illis adjunctis necessario efficiant: multae enim naturae leges nobis apprime notae sunt. Nonne corpus humanum in igne necessario comburitur, in aqua necessario mergitur? Ad dignoscendum autem miraculum non requiritur, ut insufficientiam omnium virium naturalium, in quibuslibet adjunctis possibilibus operantium, perspectam habeamus, sed sufficit ut sciamus vires, quae de facto interfuerunt, in his adjunctis, ad producendum effectum omnino impares esse. Numquid lutum aut saliva sufficere potest ad visum statim restituendum, tactus manus ad auriculam abscissam illico restituendam? Hinc etiam solvitur vulgaris objectio: proavi nostri impossibile judicabant v. g. ut quis ex Hollandia iter romanum intra tres dies conficeret aut Amstelodami exsistens cum amico parisiensi colloqueretur, cet. Impossibile judicarunt, ut quis *per media ipsis cognita* talia faceret; et recte quidem! Porro in dijudicando miraculo non quaeritur, num forte aliquando inveniri possint media ad effectum proportionata, sed num effectus explicari possit per media, quae reapse adhibita fuerunt aut saltem adhiberi potuerunt.

b. Thaumaturgus forte ingenuose applicavit vim naturalem, ceteris incognitam!

Resp. Undenam ergo thaumaturgus arcanam virtutem illam, ceteris ét antea ét tunc ét postea absconditam, novit? Quomodo eam tam ingenuose applicare valuit absque ullo machinarum aut instrumentorum apparatu? Nonne talia gratis admittendo, miraculum supponitur ad evadendum miraculum? Et accedit, quod thamaturgi non solent esse rerum physicarum professores.

[1] Cfr. BEYSENS, *Cosmologie*, p. 275 seq.

c. Quidni fortuita ignotae virtutis operatione adjuvari potuit?

Resp. Nonne plane absonum est supponere, effectum mirabilem occultae virtutis non semel, sed saepe, imo saepissime casu coincidere cum jussu aut nutu thaumaturgi? Et etiamsi de unica vice ageretur, nisi aliunde error praecaveri possit, divina providentia, cui etiam fortuita subsunt, permittere nequit ut deceptor tali coincidentia abutatur in confirmationem religionis falsae.

d. Forsan occulta quaedam fraus subfuit!

Utique fingi possunt adjuncta, in quibus simulatio miraculi reddatur possibilis. Ubi igitur attentis persona thaumaturgi, adjunctis et fine proposito, aliqua fraudis suspicio subesse potest, critica locum suum habet, quae nisi omnem suspicionem removeat, miraculum accipiendum non est. Ceterum in multis casibus ipsa facti adjuncta quamlibet fraudis aut doli suspicionem excludunt; cogita v. g. multiplicationem panum, resurrectionem Christi, cet.

e. Quam mira sunt, quae vi imaginationis et hypnotismo efficiuntur!

Minime infitiamur, imaginatione et suggestione miros subinde effectus praesertim in mulieres ac personas debiles produci, et etiam quosdam morbos, ex indispositione systematis nervosi oriundos, sanari posse; unde immodice quidem et captiose, non tamen omnino immerito quidam extollunt „fidem, quae sanat" [1]. Hinc in dijudicandis talium morborum curationibus

[1] J. CHARCOT in opusculo *Faith-healing* contendit, certam fiduciam sanitatis recuperandae, mediis naturalibus excitatam, sufficere ad explicandas omnes sanationes, quae in sacris peregrinationibus, cet. vere obtinuerunt. — De vi imaginationis, cfr. s. THOMAS, *S. Th.* III, 13, 3, ad 3; *S. c. G.* III, 99; *De Pot.* 6, 3, ad 7; *De Malo*, 4, 8, ad 13. Legi meretur GUTBERLET, *Lehrbuch der Apologetik*, II², p. 115—128;

magna prudentia adhibenda est. At, ut de aliïs miris, v. g. de mortuorum resuscitatione, panis multiplicatione, tempestatis sedatione, cet. taceamus, certum est plures morbos, eos scil. qui adjunctam habent gravem organorum laesionem, sola imaginatione et hypnosi aut nullatenus, aut saltem minime subito curari posse.

Addere liceat, facta hypnotica generatim doctrinam nostram non infirmare, sed confirmare. Miri enim effectus rite verificati, non nudo et simplici voluntatis aut vocis imperio producti inveniuntur, sed adhibitis nonnullis mediis psychicis, quorum proportionem ad finem intentum periti aut agnoscunt, aut saltem suspicantur.

Quatenus vero de quibusdam effectibus rite verificatis constiterit, eos viribus naturae tribui non posse, admittendus est agens suprahumanus, et applicanda sunt, quae statim dicemus in parte secunda probationis.

51 *Pars II.* Ut certo constet, effectum mirabilem, qui vires

---

J. B. KETTENMEYER, *Wunder und Suggestion*, in *Der Kath.* 1911, p. 344. — Ut sciatur, quanta levitate incredulorum coryphaei aliquando procedant ad eliminanda miracula, speciminis gratia haec transcribimus ex RENAN, *Vie de Jésus*: „Presque tous les miracles, que Jésus crut exécuter, paraissent avoir été des miracles de guérison. La médicine était à cette époque en Judée ce qu'elle est encore aujourdhui en Orient, c'est à dire nullement scientifique. Dans un tel état de connaissances, la présence d'un homme supérieur, traitant le malade avec douceur et lui donnant par quelques signes sensibles l'assurance de son rétablissement, est souvent un rémède décisif. Qui oserait dire, que dans beaucoup de cas, et en dehors des lésions tout-à-fait caractérisées, le contact d'une personne exquise ne vaut pas les ressources de la pharmacie? Le plaisir de la voir guérit! Elle donne ce qu'elle peut, un sourire, une éspérance et cela n'est pas vain"! *(Origines du Christianisme*, I, p. 270.)

naturae visibilis excedere noscitur, *ope pravorum spirituum* patratum non esse, plerumque sufficit attente considerare tum ipsum opus, tum operis adjuncta, praesertim moralia.

1°. *Ipsum opus;* quaedam enim sive quoad operis substantiam, sive quoad subjectum in quo, sive saltem quoad modum quo fiunt facultatem spiritus creati excedunt, ea n.p. de quibus constat, quod neque simplici motu locali, neque applicatione alicujus virtutis naturalis perfici queant, v. g. resuscitatio mortui (dummodo, v. g. per stabilitatem novae vitae, certum sit agi de vera resuscitatione, nam diabolus speciem demortui assumere, absolute loquendo, posset); instantanea curatio alicujus organi laesi, cet.

2°. *Adjuncta operis miri.* Quum enim ea, quae divinitus fiunt, undequaque decentia, bona, sancta, homini salutaria sint, in operibus maligni spiritus aliquid mali aut suspecti plerumque apparebit. Hinc:

a. Si *persona* mira patrans est homo improbus, superbus, levis, inanis gloriae cupidus, opus saltem suspectum erit; talibus enim instrumentis uti Deus non consuevit, maxime ubi de prima promulgatione alicujus revelationis agitur.

b. Si *modus*, quo mira fiunt, aliquid inhonesti, obscoeni, ridiculi habet; si impietatem, violentiam, crudelitatem sapit; si thaumaturgus in operando furore agitur, mentisque alienatione laborat, opus divinum non erit. Quinimo suspectum erit, quamprimum phaenomena religiosa totaliter absint, ita ut opus nec ad finem religiosum conferat, nec ulla professio religionis factum comitetur [1].

c. Si *finis* ad quem opus dirigitur, aut *effectus* quem habet, mali vel saltem Deo indigni sunt: v. g. si cedit in vanam thaumaturgi gloriam aut lucrum; si humanae curiositatis pabu-

[1] Cfr. A. BROS, *Comment constater le miracle*, in *Ann. de Phil. chrét.*, 1906, tom. 77, p. 250.

lum est; si superbiam, inobedientiam, discordiam nutrit; si morum dissolutioni favet; si ad doctrinam falsam, impiam, inhonestam, aut priori revelationi certo divinae contrariam, commendandam inducitur, Deum auctorem non habet. Idem teneto, si jam in antecessum contra hujusmodi portenta a vero Dei legato praemoniti sumus [1], aut si mirus effectus altiori virtute eliditur [2].

Et iterum animadvertimus, divinam providentiam permittere non posse, ut daemones naturali sua virtute ita utantur ad mira patranda, ut homines sinceri inde fere necessario decipiantur in negotio salutis. Unde, saltem ubi de confirmanda aliqua religione agitur, nunquam deerunt media ad portenta daemonis a veris miraculis discernenda.

52 **Scholion.** *Ex indole unius facti mirabilis, character aliorum eventuum aliquando cognosci potest.* — Pone hominem, qui se Dei legatum affirmat, unum aliquod factum perpetrasse, quod certo verum miraculum est, et simul plura alia, quae ipse quidem ut signa divina exhibet, sed quorum character miraculosus per se non ita manifestus est; facile intelleges, cuncta illa mira vera miracula haberi posse et debere. Quum enim de missione divina illius hominis jam constet, certo deceptor non est; ergo quoties se gessit ut miraculorum patrator, vera miracula patravit.

Contra, ubi de aliquo viro constiterit, quod semel ope daemonis portentum elicuit, aut per fraudem miraculum simulare conatus est, reliqua illius opera in favorem ejusdem causae patrata, quantumvis mira videantur, ut miracula recipienda non sunt.

---

[1] Cfr. e. g. *Mt.* 24, 24; *Mc.* 13, 22; *Deut.* 13, 1-3. — [2] Cfr. e. g. *Exod.* 7, 8-12; 8, 16-19.

IV. Miraculi vis probandi[1].

Superfluum ducimus ex professo ostendere, miracula plene 53
et peremptorie probare illud, in cujus probationem eduntur. Nimis enim apertum est, Deum omniscium et sanctum assertionem falsam sigillo suo confirmare nequaquam posse. Haec autem probandi vis non solum miraculo absoluto, sed etiam relativo, per bonum angelum patrato, inest: Deus enim sicut ipse operari nequit ad falsitatem comprobandam, ita nec jubere aut approbare potest, ut boni angeli id faciant. Et facile intellegitur, miraculum, etiam unicum, ad plenam rei probationem in perpetuum sufficere. Quod si dicitur, mentalitatem hodiernam probationem per miracula non recipere, eam miraculis potius offendi quam convinci, morbidus hic miraculorum timor nihil probat contra valorem objectivum argumenti ex miraculis [2].

Attamen ut aliqua doctrina religiosa per miraculum probetur, constare debet miraculum *aut immediate, aut mediate, ad confirmandam illam doctrinam* editum esse. Quemadmodum enim sigillum regium authentiam instrumenti non probat, nisi eidem imprimitur aut alligatur, ita miraculum, quantumvis historice et philosophice verum, non firmat doctrinam nisi in ejus favorem operatum esse cognoscitur; et haec est quaestio de *veritate relativa* miraculi.

Porro miraculum *immediate* in confirmationem doctrinae editur, si homo vel angelus aut expressis verbis, aut aequivalenter, n.p. per suum agendi modum, asserit, signum secuturum esse, ut omnibus innotescat divina origo ac proinde veritas talis doctrinae.

[1] Cfr. H. LESÊTRE, *La valeur probante du miracle*, in *Rev. du Clergé franc.*, 1908, tom. 56, p. 257. — [2] Perspicuum tamen est, cum hominibus hac mentalitate infectis caute procedendum esse, ita ut ab aliis argumentis ipsis magis proportionatis saltem incipiatur. Cfr. G. J. J. LOUWERENS, *Thaumatophobie of Wondervrees*, 1912.

Mediate in confirmationem doctrinae editur, si proxime fit in gratiam hominis, qui, legatum Dei sese perhibendo, aut diserte, aut aequivalenter, ad illud miraculum tamquam ad argumentum divinae suae legationis provocat. Sic enim miraculum, immediate probando divinam legati missionem, mediate demonstrat divinam originem doctrinae ab illo praedicatae. Repugnat enim Deum permittere ut verus ejus legatus doctrinam falsam, vel non divinam, ut divinam proponat.

54 **Difficultates,** quas increduli contra vim demonstrativam miraculorum opponunt, inanes sunt. Dicunt:

a. Miracula, utpote facta historica, non posse ostendere veritatem alicujus doctrinae; — at non contendimus miraculis immediate probari internam doctrinae veritatem; miraculum probat divinam originem doctrinae, factum divinae locutionis, quod, supposita veracitate divina, ad judicium credibilitatis sufficit.

b. Argumentum ex miraculis in circulo verti, quum primo ex indole doctrinae, cum qua factum mirabile connectitur, ad veritatem miraculi concludatur [1], et deinde ex eodem miraculo ad veritatem doctrinae; — falluntur tamen adversarii, nam circulus non est, si indoles doctrinae, ratione cognita, aliquando negative inservit ad cognoscendam veritatem philosophicam miraculi, ex quo deinde ejusdem doctrinae origo divina positive conficitur. Aliud enim est, ex quo veritas miraculi aliquando ex parte cognoscitur (n.p. *absentia manifestae contradictionis et pravitatis in doctrina)*; aliud, ad quod ex cognito miraculo devenitur (n.p. *divina origo ejusdem doctrinae)*.

c. Omnes fere religiones etiam falsissimas, miracula jactare! — Concedo, quod jactant; et ita testantur universalem generis humani sensum: religionem divinitus revelatam ét absque miraculorum probatione admittendam non esse, ét per miracula

[1] Cfr. supra no. 51, 2, c.

rite probari. Ceterum evidens est, vim probativam miraculorum non infringi ex eo, quod multi falso ad ea provocant. Quodsi miracula a religionibus falsis invocata, examini subjiciuntur, semper apparebit, ea vel historice vera non esse, vel si reapse contigerunt, aut philosophica veritate destitui, aut saltem in confirmationem illarum religionum edita non esse, a. v. relativa veritate carere [1].

V. Miraculum in ordine morali.

Hucusque de miraculis in ordine physico, de effectibus insolitis, scil. quos Deus aliquando operatur in natura corporali seu in rebus physicis; opportunum videtur pauca addere de *miraculis in ordine historico*, de iis nempe liberis hominum actibus, qui absque influxu speciali Dei explicari nequeunt et miracula in ordine morali dici consueverunt.

[1] Quamvis Deus hominibus, falsam religionem profitentibus, ad miraculum patrandum uti non soleat, id absolute facere potest, dummodo per adjuncta appareat, religionem thaumaturgi illo miraculo non commendari. Hinc BENED. XIV ratam habet conclusionem: „Fecit miraculum verum in confirmationem fidei, quam profitebatur ipse; ergo haec fides erat vera"; — minime vero hanc aliam: „Fecit miraculum, ergo fides ejus est vera" (*De Canoniz.* l. IV, c. 4, n^0 6); cfr. *Rev. prat. d'apol.* 1912, tom. 13, p. 479; *Pastor bonus*, 1915, tom. 27, p. 392 et 449; *Ned. K. St.*, 1916, p. 295; *Dict. Apol.*, in voce *Guérisons mir.* — Quoad portenta diaconi parisiensis, cfr. *Dict. de la foi cath.* in voce *Convulsionnaires*. Quoad narrationes miras Aesculapii, cfr. *Stud.* 1902, tom. 59, p. 367; *Rev. du Cl. fr.* 1917 et 1918. De Joanne Serguieff, vulgo patre Joanne a Croonstadt, sacerdote russico, plures narrantur sanationes miraculosae. Facta historica non ita certo constant; quodsi vera sint, saltem nihil probant in favorem schismatis, sed solum in favorem earum veritatum, quas ecclesia russica de vera religione catholica retinuit; cfr. JEAN DE CRONSTADT, *Ma vie en Jésus-Christ*, publié par A. STAERCK.

55 **Notio.** Est igitur miraculum in ordine morali *actio sensibilis vel series actionum sensibilium, ita difficilis ut vires morales hominis* (sub concursu Dei consueto) *ad eam non pertingant.* Unde consequens est, quod ejus ratio sufficiens in sola speciali motione Dei inveniri queat. Exempla sunt sanctitas Christi, celeris christianismi propagatio, constantia martyrum, uti suo loco ex professo ostendemus.

Miraculum ordinis moralis cum miraculo in sensu consueto *convenit* in eo, quod utrumque excedit facultatem naturae, et fit praeter leges communiter servatas; ceteroquin in pluribus a miraculo in ordine physico *differt,* nam:

a. In miraculo physico effectus excedit vires creaturarum physicas, et producitur praeter leges seu modos constantes et uniformes, quibus res physicae operantur, ita ut absque interventu divino sit *physice impossibilis.* In miraculo morali effectus excedit vires, non physicas, sed morales hominum, et producitur praeter mores humanos, i. e. praeter modum constantem et uniformem, secundum quem humana libertas in certis adjunctis operatur, ita ut absque interventu divino non quidem physice, sed *moraliter impossibilis* sit (nunquam fiat).

b. In miraculo physico effectus a *solo Deo perficitur absque interventu causae secundae,* in miraculo morali effectus proxime procedit a *causa secunda,* n.p. a voluntate humana, *sed tantum sub speciali auxilio Dei* [1].

[1] Naturam et proprietatem miraculi ordinis moralis optime describit R. v. NOSTITZ-RIENECK: „Übernatürliche Einflüsse auf das menschliche Geistesleben und insbesondere sogen. moralische Wunder verhalten sich ja ganz anders zu den Naturgesetzen der individuellen und sozialen Moral, als die physischen Wunder sich zu den physischen Naturgesetzen verhalten; letztere pflegen den Gesetzen entgegen zu sein, erstere sind den Gesetzen gemäss. Ihren übernatürlichen

Possibilitas miraculi in ordine morali specialem difficultatem non habet; quid enim prohibet Deum quandoque speciali influxu, sive directe sive indirecte, ita augere vires voluntatis humanae, ut homo velit et faciat, quae sibi relictus nunquam voluisset, nec perfecisset. 56

Cognoscibilitas etiam hic a duplici judicio pendet. Circa judicium de *exsistentia* facti (veritas historica) nihil specialiter animadvertendum venit. Ad judicium de *charactere miraculoso* facti (veritas philosophica) expendendi sunt mores humani; quid scil. in hujusmodi negotiis, talibus difficultatibus impediti, talibus praesidiis muniti, universaliter facere homines soleant. Hinc enim scitur, quid naturali suae conditioni relicti, moraliter possint, quid non. Observandum tamen, leges seu modos quos homines in agendo observant, moraliter tantum 57

---

oder übermenschlichen Charakter erhalten diese dadurch, dass in den Thatsachen und Vorgängen, aus denen sie bestehen, intellektuelle und ethische Kräfte in einer Weise und Vollendung bethätigt werden und Erfolge erzielen, welche über die gewöhnliche moralische Menschenkraft, die individuelle und die kollektive, hinauszuliegen scheinen. Wann aber ist das der Fall? wann kan ich sagen, dass Handlungen, die thatsächlich Menschen zu Urhebern haben und den Moralgesetzen, den sittlichen Idealen gemäss sind, die Menschenkraft, wie sie thatsächlich beschaffen ist, übersteigen? Unseres Erachtens zumal in diesen zwei Fällen. *Erstens* wenn in ihnen sich moralische Kraft in *beispielloser Vollendung* bethätigt. *Zweitens* wenn durch die soziale Wirkungen von edelster Art hervorgerufen werden, die in keinem Verhältnisse zu den angewendeten Mittel stehen, wenn *beispiellose Erfolge* durch sehr gewöhnliche Mittel erreicht werden. In beiden Fällen soll sich der Uebermenschliche Charakter aus der beispiellosen Eigenart der Vorgänge ergeben. Was kann man aber beispiellos nennen? Was ausserhalb aller historischen Erfahrung liegt, was sonst in dieser Weise oder Vollendung niemals und nirgends vorkam" (*Stimmen*, 1901, tom. 60, p. 132).

constantes esse ac proinde aliquas exceptiones, licet raras, in casibus particularibus admittere. Ut igitur prudenter judicari possit, adesse in casu speciale auxilium Dei, generatim requiritur, ut in determinato negotio[1] *multi* homines a consueto agendi more recedant, vel ut unus idemque homo id *frequenter* faciat. Hinc ut de veritate philosophica miraculi moralis satis constet, generatim requiritur aliqua *multitudo casuum*, major vel minor pro ingentiori actus arduitate.

58 **Vis probandi**, supposita veritate relativa, non minor est quam in miraculo physico; evidens enim est, Deum non posse specialiter concurrere ad stabiliendam doctrinam falsam, aut institutum pravum.

§ 3. *De prophetiis*[2].

I. Notio et definitio.

59 **Nomen** prophetiae ex communi recentiorum[3] sententia desumpta est a *προφάναι* = pro aliquo, vice alicujus loqui; ita ut propheta sit qui alterius sensa interpretatur, secundum illud AUGUSTINI: „Nihil est propheta Dei, nisi enuntiator verborum Dei hominibus"[4]. Hinc in Scriptura sensu *lato* prophetae dicuntur, quicumque ex instinctu Dei loquuntur de divinis, sive interpretando Scripturas, sive exhortando

---

[1] Quod supponitur undique honestum, secus enim speciale auxilium *Dei* a priori excluditur. — [2] Cfr. THOM. *S. Th.* II, II, 171-174; *De Ver.* 12; J. TOUZARD, *Comment utiliser l'argument prophétique*, 1911; C. PESCH, *Theol. Zeitfr.* V, p. 82-116. — [3] Minus recte s. THOMAS nomen prophetae derivat „a *πρὸ*, quod est *procul*, et *φάνος*, quod est *apparitio*, quia scil. eis aliqua quae sunt procul apparent" (*l. c.* 171, l. c.). — [4] Quaest. 17 in *Exod.* 7, 1.

populum, sive Deum laudando [1]. Quia autem qui instinctu divino loquebantur, plerumque occulta pandebant, sensu *magis restricto* propheta audiebat, qui occulta, sive praeterita sive praesentia sive futura, manifestabat [2]. Demum quia futura sunt maxime abscondita, propheta in sensu *stricto* ille est, qui futura praedicit. Et hoc sensu prophetiam nunc sumimus.

Definiri prophetia potest: *annuntiatio certa ac definita futuri alicujus eventus, qui ex causis naturalibus praevideri non potuit.* **60**

Dicitur: praedictio *certa*, ut excludantur tum merae conjecturae aut suspiciones, tum assertiones apodicticae quidem sed plane temerariae, quae n.p. non essent cum praescientia certa conjunctae. Prophetia principaliter consistit in cognitione.

Definita, nam praedictio ambigua, quae in omnem partem flecti, omnique eventui applicari posset, quemadmodum saepius erant gentilium oracula [3], prophetiae nomen minime meretur.

[1] Cfr. *Num.* **11**, 25-29; *I Cor.* **11**, 4-5; **14** passim. — Sunt qui docent, vocem נָבִיא (prophetam) etymologice idem sonare ac *qui furore agitur*. Res haud certa est; sed ex usu antiquissimo נָבִיא significabat *interpretem*: *Ex.* **7**, 1. Cfr. PROTIN, in *Rev. August.* 1905, p. 526; M. V. D. OUDENRIJN, in *Biblica*, 1925, p. 294 et 406; H. JUNKER, *Prophet und Seher in Israel*, 1927. — [2] Hinc v. g. explicatur *Mt.* **26**, 68: „Prophetiza nobis, Christe, quis est qui te percussit?" — [3] Exempla sunt: „Croesus, Halyn penetrans, magnam pervertet opum vim" (suam an hostium?); „Aio, te Aeacida (scil. Pyrrhum) Romanos vincere posse" (quis vincet?); „Ibis, redibis nunquam morieris in armis". Notatu digna sunt, quae de oraculis scripsit Apollinis CICERO: „Tuis [Apollinis] oraculis Chrysippus totum volumen implevit, partim falsis ut ego opinor, partim casu veris ut fit in omni oratione saepissime, partim flexiloquis et obscuris, ut interpres egeat interprete, et sors ipsa referenda sit ad sortes, partim ambiguis et quae ad dialecticam deferenda sint" (*De Divinatione*

Non tamen requiritur, ut futuri eventus maxima claritate, instar historiae, annuntientur; praedictio enim potest esse definita et simul propter metaphoras et parabolas adhibitas, cet. plus minusve obscura, praesertim antequam eventu impleatur.

Futuri eventus, qui ex causis naturalibus praevideri non potuit. Quodsi res a nullo intellectu creato naturaliter sciri potest, habetur prophetia *absoluta* (annuntiatio, procedens ex cognitione omnem intellegentiam creatam superante); si vero saltem intellectui humano innotescere naturaliter nequivit, erit prophetia *relativa*, seu quoad nos [1]; quae, si ope diaboli fiat, non vocatur prophetia sine addito, sed prophetia falsa aut divinatio.

61 **Cognitio prophetica** *(theologice* [2]). Deus creaturis, quas

II, 56). Quamvis autem oracula paganorum saepius ambiguitatibus constarent et fraudibus, non omnia sacerdotum artibus tribuenda sunt, quum frequenter etiam ope daemonum ederentur. Cfr. *Act.* **16**, 16; MINUT. FELIX, *Octavius* n° 26 seq.; CYPRIANUS, *De Idol. vanit.*, c. 7; CICERO, *de Divin.* I, 9.

De *libris sibyllinis* haec. Sibylla (*Σιὸς* = *Διὸς βουλή* = Dei consilium?) apud ethnicos erat nympha, quae concilia deorum de civitatibus regnisque pandebat. Primum una, postea tempore Ciceronis decem memorantur. Collectiones oraculorum, quae sub nomine harum Sibyllarum olim apud ethnicos exsistebant, interierunt, exceptis paucis fragmentis apud Plutarchum aliosque. Libri sibyllini XII qui hodie exstant (numerantur I—VIII et XI—XIV) diversis temporibus inter 200 a. C. et 300 p. C. confecti sunt ab auctoribus ignotis, partim judaeis, partim christianis. Cfr. *Kirchenlex.* in voce: *Sybillinische Bücher; Rev. Bibl.* 1904, p. 627; *Past. bonus*, 1919, tom. 31, p. 337; *Scholastik*, 1929, p. 54; *Dict. Apolog.*, in voce: *Sibylles.*

[1] Vides igitur prophetiam esse miraculum non potentiae, sed scientiae, miraculum dico aut absolutum, aut relativum. — [2] Cfr. *S. Th. l. c.*, **173**, 2; J. SCHETS, *De H. Boeken van het O. Verbond*, VI, 13; *Coll. Brug.*, 1910, p. 160 et 233; *Rev. des sc. phil. et théol.*, 1914, p. 218.

ut instrumentum ad effectus supernaturales adhibet, violentiam non infert, nec iis utitur modo ipsarum naturae contrario. Loqui autem absque intellegentia eorum, quae dicuntur, perfectioni humanae repugnat: amentium enim ac somniantium est. Hinc certum est apud patres et theologos, prophetas, veros scil., nunquam per modum delirantium verba proferre, sed semper *intellectu apprehendere* quae prophetant [1]. Quodsi imperfectam quandam prophetiae speciem (quam qui habet, ut Caiphas *Jo.* **11**, 51, propheta non vocatur) excipimus, prophetae: **a.** aliquatenus saltem, etsi forte valde inadaequate, intellegunt, quid sit illud quod Deus per illos annuntiare intendit; et **b.** sciunt, se illud a Deo accipere annuntiandum. Diximus: prophetas saepe valde *inadaequate* tantum intellegere, quid Deus intendat, quia enim „mens prophetae est instrumentum deficiens respectu principalis agentis; etiam veri prophetae non omnia cognoscunt, quae in eorum visis aut verbis vel etiam factis Spiritus s. intendit" [2]

Ad cognitionem propheticam duo concurrunt: acceptio seu *repraesentatio* rerum, quae fit per aliquas species et *judicium* de rebus repraesentatis, quod fit per lumen intellectuale divinitus auctum (lumen propheticum).

Repraesentatio rerum potest fieri aut *sensui*, quando scil. aliquid oculis vel auribus percipitur (ut *Dan.* **5**); aut *imaginationi*, quando exterius nihil percipitur, sed Deus phantasiae vel novas omnino species infundit, vel novo modo ordinat phantasmata prius a sensibus accepta (ut *Act.* **10**, 10 seq.); aut *intellectui*, quando Deus ipsi immediate menti novas species intellegibiles imprimit (ut factum est apostolis, scientiam in-

[1] SUAREZ: „prophetiae donum perficit hominem humano modo et perfecto: loqui autem sine intellegentia eorum quae dicuntur, non pertinet ad perfectionem humanam, sed est potius amentium et somniantium et aliquando usu rationis carentium" (*De Fide*, d. 8, s. 4. no. 1). — [2] S. THOMAS, *l. c.*, **4**, c.

fusam accipientibus). — Et ex hoc capite distinguitur prophetia *corporalis* (seu sensibilis), *imaginaria* [1] et *intellectualis*.

Judicium de acceptis consistit in eo, quod intellectus hominis divinitus confortatus, infallibili certitudine dijudicat et cognoscit, tum quid species acceptae significent, tum hoc sibi communicari a Deo.

Judicium hoc est pars *principalior* in cognitione prophetica, „quia judicium est completivum cognitionis. Et ideo si **a.** cui fiat divinitus repraesentatio aliquarum rerum per similitudines imaginarias (ut Pharaoni: *Gen.* **41**, et Nabuchodonosor: *Dan.* **4**), aut etiam per similitudines corporales (ut Balthassar: *Dan.* **5**), non est talis censendus propheta, nisi illuminetur ejus mens ad judicandum. Erit autem **b.** propheta si solummodo intellectus ejus illuminetur ad judicandum etiam ea, quae ab aliis imaginarie visa sunt, ut patet de Joseph, qui exposuit somnium Pharaonis. Sed **c.** sicut dicit AUGUSTINUS [2], maxime propheta est qui utroque praecellit, ut videat in spiritu corporalium rerum significativas similitudines et eas vivacitate mentis intellegat" [3].

II. Prophetiae possibilitas.

62 Admissa exsistentia Dei, negari nequit possibilitas prophetiae, nam: 1^0. ex praelectionibus philosophicis constat, Deum cuncta futura cujuslibet speciei cognoscere, et 2^0. supra jam vidimus, Deum scientiam suam homini communicare posse. Argumentum princeps rationalistarum in contrarium hoc est: Prophetia homini aut populo necessitatem imponeret perpetrandi quod praedictum est; repugnat autem, Deum benignis-

[1] *Imaginaria* adjunctam habet alienationem a sensibus; s. THOMAS, *l. c.*, 3. c. — Evidens est alienationem a sensu, quae in *exstasi* et *raptu* locum habet, perturbationi mentis e diametro opponi. — [2] *De Genes. ad litt.*, XII, 9. — [3] S. THOM. *l. c.*, 2, c.

simum et sanctissimum fatalismo favere et libertatem hominis auferre[1]. Sed: **a.** imprimis haec difficultas non tangit praedictionem eorum, quae ab usu libertatis humanae minime pendent, v. g. Deum hoc vel illud miraculum facturum esse; **b.** deinde etiam praedictio eorum, quae hominum actibus complenda sunt, libertati nullatenus nocet, non enim eventus locum habet quia praedictus est, sed ideo praedicitur quia reapse futurus est[2].

III. Prophetiae cognoscibilitas.

Sicut miracula ita et verae prophetiae saltem aliquando **63**
cum certitudine dignosci queunt, tum a praesentibus, tum ab iis qui loco aut tempore absunt. Et quidem:

1°. Constare nobis potest de *veritate historica* prophetiae; nam ad hoc sufficit, ut certo sciamus: **a.** rem modo apodictico et definito antea annuntiatam esse, et **b.** postea revera contigisse.

---

[1] Ita WEGSCHEIDER, *Instit. Theol.* I. c. 2, § 50. — [2] Haec de ipsa praedictione et de praescientia Dei, praecise *ut scientia* est, dicta sint; non enim ignoramus, scientiam Dei adjuncta voluntate esse causam rerum. Revera Deus futura non solum *prae*videt, sed etiam *pro*videt ut eveniant. Sed neque hinc destruitur humana libertas: divinae providentiae non solum ipsi effectus subduntur, sed etiam eorum causae et modi essendi; unde sicut Deus providit, ut hoc aliquando per me fieret, ita etiam providit, ut libere per me fieret. Cfr. s. THOM. *S. c. G.* III, **93.** — Nec quemquam moveat modus loquendi s. Scripturae: hoc factum est, „*ut* impleretur" prophetia (v.g. *Mt.* **1**, 22; *Jo.* **19**, 36); ita enim explicandum est: primum Deus ordinavit, hanc rem futuram esse; deinde quia ita ordinaverat, eam praedixit; postquam autem praedixit, eam, salvâ in omnibus libertate hominis, ad exitum perducit, tum ut suam dispositionem exsequatur, tum ut veridicus et fidelis appareat.

2°. Constare potest de *veritate philosophica* prophetiae. Ut certum sit, aliquam praedictionem eventu completam aut ab ipso Deo, aut a bono angelo, jubente vel saltem approbante Deo, provenisse, sufficit ostendere, eam neque praevisioni humanae, neque auxilio daemonum, neque temeritati cui casus favisset, tribui posse. Atqui illud saepenumero aut ex ipsa natura eventus praedicti, aut saltem ex adjunctis praedictionis apparet.

a. Praedictionem eventu completam *praevisioni hominis* adscribi non posse, plerumque patet ex indole eventus praenuntiati. Etenim effectus futuri, a sola libertate Dei pendentes, a nullo homine praesciri possunt; item plurimi eventus futuri, (aut totaliter, aut partialiter) a libera voluntate humana pendentes, ne probabiliter quidem ab homine praevideri possunt, maxime si non sola substantia eventus spectatur, sed etiam adjuncta temporis, modi, loci. Imo ex futuris, quae per causas non liberas evenient, multa praevisionem hominis evidenter superant, v. g. morbi contagiosi aut tempestates, post longos annos in determinata regione futurae, et generatim ea, quae casu eveniunt.

b. Praedictionem eventu completam *ope daemonis* factam non esse patet:

[1] Quia agimus de cognoscibilitate prophetiae, ut est criterium revelationis, de solis praedictionibus *eventu completis* verba facimus, nam prophetia nondum impleta ad confirmandam missionem aut revelationem divinam conferre nequit. Ceterum veritas philosophica etiam talis prophetiae aliquando certo cognosci potest, puta si miraculo confirmatur, aut si profertur ab eo, de cujus missione divina aliunde jam constat. — Prophetia, cui exitus non respondit, exinde falsa probatur, nisi ageretur de prophetia *conditionata*, qualis saepe est prophetia comminationis, etiamsi conditio non exprimatur. Cfr. s. THOM., *S. Th.*, II, II, 174, 1.

α. Aliquando ex ipsa natura eventus praedicti, quoties n.p. habetur prophetia absoluta. Futura, ex libera voluntate Dei aut hominum pendentia, a nullo intellectu creato cum certitudine cognosci possunt. Et quamvis diabolus, quia ingenio et longa saeculorum experientia praecellit, nonnullas actiones hominum liberas cum majori minorive probabilitate ex ipsius hominis indole, moribus, cet. praesagire valeat, multa alia sunt, quae ne conjicere quidem probabiliter potest, v. g. actus plenissimo sensu liberos aut pro adjunctis inverisimiles, actus adhuc valde remotos unâ cum adjunctis modi, temporis, loci, cet., mores et facta hominis post plura saecula demum nasciturí, populorum foedera aut bella adhuc remotissima et quorum nulla indicia, nulla spes aut timor apparet.

β. Aliquando ex adjunctis praedictionis. Ubi enim agitur de eventu, qui hominis quidem sed non daemonis scientiam superat (prophetia relativa), ex consideratione adjunctorum: personae et modi agendi praedicentis, finis atque effectus praedictionis, saepe dijudicari poterit, utrum praedictio Deo aut bono angelo, an vero daemoni tribuenda sit. Recole, quae agendo de miraculis diximus [1]. Et etiam hic observan-

[1] Cfr. supra n° 51. Legatur e.g. *II Esdr.* 6, 12 seq. — Ita v.g. quoad visiones et praedictiones somnambulismi, magnetismi, spiritismi interventus Dei aut angeli boni per adjuncta excluditur. Sane magnetizatores neque ii sunt, quos Deus ut instrumenta sua eligere soleat, neque ipsi se divinitus adjuvari unquam contendunt. Deinde modus agendi saepe minus honestus, aut saltem minus decens. Denique dona superna humanae curiositatis et vanitatis pabulum non sunt, neque ad quaestum dantur. Quaecumque igitur ex hisce certa veritate nituntur, aut naturaliter explicanda sunt, aut quatenus de impossibilitate naturalis explicationis moraliter constiterit, malo daemoni adscribenda erunt. Et recte observat OTTIGER (*Theol. Fundam.* I. p. 252), inter ea, quae in statu magnetico aut per spiritismum revelari dicuntur, nihil inveniri, cujus cognitio omnem intellectum creatum superaret, sed omnia sita esse in cognitione rerum jam exsistentium sed occultarum,

dum est, Deum pro sua sapientia et sanctitate non posse permittere prophetiam daemoniacam talem, per quam homines fere necessario fallerentur in negotio religionis. Quare saltem ubi agitur de praedictione in confirmationem alicujus religionis edita, non deerunt media, quibus vera prophetia a divinatione discernatur.

c. Praedictionem eventu completam per *temeritatem, cui casus favisset,* explicari non posse plerumque facile constabit. Mittimus ea, quae etsi non certo, probabiliter tamen praevideri possunt. At ubi res praedicta natura sua est prorsus incerta, aut inverisimilis, impletio fortuita vix unquam rationabiliter suspicari poterit, multo minus si res esset naturaliter impossibilis. Quis sibi persuadebit, praedictionem de partu virginis, de resurrectione alicujus demortui casu impleri? Quodsi eadem persona non unam rem sed multas praediceret, aut unam quidem sed cum diversis adjunctis, plane ineptum foret impletionem casui tribuere: „Sus rostro, ait CICERO, si humi litteram A impresserit, num propterea suspicari poteris Andromacham Ennii ab eo posse describi?" Denique divina providentia, cui etiam casualia et fortuita subsunt, certe permittere nequit, falsam religionem praedictionibus casu veris firmari ac suaderi.

De *vi probandi,* quae veris prophetiis, sive absolutis, sive relativis inest, nihil adjungimus, quum ea, quae supra de miraculis dicta sunt, nullo negotio prophetiis applicentur.

63a EPILOGUS. **De methodo immanentiae.** — Apologetica traditionalis tota in eo est, ut argumentis objectivis iisque potissimum externis factum revelationis probet et ita judicium

vel ad summum in prophetia relativa. — Legi merentur GUTBERLET, *Lehrbuch der Apologetik* II², p. 147-200 et REINHOLD, *Theol. fundam.* I, p. 206.

credibilitatis praeparet. Nostris diebus schola quaedam philosophorum ac theologorum imprimis in Gallia contendit, hanc methodum satis inefficacem esse, sin minus absolute et secundum se, saltem in concreto, quia mentalitati hodiernae non satis respondet.

Animus modernus, aiunt, aegre patitur ut sibi ab extra veritates imponantur (extrinsecismus), non movetur solis argumentis historicis factum revelationis attestantibus (historicismus), sed in seipso, in propria actione vitali exordium veritatis suscipiendae invenire cupit (immanentismus; autonomia). Praeterea refugit dialecticam abstractam, argumenta ad solam rationem speculativam pertinentia (intellectualismus); facilius capitur rationibus, quae totum hominem, i.e. praeter rationem etiam et imprimis vires volitivas, affectus scil. et voluntatem afficiunt, nam in consequenda veritate religiosa et morali primatum tribuit voluntati (voluntarismus, dynamismus moralis).

Ut igitur huic mentalitati occurratur, nova schola[1] exigit,

[1] M. BLONDEL, *L'Action*, 1893; *Lettre sur les exigences de la pensée contemporaine en matière d'apologétique*, 1896; CH. DENIS, *Esquisse d'une apologie philosophique du Christianisme*, 1898; L. LABERTHONNIÈRE, *Essais de Philosophie religieuse*, 1903; cet. — De hac materia legi merentur SCHANZ, *Neuere Versuche der Apologetik*, 1897 et (Tübinger) *Quartals.* 1903; PESCH, *Theol. Zeitfragen*, I, p. 66; LE BACHELET, *L'Apologétique traditionnelle et l'Apologétique moderne*, 1897; J. V. DE GROOT, *Summa apologetica*[3], p. 10; H. MAZZELLA, *Prael. Scholastico-dogmatic.* III[3], p. 626; GARDEIL, *La Crédibilité et l'Apologétique*, ed. 2, 1928; *Dict. Apol.*, in voc. *Apologétique* et *Immanence*; *Dict. de théol. cath.* in voce *Apologétique*; JOS. DE TONQUÉDEC, *Immanence*, 1913 (contra Blondel); *Rev. de Phil.*, 1913, p. 286; *Studiën*, 1904, tom. 62, p. 382; tom. 63, p. 427; 1909, tom. 72, p. 259 et 555; *Rev. prat. d'apol.*, 1911, tom. 12, p. 837, cfr. p. 641; 1912, tom. 13, p. 270, cfr. p. 749; A. DE POULPIQUET, *L'objet intégral de l'Apologétique*, 1911.

ut apologetica per viam *psychologicam* potius quam per philosophico-historicam incedat, *methodumque immanentiae* adhibeat, a. v. ut apologetica primordiales rationes suscipiendi religionem revelatam repetat ex ipso homine, i. e. ex intimis activitatis nostrae indigentiis et aspirationibus. Hinc apologetica immanentiae definiri potest: *methodus persuadendi hominibus religionem revelatam primario per rationes ex intimis naturae humanae exigentiis petitas, et viribus voluntariis adaptatas*[1].

63b **Processus** hujus apologeticae hic fere est. 1°. Qui intimam hominis, qualis de facto est, animam attente considerat, ejus cogitationes, desideria, totam actionem vitae diligenter examinat, inveniet hominem sibi in spiritualibus minime sufficere. Quicumque enim nobilissimas naturae suae aspirationes non extinguunt, eam evolutionem et perfectionem vitae religiosae ac moralis anhelant, quam lumine et viribus insitis attingere nequeunt. Est igitur in ipso homine, qualis jam est, desiderium quoddam et exigentia ineluctabilis veritatis ac virtutis, quae naturalem potentiam superant, veritatis et auxilii supernaturalis, a.v. revelationis et gratiae. Jam apologetica hujus exigentiae rationes sollicite exploret, earumque conscientiam apud homines excitet, non ut ex ipso homine realitatem supernaturalem eliciat, aut, qualis esse debeat, determinet, sed ut homo eam, si offertur, non jam ut rem alienam neglegat, sed ut bonum suum, ut postulatum propriae actionis diligat atque expetat. Siquidem intima experientia hujus exigentiae est punctum, ubi supernaturale naturae inseritur, conditio requisita ut supernaturale ab extra oblatum ab homine suscipiatur, agente imprimis voluntate.

2°. His praemissis apologeta proponat realitatem supernaturalem, ecclesiam scil. catholicam, cum suis doctrinis et

[1] J. V. DE GROOT, *Summa*, p. 13.

institutis, atque imprimis depingat vitam spirituali fertilitate divitem, ad quam ecclesia optimos quosque ex suis filiis erudivit atque erudit. Ostendat doctrinas et instituta ecclesiae optime respondere indigentiis et aspirationibus nostris, eas utilissimas esse ad plenam expansionem vitae spiritualis, per eas possibilem reddi vitam, omnibus votis expetendam, cujus expedita facultas nullibi extra invenitur [1]. Quod si factum fuerit, homo intimo cordis desiderio motus Christum ecclesiamque amplectetur et, posthabitis difficultatibus quas critica intellectualis movere potest, iis constanter adhaerebit, quia iis copulatur non arido ratiociniorum nexu, sed vitali amplexu totius animae. Poterunt tamen supperaddi argumenta historica, quae apologetica traditionalis afferre consuevit.

Crisis. — 1°. Putamus, apologeticam secundum methodum immanentiae, *qualem eam exposuimus,* nec ut inutilem aut fallacem ex integro reprobandam esse, nec ut simpliciter sufficientem approbari posse. 63c

a. Exigentia veritatis et auxilii supernaturalis adstruitur pro homine, qualis jam est. Porro scimus, hominem de facto ad finem supernaturalem destinatum et ad ordinem supernaturalem elevatum esse. Dummodo igitur exigentia, quae asseritur, repetatur non ex ipsius naturae principiis [2], sed ex

[1] Nonnulli viri, ut OLLÉ-LAPRUNE *(Le prix de la vie)* et G. FONSEGRIVE *(Le Catholicisme et la vie de l'esprit)* immanentistis in tantum consentiunt ut „convenientiam intellectualem et moralem christianismi", „identitatem ejus cum legibus vitae", omnibus aliis criteriis praeferant; cfr. *Studiën*, supra cit. — [2] Quod jam damnatum est a s. Pio V, cfr. DENZ. 1021, 1024 (errores Baji); et Pius X reprobavit methodum, quae demonstrare conatur *exigentiam* ad ordinem supernaturalem inesse humanae naturae: „Hic autem queri vehementer Nos iterum oportet, non desiderari e catholicis hominibus, qui, quamvis *immanentiae* doctrinam ut doctrinam rejiciunt, ea tamen pro apologesi utuntur; idque adeo in-

instinctu Spiritus s., hominem ad finem suum actualem invitantis, non habetur confusio ordinis naturalis et supernaturalis. Num vero gratia Spiritus s. reapse in omnibus aut plerisque hominibus, imprimis non baptizatis, verum desiderium, imo exigentiam boni stricte supernaturalis excitet, per consequens, num possibile sit omnes aut plerosque homines ad conscientiam hujus exigentiae perducere, dubitamus. Poterit tamen adesse et ad conscientiam perduci in aliquibus. Ceterum periculum est, ne apologeta facta suae conscientiae christianae in animos, ut ita dicam, neutrales transferat.

b. Quidquid afferri potest, ad ostendendum dogmata et instituta ecclesiae optimis humani cordis aspirationibus respondere, per ea vitam humanam, individualem simul et socialem, quam maxime nobilitari, cet. approbandum est. Hujusmodi enim argumenta multum valent apud viros excultos ac honestos, quos nonnunquam adjuvante gratia efficaciter permovent. Nihilominus paucis tantum hominibus apta sunt, quum praeterea eorum aestimatio non parum pendeat a subjectiva et mutabili audientium dispositione; unde etiam de constantia conversionis his tantum rationibus partae non ita multum confidimus: quo magis miscetur affectus, eo majus inconstantiae periculum. Quodsi quaeratur, num hujusmodi argumenta per se sola sufficiant ad veritatem divinam seu factum revelationis certo probandum, negative respondendum censemus. Directe non probant nisi excellentem utilitatem seu bonitatem religionis catholicae; ut autem ex bonitate ad originem divinam cum certitudine concludatur, constare debet, bonitatem, harmoniam cum natura, vim perfectivam actionis

---

cauti faciunt, ut in natura humana non capacitatem solum et convenientiam videantur admittere ad ordinem supernaturalem, quod quidem apologetae catholici opportunis adhibitis temperationibus demonstrarunt semper, sed germanam verique nominis exigentiam." Enc. *Pascendi;* DENZ. 2103; cfr. *Coll. Brug.*, 1909, p. 678, 570, 651, et 1914, p. 303, 440.

humanae tantam esse, ut possibilitas humanae inventionis penitus excludatur. Hujus autem rei probatio, certa scil., non ita facilis est, et immanentistae eam parum curant. Fundent rationes, quas immanentistae proferunt, praesumptionem validam; sufficiant per accidens quibusdam hominibus; non vero videntur argumenta absolute sufficientia ad probandum factum revelationis. Nisi autem de facto revelationis certo constet, fides divina, i. e. assensus propter Dei revelantis auctoritatem, impossibilis est. — Igitur apologetica immanentiae apud homines cultiores utiliter adhibebitur; respectu eorum, qui mentalitate moderna, ut supra, infecti sunt forsan necessaria erit, ut jam ex parte lucri fiant et ad accipienda argumenta philosophico-historica disponantur; sed ad judicium credibilitatis plene stricteque fundatum per se sola non perducit. Multum igitur abest, ut in locum apologeticae traditionalis substitui, haec vero ut obsoleta oblivioni tradi possit. Talia autem aut similia interdum insinuant, imo dicunt immanentiae patroni.

63d 2^0. Apologetica immanentiae commendari solet, ut specialiter accommodata iis, qui *praejudiciis kantianis* de impotentia rationis theoreticae ad objectivam veritatis cognitionem imbuti sunt. Praeterea ipsi ejus antesignani dogmatismo morali aut adhaerent aut favent. Porro ubi et in quantum neo-apologetica principiis kantianis imbuitur, omni valore intrinseco et objectivo destituitur et non nisi ut argumentum ad hominem adhiberi potest. Qui ponunt, rationem theoreticam ad cognitionem objective veram rerum metaphysicarum pertingere nequire, nonnisi per apertam inconsequentiam hanc facultatem rationi practicae attribuunt [1]. Sane si conclusiones rationis theoreticae non nisi subjectivam necessitatem habent, si non efficiunt rem necessario ita esse, sed necessario ita

[1] Cfr. v. g. BEYSENS, *Criteriologie*[2], p. 240 seq.

cogitari tantum, quare postulata rationis practicae necessitatem objectivam haberent, quare et ipsa ad formas mere subjectivas cogitationis non reducerentur? Igitur quantumcumque rationibus immanentistarum ostenderis, veritatem religionis catholicae esse postulatum rationis practicae seu conscientiae religiosae, *si theoriam de impotentia rationis theoreticae supposueris*, hominem kantianum lucrari potueris, sed ad comprobandam objectivam religionis catholicae veritatem reapse nihil profecisti.

SECTIO II.

DE VERITATE RELIGIONIS CHRISTIANO-CATHOLICAE.

Eliquatis quaestionibus praeviis, probare aggredimur, dari 64
revera in mundo religionem divinitus revelatam: *Christianismum, illum scil., quem profitetur Ecclesia Catholica.*

Revelatio christiana, quamvis non nisi per Jesum Christum, a quo et nomen habet, integra et completa facta sit, aliqua tamen ratione, n.p. secundum quandam formam inchoativam et praeparativam ad ipsos protoparentes ascendit[1]. Hinc in christiana religione, lato sensu accepta, triplex veluti stadium distinguere licet, n.p.:

1°. *Religionem primaevam,* quae nitebatur revelationibus impertitis protoparentibus et patriarchis, quibus Christus a longinquo et obscurius promittebatur: *stadium legis naturae*[2].

2°. *Religionem mosaicam,* uni tantum populo, n.p. Israelitico, per Mosem legatum divinum impositam, et postea per prophetas auctam ac locupletatam; cujus finis principalis erat praeparare adventum Christi, et religionis perfectae ac universalis ab eo instituendae: *stadium legis mosaicae.*

3°. *Religionem christianam,* proprie dictam, a Christo ejusque apostolis pro universo orbe in perpetuum promulgatam;

[1] Cfr. s. AUGUSTINUS, *Retract.* I, cap. XIII, n. 3. — [2] Nomen illud non dicit, homines tunc temporis sub *sola* lege naturali vixisse, sic enim omnis revelatio pro illo stadio excluderetur, sed adhibetur per oppositionem ad legem mosaicam. Ex iis, quae in textu (sub 2°) leguntur facile concludes, stadium legis naturae pro hominibus ad populum Israeliticum non pertinentibus perdurasse usque ad legem evangelicam promulgatam. Cfr. W. SCHMIDT, *Die Uroffenbarung als Anfang der Offenbarungen Gottes,* 1913.

quae in concreto non alia est quam religio ecclesiae catholicae: *stadium legis evangelicae.*

65 Jam per se loquendo optima tractandi ratio ea foret, qua singulatim probaretur divina origo revelationis tum primaevae, tum mosaicae, tum demum christianae; ast quoniam haec via, licet maxime scientifica, longior est, alio modo procedere cogimur. Missa igitur demonstratione religionis primaevae ac mosaicae [1], immediate ostendemus divinitatem religionis christianae proprie dictae, qua comperta, in appendice pauca adjungemus de revelationibus praeparatoriis, quas ipse Christus ut divinas admisit et approbavit.

Demonstrationem vero religionis christianae ita peragere intendimus, ut simul appareat religionem illam divinam, quam Christus instituit, non aliam esse quam religionem ecclesiae catholicae. Hac ratione demonstratio christiana simul erit demonstratio catholica.

Diximus autem *religionem* ecclesiae catholicae: aliud enim est ostendere religionem seu doctrinam (theoreticam et practicam), quam profitetur ecclesia catholica, esse religionem divinam Christi; aliud est directe inquirere institutionem et constitutionem societatis ecclesiasticae. Illud jam in praesenti tractatu praestabimus, hoc alteri disputationi, quae *de Ecclesia* inscribitur, reservatur.

Demonstrationi christiano-catholicae adversarios habemus non solum protestantes orthodoxos qui divinam originem religionis *catholicae* infitiantur, sed etiam protestantes liberales et modernistas qui, divinitatem legationis et operis Christi negantes, perhibent Christum non determinatum doctrinae corpus docuisse sed inchoasse motum quendam religiosum

[1] Demonstrationes illas fusiori calamo pertractatas invenies v. g. apud OTTIGER, *Theol. Fundam.*, I, p. 341-514. De diversis methodis cfr. BELLAMY, *La Théol. cath. au XIXe siècle*, p. 210.

diversis temporibus ac locis adaptatum vel adaptandum [1]. Quos errores demonstrando divinitatem religionis christiano-catholicae refutabimus.

Universam materiam quatuor capitibus comprehendemus, ex quibus *cap.* 1 divinitatem doctrinae christiano-catholicae ope criteriorum internorum suadebit; tria reliqua eandem rem per criteria externa demonstrabunt, aliter tamen atque aliter. Nam in *cap.* 2 afferemus argumenta, quae directe divinam legationem ipsius Christi probant, ut inde breviter et quasi provisorie ad divinitatem religionis christiano-catholicae deveniamus. In *cap.* 3 exponemus argumenta, quae immediate ostendunt divinitatem operis Christi, n.p. religionis christiano-catholicae. Denique in *cap.* 4 utramque rem, divinam scil. legationem Christi, divinamque religionis catholicae veritatem confirmabimus ex prophetiis messianicis.

Ut autem modus procedendi omnibus ab initio planus sit, 66
brevem totius demonstrationis conspectum hic subjicere placet.

Ecclesia catholica asserit doctrinam suam revelationi divinae in Christo et apostolis promulgatae deberi; contendit enim: 1°. Christum divinitus missum esse ad religionem instituendam, 2°. seipsam vero a Christo mandatum accepisse, hanc religionem in perpetuum custodiendi et praedicandi.

Cap. I. *De praestantia religionis christiano-catholicae.* — Ipsa doctrina ecclesiae catholicae, paulo attentius considerata, tanta praestantia fulgere invenitur, ut omnino credibile, imo valde probabile sit, eam a Deo profectam esse. Hinc ad minimum cuilibet homini sincero obligatio incumbit accuratius examinandi titulos, qui pro divinitate illius religionis ab ejus defensoribus afferuntur.

---

[1] Cfr. Decr. *Lam.*, prop. 22, 54, 59; DENZ. 2022, 2054, 2059.

Cap. II. *De divinitate legationis Christi.* — Ex traditione orali et scripta certum est, Christum se legatum divinum esse professum. Atqui haec professio **a.** ipsius Christi moribus sanctissimis, **b.** prophetiis impletis, **c.** crebris miraculis, denique **d.** resurrectione Christi ex mortuis probata exsistit. Ergo Christus erat legatus divinus, et religio ab eo instituta divinitus vera est.

Religionem autem Christi — quod brevissime conficitur — sola ecclesia catholica custodiendam et praedicandam accepit. Ergo.

Cap. III. *De divinitate operis Christi, seu religionis christiano-catholicae.* — Ecclesia catholica profitetur, se a Christo institutam esse revelationis suae custodem ac magistram, ac proinde religionem a se praedicatam esse religionem divinam Christi. Atqui haec professio, seu divinitas religionis cathŏlicae **a.** multis miraculis in ordine physico, **b.** mira hujus religionis propagatione et conservatione, **c.** mirabilibus quos produxit sanctitatis effectibus, denique **d.** mirabili constantia martyrum, invicte probatur. Ergo religio ecclesiae catholicae vere divina est. Et hinc iterum mediate confirmatur divina missio Christi; apertum enim est, religionem catholicam non alio titulo divinam esse, nisi ratione suae institutionis per Christum.

Cap. IV. *De Christo ejusque opere divinitus praenuntiatis.* — Diu ante adventum Christi in sacris Judaeorum libris consignatae erant variae promissiones de eximio quodam Dei legato, atque de regno spirituali universali et indefectibili ab eo fundando: prophetiae messianicae. Praedictiones illae in Christo et in religione catholica adimpletae sunt. Ipsa impletio actu secuta ostendit, praedictiones illas fuisse veras prophetias, ex divina inspiratione editas. Hoc autem posito, ex iis validissime confirmantur tum divina

missio Christi, tum divina veritas religionis catholicae. Certo enim verus Dei legatus est ille, quem Deus ut talem praesignavit; certo opus divinum est religio, quam idem Deus diu ante ut regnum Messiae sui promisit.

CAPUT I.

De praestantia doctrinae christiano-catholicae.

Praenotandum. Argumentum ex praestantia doctrinae 67
christianae, si hoc loco ponitur, duplici ratione confici potest. *Vel* ita, ut describantur ea tantum doctrinae capita, quae juxta omnes christianos a Christo accepta sunt, ut inde concludatur talem doctrinam, tum generatim humanam inventionem superare, tum certissime a Christo, qui ne litteras quidem didicerat, naturaliter inveniri non potuisse. *Vel* ita, ut proponatur universa doctrina, quam profitetur ecclesia catholica (missa interim quaestione, an totum hoc doctrinae corpus secundum omnes suas partes a Christo proveniat), atque inde concludatur, talem doctrinam, a quocumque demum proveniat, inventionem humanam non esse. Qui primo modo procedere eligit, nonnisi doctrinam valde truncatam proponere potest; quam multa enim sunt, de quibus inter diversos christianorum coetus disputatur, utrum ad doctrinam Christi pertineat necne, quam multa, quae a diversis diversimode intelleguntur. Ut haec incommoda vitentur, atque ut argumentum nostrum directe militet in favorem doctrinae christiano-*catholicae*, alteram procedendi rationem praeferimus. Intentio igitur nostra in hoc capite non alia est quam ut ostendamus, doctrinam catholicam, spectata ipsa sua praestantia, saltem probabilius divinam esse. Dico: *saltem probabilius*, quum enim appretiatio criteriorum internorum a subjectiva cujuslibet indole ac dispositione nonnihil pendeat, valorem stricte de-

monstrativum iis attribuere non audemus. Inferes, caput praesens id maxime spectare, ut praeparentur mentes ad argumenta externa libentius discutienda, atque ex aequo et justo ponderanda [1].

68 PROP. **Doctrina christiano-catholica ex nullo capite Deo indigna est, imo tanta excellentia fulget, ut humanam inventionem superare omnino videatur.**

Prop. duabus partibus constat, quarum prior applicando criteria interna negativa ostendit doctrinam, de qua agitur, originem divinam habere posse; altera ope criteriorum internorum positivorum divinam originem ejusdem doctrinae, sin minus apodictice probat, saltem valide suadet.

Probatur pars prior: **Deo indigna non est.**

Doctrina Christi, vix orta, etiam ad gentes politiores devenit, et semper floruit in iis mundi partibus, quae cultura et scientiarum laude alias longe superabant. Praeterea semper multos impugnatores, imo acerbissimos osores habuit, ex quibus non pauci ingenii acumine eminebant [2]. Quamvis igitur sexcenties strictissimo examini subjecta fuerit, nemo unquam probare potuit, eam aut sanae rationi, aut morum honestati in aliquo contradicere. Quinimo si eos excipias, qui passionibus abrepti aut praejudiciis excaecati, ne quidem ab apertis calumniis abstinent, ejus impugnatores concedere solent, veritates theoreticas et practicas, ad religionem naturalem pertinentes, nullibi purius doceri quam in christianismo. Rationalistae quidem communi consensu omnes veritates, rationi non positive convenientes, ut ei contrarias respuunt, at in hoc non rationem sed praejudicatam opinionem sequuntur. Ceterum

[1] Cfr. *Coll. Brug.* 1914, p. 503. — [2] Difficultates plurimae, quas hodierni adversarii urgere solent, quoad substantiam jam saec. II notae erant. Cfr. J. MUTH, *Der Kampf des heidnischen Philosophen Celsus gegen das Christentum*, 1899.

argumenta particularia, quibus ostendere conantur, quaedam saltem christianorum dogmata v. g. ss. Trinitatem, ss. Eucharistiam, rationi contradicere, suis locis in decursu Theologiae Dogmaticae solvuntur, neque hic commode tractari possunt, quia ut plurimum accuratiorem dogmatis expositionem requirunt. Sufficiat igitur hoc loco animadversio generalis: speciem contradictionis inter doctrinas fidei et placita rationis vix non semper inde oriri, „quod vel fidei dogmata ad mentem ecclesiae intellecta et exposita non fuerint, vel opinionum commenta pro rationis effatis habeantur"[1].

Probatur pars altera: **humanam inventionem superare omnino videtur.** 69

Ad probationem hujus partis ostendi debet: 1^0. doctrinam christiano-catholicam revera magnopere excellere; et 2^0. doctrinam ita praecellentem causis naturalibus vix, aut ne vix quidem attribui posse.

I. *Praestantia doctrinae catholicae exponitur.*

1^0. Est systema religionis *completum et uber.* Praeterquam enim quod **a.** *universam* religionem naturalem magna puritate et certitudine tradit, etiam **b.** *lacunas* ejus abunde explet, v. g. per ea, quae docet de modo Deum colendi, remissionem peccatorum obtinendi, cet. et **c.** *quaestiones* altissimas, omnem humanum intellectum agitantes, aptissime solvit. Cogita doctrinam de origine mundi, de communi omnium ex uno parente ortu, de origine calamitatum vitae et pugnae intestinae, quam omnes experimur, de statu hominis in altera vita, cet. Unde merito s. THOMAS: „Nullus philosophorum ante adventum Christi, cum toto conatu suo, potuit tantum scire de Deo et de necessariis ad vitam aeternam, quantum

[1] CONC. VATIC., Const. *De fid. Cath.* cap. 4, DENZ. 1797.

post adventum Christi scit una vetula per fidem, et ideo dicitur *Is.* 11, 9: „Repleta est terra scientia Domini" [1].

70 2⁰. Est systema religionis *sanctissimum*. Considera: a. *regulam sanctitatis*. Praestituta doctrina nobilissima de Deo, omnium hominum patre amantissimo, suprema totius moralitatis regula ponitur: „Diliges Dominum Deum tuum, ex toto corde tuo . . . et proximum tuum sicut teipsum." Hinc fluunt omnia hominis officia. α. Erga *Deum*, cujus gloriae in omnibus et ante omnia studere, quem filiali amore simul et timore prosequi, in quem, rejecta rerum terrenarum nimia sollicitudine, promptam fiduciam

[1] *Expos. Symb.*, art. 1. — Quod ita evolvit TH. JOUFFROY, *Mélanges Philosophiques*, 1830, p. 330: „Il y a un petit livre, qu'on fait apprendre aux enfants, et sur lequel on les interroge à l'église. Lisez ce petit livre, qui est le *Catéchisme*: vous y trouverez une solution de toutes les questions, que j'ai posées, de toutes, sans exception. Demandez au chrétien, d'où vient l'espèce humaine, il le sait; où elle va, il le sait; comment elle va, il le sait. Demandez à ce pauvre enfant, qui de sa vie n'y a songé, pourquoi il est ici-bas, et ce qu'il devriendra après sa mort; il vous fera une réponse sublime, qu'il ne comprendra pas, mais qui n'en est pas moins admirable. Demandez-lui, comment le monde a été créé, et à quelle fin, pourquoi Dieu y a mis des animaux, des plantes; comment la terre a été peuplée, si c'est par une seule famille ou par plusieurs, pourquoi les hommes parlent plusieurs langues, pourquoi ils souffrent, pourquoi ils se battent, et comment tout cela finira: il le sait. Origine du monde, origine d'espèce, question de races, destinées de l'homme en cette vie et en l'autre, rapports de l'homme avec Dieu, devoirs de l'homme envers ses semblabes, droits de l'homme sur la création, il n'ignore rien. Et quand il sera grand, il n'hésitera pas davantage sur le droit naturel, sur le droit politique, sur le droit des gens, car tout cela sort, tout cela découle avec clarté et comme de soi-même du Christianisme. Voilà ce que j'appelle une grande religion: je la reconnais à ce signe, qu'elle ne laisse sans réponse aucune des questions, qui interessent l'humanité".

reponere, cujus infinitas perfectiones pro viribus imitari docemur. β. Erga *proximos*, quos propter Deum fraterno amore jubemur diligere, exclusis omni injustitia, omni verbo duriori, imo quolibet sinistro judicio; dilectione, quae non solum benefactores, amicos, concives complectatur, sed etiam exteros, inimicos, persecutores; dilectione efficaci, qua misero cuique et abjecto subveniamus, imo urgente necessitate animam pro fratribus ponere non vereamur. γ. Erga *seipsum*. Cuilibet etenim homini injungitur, ut dignitatem suam agnoscendo, a mundi illecebris abstineat, adversitates patienter ferat, vanam elationem fugiat, proprium corpus ut Dei templum revereatur, immortalis animae curam omnibus rebus anteponat. Et haec quidem, convenienti quadam mensura, omnibus praecepti necessitate imponuntur; ut tamen altioris adhuc perfectionis studium foveatur, et animae generosae ad summa alliciantur, quin jugum nimis durum singulis imponatur, praeceptis adduntur *consilia*: obedientiae, paupertatis, castitatis, quibus ad christianam perfectionem via planior et tutior sternitur [1].

Considera: b. *media sanctitatis*. Alte inculcatur singulis, ad vitam christiano nomine dignam instituendam, viribus infirmioribus praesto esse auxilium de supernis: multiformem *gratiam* Dei, quam Christus moriens in cruce omnibus promeruit, quamque singulis indesinenter quasi e propinquo offert in sacrosancto Missae *sacrificio*. Jubemur igitur cum fiducia accedere ad thronum gratiae, ut crebra *oratione* auxilium opportunum petamus. Atque ut propriae dispositionis defectuositati subveniatur, et simul sensibile quoddam acceptae gratiae pignus habeatur, praesto sunt *sacramenta*,

[1] GOETHE: „Mag die geistige Kultur nur immer fortschreiten, der menschlicher Geist sich erweitern wie er will, über die Hoheit und sittliche Kultur des Christentums, wie es in den Evangelien schimmert und leuchtet, wird er nicht hinauskommen". Apud HARNACK, *Wesen des Christentums*, p. 3.

quae cunctis vitae spiritualis necessitatibus aptissime respondent.

Considera: c. *stimulos sanctitatis.* Proponitur omnibus *α. exemplar* sanctitatis perfectissimum: ipse Christus[1]; et *β. sanctio* omnino maxima. Bonis enim promittitur in hac vita quidem conscientiae pax et gaudium spiritus, postea vero vita aeterna, cujus castas delicias, Deo simul et homini dignissimas, nec oculus vidit, nec auris audivit, nec imaginatio finxit. Malis e contra in salutarem timorem aeternum intentatur supplicium[2].

71 3°. Est systema religionis *pulcherrimum.* Eminet: a. *unitate* et intima doctrinarum cohaerentia[3]. Arctissime connectuntur *α. dogmata theoretica inter se,* quorum unum ex altero profluit, unum aliud exigit et supponit. Cogita v. g. mysterium redemptionis, totius christianismi vivificum centrum. Dogma redemptionis supponit ab una parte mysterium ss. Trinitatis et

---

[1] Cfr. quae infra dicentur in Art. *De sanctissimis Christi moribus,* n° **80** seq. — [2] Immerito contendit E. von Hartmann, moralem christianam ideo inferiorem esse quia praemium promittit. Praemium non est aliud nisi ipse Deus, et beatitudo hominis est glorificatio Dei omnium perfectissima. Consecutio supremi finis *natura sua* duplicem habet adspectum: est glorificatio Dei et beatitudo creaturae. Nonne inconsultum foret, negligere hunc alterum adspectum, qui etsi secundarius est multum valet ad homines, imperfectiores praesertim, impellendos? Etiam poena praecipua damnatorum est amissio Dei: poena damni; cfr. *tract. de Gratia,* no. **149** seq. — [3] Legi meretur E. LINGENS, *Die innere Schönheit des Christenthums,* 1914; J. SOUBEN, *L'Esthétique du dogme chrétien,* 1898; V. CATHREIN, *Die katholische Weltanschauung in ihren Grundlinien mit bisonderer Berücksichtigung der Moral,* 1914; J. GSPANN, *Schönheit der katholischen Weltanschauung,* 1914; G. MENGE, *Die Herrlichkeit der katholischen Kirche in ihrer Lehre,* 1919; F. SAWICKI, *Die katholische Frömmigkeit,* 1921.

incarnationis, cum praerogativis B. V. M., ab alia parte peccatum originale et elevationem hominis ad ordinem supernaturalem. Item ex dogmate redemptionis fluunt doctrinae de ecclesia, de corpore Christi mystico, de sacrificio eucharistico, de sacramentis, de filiatione Dei adoptiva (imperfecta per gratiam, perfecta per gloriam). Iterum praedicta dogmata multipliciter tangunt, supponunt, illustrant veritates ordinis naturalis. Mysterium Trinitatis praeexigit, quod Deus sit spiritus purissimus, intellectu et voluntate infinitus; dogma redemptionis justitiam, sapientiam, bonitatem Dei mirabiliter commendat, libertatem hominis supponit; peccatum originale communem omnium hominum ex uno protoparente originem involvit, miserias hujus vitae explicat; doctrina de glorificatione includit animam esse immortalem, et ultimum finem hominis in cognitione et amore Dei consistere. — Ex hac intima doctrinarum cohaerentia fit, ut haereses proprio pondere in dissolutionem tendere soleant: rejectio enim unius aut paucarum veritatum totum doctrinae corpus labefactat. — Arctissime connectuntur *β. dogmata theoretica cum morum praeceptis*, haec enim ex illis aut primo nascuntur, aut magis urgentur, aut sanctionem suam accipiunt. Nascuntur generatim ex veritatibus theoreticis religionis naturalis, novos et validissimos obligandi stimulos acquirunt ex mysteriis. Quid magis urget hominem ad Deum super omnia diligendum, quam dogmata incarnationis et filiationis adoptivae; quid validius impellet ad amorem proximi, quam communis omnium redemptio per Christum; quid energius ad sobrietatem et castitatem stimulat, quam consideratio sanguinis eucharistici visceribus nostris adhaerentis, et inhabitantis Spiritus Sancti? — Merito igitur ethica christiana absque dogmate christiano comparatur domui sine fundamento.

Eminet **b.** eo, quod *cuilibet ingenio et omni populo accommodatum* exsistit [1]. Doctrina christiana *α. cuilibet individuo*

[1] „The most remarkable thing about Christianity is its adaptation to all sorts and conditions of men" (G. ROMANES,

accommodatur; etenim tam *profunda* est, ut etiam post novemdecim saecula inexhaustam speculandi et meditandi materiam doctis hominibus subministret, novos semper adspectus eorum mentibus aperiens, nova in dies suavitate eorum corda alliciens. Nihilominus tam *simplex* est, ut etiam ab indoctis facile capiatur et sincere diligatur. Nonne pueris maxima mysteria paucis verbis exponuntur; nonne rudes solutionem certam et claram habent altissimarum quaestionum, quas nec summa ingenia exhauriunt; nonne aequali devotione, qua docti theologi, ad s. Synaxim accedunt humiles operarii, foeminae, infirmi [1]? Hinc doctrina christiana comparatur fluvio, in quo et agnus ambulet et elephas natet [2]. Deinde *β. omnibus populis*

Thoughts on Religion, p. 161). Cfr. H. ROST, *Die Kulturkraft des Katholizismus*, 1916.

[1] E. LABOULAYE: „Mettez à coté de Spinoza et de Hegel la figure de Jésus. Où est l'ideal du beau, du vrai, du bien? Où est la doctrine, qui puisse charmer les plus grands esprits et consoler les plus petits? Où trouve-t-on la règle des moeurs pour l homme, la règle du devoir et de la justice pour le citoyen? Oubliez votre église ou votre école, et regardez froidement" (*Étud. mor. et phil.*, p. 56, apud BRUGÈRE, *De vera Relig.* p. 205). — [2] Quod supra de doctrina christiana dictum est, propriae christianismi orationi *(Pater noster)* applicari potest, quae, quamvis simplicissima sit atque planissima, incomparabili sua foecunditate cuilibet oranti sufficit et convenit. „Alles was nur immer der Mensch im Gebete Gott gegenüber zum Ausdrucke bringen kann, ist in diesem kurzen Gebete enthalten, und zwar in einer so einfachen Form, dass es jedem, auch noch so geringen, Verständnisse zugänglich ist, und in einer so geist- und gemütvollen Fassung, dass es jedes Menschenherz ansprechen muss, mag er hoch oder niedrig, gelehrt oder ungelehrt, dieses oder jenes Alters und Geslechtes sein. Es kann nicht Jederman in die Tiefen des christlichen Gebetes in gleicher Weise eingeweiht sein; aber das „Gebet des Herrn" kann Jeder beten, und wenn er es nur mit Andacht und in wahrem Gebetsgeiste verrichtet, dann hat er damit der Sache nach

aptatur, cuncta enim ejus dogmata et praecepta universas gentes aequaliter respiciunt, nulla gens alteri praefertur. Praeterea christianismus nulla habet instituta determinato populo aut loco alligata, religionem a statu politico apprime distinguit, nulli gubernii formae alligatur, cet.

4°. Est systema religionis *saluberrimum*, ad felicitatem n.p. 72
tum singulorum, tum societatis promovendam aptissimum. Quod ex praecedentibus fere conficitur, nam religio omnium ingenio accommodata (3, *b*), quae legitimis intellectus humani postulationibus abunde satisfacit (1, 3, *a*), et simul morum sanctitati insigniter favet (2), saluberrima esse debet; secus enim admittendum foret, ad felicitatem hominis non conducere illud, quod ejus naturae apprime convenit. Pauca tamen adjicimus. Quomodo ad *felicitatem singulorum* non multum conferret religio, quae hominem docet passionibus et concupiscentiis suis resistere, vitae aerumnas virili animo ferre, necessariis contentum esse, paternae providentiae dispositionem in omnibus agnoscere? Quomodo *felicitatem societatis* humanae non promoveret religio, quae illas maxime commendat virtutes, quibus pax et concordia inter homines foventur: humilitatem, patientiam, obedientiam; quae omni proximorum indigentiae succurrere praecipit; quae integram matrimonii sanctitatem vindicat; quae auctoritatis tum domesticae, tum publicae ét usum legitimum defendit semper, ét omnem abusum, intentato strictissimo divini ultoris judicio, proscribit?

Corollarium. Nostro praesertim tempore nonnulli objiciunt, 72a
christianismum, aut saltem catholicismum, commodorum tempo-

---

die ganze und volle Huldigung des Gebetes Gott dargebracht. Von diesem Brennpunkte gehen alle Strahlen des Gebetes aus, und alle Gebete, welche die Kirche selbst betet, oder ihren Gläubigen zu beten empfiehlt, repräsentieren nur die weitere Entwicklung und Auseinanderlegung dieses Kernes aller Gebete" (STÖKL, *Lehrbuch der Apologetik*, II, p. 198).

ralium augmento et rei oeconomicae progressui obstare, quia „fugam mundi" inculcat, paupertatem laudat,cet. At immerito prorsus christianismus finem hominis absolute ultimum (Deo in hac vita servire, eoque frui in altera vita) inculcando, minime excludit alios fines, utique intermedios et subordinatos. Atqui legitimum prorsus est, quod homines ad perfectiorem omnium suarum facultatum, tum spiritualium tum corporalium, usum et exercitium continuo aspirant, resque materiales plenius sibi subjicere in dies satagunt. Nonne aperte docemur, hominem, imaginem Dei, ad dominandum cunctis creaturis irrationalibus positum esse? Hinc religio catholica nihil, quod temporali populorum prosperitati augendae inservire natum est, improbat aut contemnit. Imo, quia probe intellegit, homines, quales communiter sunt, a virtutis studio multum impediri rerum inopia et paupertate, ardenter desiderat ut bona temporalia omnibus convenienti quadam mensura praesto sint. Quid igitur? Solum immoderatum et inordinatum rerum terrenarum tum affectum, tum usum prohibet.

Si quaeritur num catholicismus intensiorem rerum materialium culturam etiam positive promoveat, distinguendum est. *Directe et ex professo* homines ad hujusmodi studia incitare non solet; et merito quidem: religio enim est, cui non temporalium sed aeternarum rerum cura concredita est. Accedit, quod homines sponte sua bonorum sensibilium studio plus aequo intendere solent. *Indirecte* tamen ecclesia progressui oeconomico plurimum favet, damnando ignaviam, luxum, expensas inutiles, avaritiam, inculcando officia cuique statui et conditioni propria, necnon justitiam, aequitatem, caritatem. Hinc, ceteris paribus, societas materialismo dedita, et rebus temporalibus unice inhians, abundantiores forsan divitias coacervaret, sed societas christiana communem civium prosperitatem semper validius promovebit. Etiamsi enim ad sola bona materialia attendamus, parum prodest reipublicae, quod, auctis atque perfectis productionis mediis, rerum copiae in immensum augeantur, nisi

simul omnibus civium ordinibus pro rata parte obveniant.

Sed ecclesia catholica paupertatem laudat! Distinguo: minime laudat aut expetit conditionem societatis, in qua plurimi cives paupertate laborent, absit! Sed laudat paupertatem *voluntariam*, eos scil. qui, omni terrenorum cura abjecta, soli Deo et proximo vivere gestiunt. Et hi quidem, etsi a nonnullis, qui quod ignorant blasphemant, despiciuntur, societati humanae plurimum prosunt, aut operibus charitatis, quibus incumbunt, aut orationibus, poenitentiis, exemplis suis, quibus Deum placant et homines a nimio terrenorum affectu retrahunt. [1]

II. *Doctrinam ita praecellentem humanae inventioni tribui non posse, ostenditur.* 73

1°. Doctrina catholica *religionem naturalem* cum magna amplitudine, plena certitudine, absque ullo errore tradit. Atqui cognitio tam perfecta universae religionis naturalis ita difficilis

[1] Ceterum ecclesia catholica nec duplicem agnoscit sanctitatis normam, alteram monachis alteram laicis accomodatam (cfr. DENIFLE, *Luther und Lutherthum*, I, ed. 2, p. 133 seq.), nec perfectionem christianam cum statu monachali identificat. Perfectio christiana pro omnibus consistit in amore Dei et proximi; vota autem religionis (obedientia, paupertas, castitas) non sunt nisi media per se aptiora ad perfectionem. Hinc ab una parte, ad perfectionem pervenire quis potest, absque votorum observantia, in quocumque vitae statu; ab alia parte non omnes, qui in religione vivunt, ad perfectionem revera perveniunt. Status religiosus per se et in abstracto est medium expeditissimum ad perfectionem (unde et *status perfectionis* [*acquirendae*] vocatur; cfr. s. THOMAS, *S. Th.* II, II, 184), sed multum falleretur, qui inde concluderet, vitam monachalem cuilibet homini in concreto esse viam aptissimam ad perfectionem: „Unusquisque proprium donum habet ex Deo, alius quidem sic, alius vero sic" (*I Cor.* 7, 7). Cfr. PESCH, *Der Katholicismus die Religion der Weltflucht*, in *Stimmen*, 1899, tom. 56, p. 1; PH. KNEIB, *Anklagen gegen die Grundrichtung in der kirchlichen Erziehung*, in *Der Katholik*, 1904, I, p. 1.

est, ut cuilibet intellectui humano moraliter impossibilis, latiori saltem sensu, dicenda videatur; cfr. n⁰. 23. Saltem constat, extra christianismum, nullam scholam philosophicam, nullam religionem ad hujusmodi cognitionem pervenisse. Plurimae etiam societates christianae, quae ab ecclesia catholica recesserunt, in tradenda religione naturali errarunt, ut v.g. Protestantismus negando libertatem hominis, Calvinismus (et Jansenius) admittendo reprobationem positivam antecedentem, quae ponit manifestam injustitiam in Deo.

2⁰. Doctrina catholica per *ea, quae religioni naturali superaddit*, lacunas religionis naturalis apte explet; quaestiones gravissimas, omnem hominem in materia religionis vexantes, feliciter solvit; et hominum sanctificationem insigniter promovet. Atqui hinc iterum humana inventio excludi videtur, etenim si religionem naturalem satis cognoscere difficillimum est, nonne difficilius adhuc erit, talia superaddere, quae eam perficere non immerito videntur [1].

3⁰. Doctrina catholica multa *mysteria* continet, quae undequaque tangunt veritates ordinis naturalis. Quamvis autem scientiae naturales post ortum christianismi multum profecerint, nunquam accidit, ut novae illarum acquisitiones (verae scil. et certae) alicui dogmati christiano repugnarent. Praetera, quo diligentius et profundius docti homines religionem christianam perscrutantur, eo magis mirantur perfectam illius systematis harmoniam: aptam scil. veritatum superrationalium inter se ac cum veritatibus naturalibus cohaerentiam, et ipsorum mysteriorum multiplicem congruentiam. Jam si haec de mysteriis doctrina figmentum humanum esset, utique nihil aliud esset quam putida impostura; sed nonne prorsus incredibile est aliquem hominem in hujusmodi materia fraudes tanta dexteritate contexere potuisse, ut etiam post tot ac

[1] Cfr. supra n⁰. 32.

tanta experimenta falsitas nusquam apparuerit? — Adhuc: facile probatur, omnes, qui saeculorum decursu religionem christiano-catholicam addendo vel demendo „reformare" ausi sunt, ei semper decus abstulisse aut dedecus intulisse, et partium harmoniam minuisse. Atqui si religio catholica inventio humana esset, difficulter explicaretur, quare nusquam ab homine perfici potuerit, quare omnis immutatio in deterius semper successerit.

4°. Doctrina catholica *omni ingenio omnique populo accommodata, et simul saluberrima* est [1]. Atqui hinc argumentum ex praedictis non parum confirmatur; etenim tam salubriter cunctis simul hominibus providere ét Deo, omnium gentium benignissimo patri, dignissimum est, ét hominis facultatem superare videtur. Certe, omnis doctrina humana, eo ipso quod profunda et sublimis est, communi hominum multitudini terra incognita exsistit; et aliae religiones generatim certae cuidam nationalitati alligatae fuere.

His igitur consideratis, cum magna saltem probabilitate concludere licet, doctrinam christiano-catholicam inventum humanum non esse. Et quum nemo sobrius religionem sanctissimam pravis daemonibus attribuat, ad minus valde probabile est, eam originem divinam merito protendere. Quo posito cuilibet homini obligatio incumbit, quanta potest diligentia ponderandi argumenta externa seu historica, quae in favorem illius divinae originis afferri solent.

Antequam tamen ad illa argumenta accedamus, breviter diluendum est effugium rationalistarum, qui, ut argumentum ex incomparabili praestantia religionis christianae imminuant, originem ejus explicare tentant per evolutionem, apud quam, ex multorum coaevorum sententia, non est impossibile omne verbum!

Scholion. *Origo religionis christianae nec per naturalem* **74**

[1] Cfr. BILLOT, *De Ecclesia*, ed. 2, I, p. 237 seq.

evolutionem judaismi, nec per syncretismum ex religione judaeorum, superstitione gentium, philosophia graeca explicari potest.

1°. Religio Judaeorum revera plura dogmata et praecepta christianismi aut formaliter aut saltem in germine continebat. Hinc merito dicitur, religionem christianam esse ultimum complementum religionis mosaicae. Nonne ipse Dominus dicit „Non veni solvere [legem aut prophetas], sed adimplere"[1]; nonne cuncti patres et doctores assentiunt Augustino dicenti: „In veteri testamento est occultatio novi, in novo testamento est manifestatio veteris"[2]. Nihilominus tanta est perfectio christianismi prae judaismo, tam multa sunt in christianismo, quae a judaismo, *qualis tempore Christi intellegebatur*, aliena imo ei contraria erant[3], ut nullo modo dici possit, judaismum naturali evolutione christianismum peperisse. a. *Dogmata* fundamentalia, Trinitatis, incarnationis, redemptionis per mortem Messiae, justificationis per fidem absque operibus legis, cet. a mentibus coaevorum Christi alienissima erant. b. Doctrinam *moralem* quod spectat, christianismus non tantum partem ceremonialem Legis, cui Judaei addictissimi erant, abolevit, sed ipsam partem ejus moralem a Pharisaeorum, Sadducaeorum, Essenorum corruptelis expurgavit et multipliciter perfecit; sanctitati externae et rituali interiorem eamque valde sublimem substituit[4]. c. Judaei *Messiam* quidem exspectabant, sed ut regem politicum, qui regnum Israel restitueret et gentes politica dominatione subjiceret. Prophetiae messianae V. T., etsi in Christo ejusque religione adimpletae sunt, in iis implebantur praeter, imo contra modum quem intellegebant et expetebant Judaei. d. Judaei tempore Christi *exclusivismo* religioso ita dediti fuere, ut teste historia parti-

[1] *Mt.* 5, 17. — [2] *De catech. rud.*, 4, 8. — [3] Cfr. *Rev. prat. d'apol.*, 1919, tom. 28, p. 382. — [4] Cfr. *Mt.* 5, 17-7, 29; 19, 3-13, 21. Lege verba G. MONTEFIORE in *Rev. August.* 1905, tom. 7, p. 499; cfr. *Rev. prat. d'apol*, 1913, tom. 16, p. 81.

cularismus judaeo-christianorum ecclesiae, quae statim a suo ortu universalismum prospiciebat[1], multas molestias praeparaverit. — Reapse religio christiana prae judaismo coaevo ita originalis erat, complexum idearum tunc temporis apud Judaeos obtinentem ita excedebat, ut hac de causa Judaeorum optimates, acclamante populo, Christo crucem, apostolis multiplices persecutiones praeparaverint[2]. — Ceterum semina religionis christianae, quae in Lege et prophetis reapse continebantur, et ipsa non humanitus inventa sed divinitus posita fuere.

74a 2°. Syncretismus, quem hodie plures religionis comparatae historici variis licet formis profitentur, contendit christianismum initio omni fere dogmate vacuum doctrinas, instituta, praxes suas paulatim ex diversissimis fontibus hausisse; novissima inventio est inter hos fontes mysteria paganorum non infimum locum occupasse[3].

Porro: a. haec theoria non factis datisque historicis nititur,

[1] Quantopere errat Harnack, ipsi Christo ideam religionis universalis abjudicando, cfr. *Der Katholik*, 1913, I, p. 240 et p. 291; BATIFFOL, *L'enseignement de Jésus* p. 297, seq. — [2] LAGRANGE: „Par Jésus la vie religieuse de l'humanité entre dans une phase vraiment nouvelle; le Judaisme recule éperdu, refuse d'accepter cette conclusion de son histoire, parce qu'elle n'en est pas l'aboutissement naturel ... Si Jésus n'avait eu qu'à faire la synthèse des idées courantes, les Juifs l'auraient docilement suivi" (*Méthode histor.* ed. 1, p. 55). Ipse RENAN: „Loin que Jésus fut le continuateur du Judaisme, ce qui caractérise son oeuvre, c'est la rupture avec l'esprit juif" (*Vie de Jésus*, chap. 28). — [3] Cfr. I. ROHR, *Griechentum und Christentum* (*Bibl. Zeitf.* V, 8), 1912; B. ALLO, *L'Evangile en face du syncretisme païen*, 1910; B. HEIGL, *Religionsgeschichtliche Methode und Theologie* (*Bibl. Zeitf.* XII, 1), 1926; *Stimmen*, 1906, tom. 71, p. 376, 500; 1907, tom. 72, p. 37, 182; 1912, tom 82, p. 388, 520; *Der Kath.*, 1912, I, p. 73, 254, 426; II, p. 16; *Rev. prat. d'apol.*, 1907, tom. 3, p. 462 et 519; *Dict. Apol.* in voce: *Syncrétisme*.

sed est *postulatum rationalismi*, qui, omnem supernaturalem Dei actionem a priori excludendo, religioni christianae originem naturalem invenire *debet*, et hac de causa ex levibus indiciis gravissimas conclusiones elicit atque imprimis ex analogiis remotissimis ad certam mutuationem concludere non veretur. Hinc etiam alii alios fontes, modo graecos, modo persicos, modo buddhisticos, cet. indicant; quae sententiarum varietas et inconstantia per se sola defectum fundamenti scientifici arguit. b. Supposita etiam possibilitate historica hujus multiformis derivationis, seu verius accommodationis ad mentem sive religiosam sive philosophicam diversarum gentium, theoria evolutionis *duplici laborat difficultate* insolubili. Primo non intellegitur, quomodo hac ratione oriri potuerit *religio universalis cum systemate doctrinarum optime cohaerentium*. Nam si christianismus sese ubique terrarum opinionibus gentium accommodasset, suscipiendo quidquid in qualibet gente vivum et fertile inveniebat, alias alibi formas induere debuisset, quae, si nihilominus nescio quo vinculo colligatae exstitissent, saltem ad maximam illam systematis catholici unitatem nunquam pervenissent. Deinde non intellegitur, quare religio christiana ubique terrarum acrem *contradictionem imo persecutionem excitaverit;* quare gentes impugnassent religionem, cujus proprium veluti genium fuisset inexhausta sese accommodandi facilitas? c. Theoria syncretistica *historice impossibilis* est. Ad particularia descendere longum est; sufficere potest argumentum generale. Mutuatio eclectica non potuit fieri ab ipso Christo ejusque apostolis; hi enim (si ex suppositione adversariorum habentur meri homines, supernaturali lumine destituti) religiones exteras et longinquas minime cognoverunt, philosophiam graecam aut penitus ignorarunt aut saltem non satis cognoverunt. Sed neque a posterioribus christianis fieri potuit; nam ex libris N. T. aliisque documentis antiquissimis invicte probatur, dogmata fundamentalia et instituta essentialia christianismi saltem pleraque jam saec. II, imo I exeunte in

ecclesia exstitisse, proinde non, ut adversarii volunt, saec. III et IV aliunde assumpta fuisse. Denique d. mutuatio praedicta etiam ex hoc capite impossibilis fuit, quia *dogmata christiana nec secundum propriam formam, nec secundum sua elementa essentialia alibi exsistebant.* Nam doctrinae exterae, quae assignantur ut fontes dogmatum de Trinitate, de Logo, de incarnatione, de redemptione, de vita et resurrectione Christi, de Baptismo et Eucharistia, si ab explicationibus tendentiosis expurgatae sobrie considerantur, cum mysteriis nostris ita parum conveniunt, ut similitudini vagae aut mere externae semper conjungatur dissimilitudo longe major, eaque realis et interna.

Ceterum excludendo theoriam mutuationis, minime negamus quamlibet convenientiam inter christianismum et alias religiones[1]. Plures veritates theoreticae et practicae, per se ad religionem naturalem pertinentes, quas ecclesia profitetur, etiam alibi inveniebantur. In exercitiis et caeremoniis cultus quaedam ita connaturalia sunt, ut mirum non sit, ea tum in vera tum in falsis religionibus inveniri: oblatio sacrificii, convivia sacrificalia, quaedam confessio et expiatio culpae, adhibitio aquae in symbolum purificationis, cantus, usus incensi, luminum, imaginum, ornamentorum sacerdotalium, cet. — Christianismus nec naturam humanam aut conscientiam religiosam primo invenit, nec ita naturam superat ut ab ea praescindat. In religionibus falsis non omnia falsa sunt, in religione vera seu christiana non omnia supernaturalia sunt.

CAPUT II.

De divinitate legationis Christi.

I. **Persona Christi.** — Jesum nazarenum, virum scil. illius 75

[1] Cfr. A. DENEFFE, *Das henologische Prinzip*, in *Stimmen*, 1912, tom. 83, p. 423; A. PIRNGRÜBER, *Synkretismus*, in *Stimmen*, 1914, tom. 87, p. 268.

characteris et actionis, prout in evangeliis describitur, historice exstitisse, certum est ex veracitate evangeliorum, quam probatam supponimus[1]. Dicunt quidem nonnulli religionis comparatae historici, imaginem Christi quam evangelia exhibent magna parte confictam esse ex ideis religiosis illorum temporum, imprimis ex mythologia et mysteriis ethnicorum, ita ut jam mixta in tabula exsisterent colores, quibus evangelistae imaginem christi „idealis" depingerent. Ast hujusmodi confictio non tantum historice falsa, sed etiam moraliter impossibilis est. Verum non est, jam mixtos exstitisse colores, a.v. jam adfuisse elementa, ex quibus character et vita Jesu confingeretur. Character nobilissimus, vita purissima Domini minime conflari potuit ex mythis immundis ac ridiculis Osiris, Attis, Adonis, Dionysi, cet. Supposito etiam, quod adfuissent elementa, utique seligenda, expurganda, componenda, quomodo evangelistae, viri simplices nec philosophice exculti, ex iis effinxissent imaginem illam sublimissimam, quam etiam increduli admirari solent, imo quam nullus ex posterioribus scriptoribus imitando adaequare potuit[2]?

Missis hujusmodi ineptiis, exscribimus duo potiora testi-

---

[1] Cfr. F. MEFFERT, *Die geschichtliche Existenz Christi*, 1910; L. FILLION, *L'existence historique de Jésus*, 1909; A. MEYENBERG, *Leben Jesu-Werk*, 3 tom., 1922-28; O. GRABER, *Im Kampfe um Christus*, 1927; A. OLDRA, *Gesù Christo. Studio critico-apologetico*, 2 tom., 1923; E. JUNG, *Die geschichtliche Persönlichkeit Jesu*, 1924; L. DE GRANDMAISON, *Jésus Christ*, 2 tom., ed. 5, 1928; N. SANDERS, *Jesus Christus*, 1928; J. KEULERS, *De Pseudo-Christus*, ed. 2, 1927; *Der Kath.*, 1911, I, p. 81 et 168; *Zeitsch. f. k. Th.*, 1912, p. 425 et 665; *Revue du Cl. fr.*, 1910, tom. 54, p. 420; *Literatur zur Christusfrage*, in *Theol. Revue*, 1911, p. 1 et 41. — [2] Cfr. *Stimmen*, 1907, tom. 72, p. 50. Mythismum D. F. Straus († 1874) lepide exsufflavit PÉRÈS: *Comme quoi Napoléon n'a jamais existé* (apud GONDAL, *Provenance des Evang.* p. 389).

monia auctorum profanorum de Jesu nazareno, christianismi auctore [1].

FLAVIUS JOSEPHUS († c. 100 p. C.): „Eo etiam tempore fuit Jesus, vir sapiens, si tamen virum *[ἄνδρα]* eum appellare fas est. Fuit enim mirabilium operum effector, magister hominum qui verum cum voluptate accipiunt, multosque judaeos, multos item gentiles ad se pellexit. Hic erat Christus *[ὁ Χριστὸς οὗτος ἦν]*; quem cum Pilatus, ab hominum nostrorum primis delatum, crucis supplicio addixisset, eum tamen amare non desierunt, qui primum amaverant. Apparuit enim eis tertio die redivivus, divinis vatibus et haec et mille alia de eo miranda effatis. Atque ab eo denominata christianorum natio durat usque ad hunc diem" [2].

---

[1] „Nemo prudens existimaverit, romanos aut graecos accurate et fuse scripsisse de Jesu nazareno! Nimis remota illis erat Judaea provincia, remotior etiam ab eorum mentibus natio Judaeorum, quibuscum ab initio etiam praesides et ipsi imperatores confundere solebant Christianos. Succedente tamen tempore, quum granum sinapis in magnam excrevisset arborem, scriptores etiam romani non poterant non inquirere in religionis novae auctorem". WILMERS, *De Rel. revel.* p. 328. Cfr. SEITZ, *Christus-Zeugnisse a. d. klass. Altertum v. ungläubiger Seite*, 1906; KURT LINCK, prof. acath. (*De antiquissimis veterum quae Jesum nazarenum spectant testimoniis*, Gieszen, 1913) examinat testimonia Josephi, Taciti, Plinii et Suetonii de Christo, et concludit contra Drews: „Jesum vixisse neutiquam negari potest!" — [2] *Antiq. XVIII*, 3, 3. Locus exstat in omnibus codicibus manuscriptis et impressis, et jam ab Eusebio (*H. E.* I, 11; *Dem. Evang.* III, 5) allegatur. Nihilominus plures eum aut spurium aut interpolatum habent; quomodo enim, aiunt, incredulus judaeus ita scribere potuisset; accedit, quod apologetae Eusebio antiquiores textum non adhibent. Respondetur, Josephum, hominem in materia religionis levem et indifferentem, de Christo referre potuisse, non quae ipse sentiebat, sed quae habebat vulgata multorum opinio. Argumentum ex silentio veterrimorum scriptorum, negativum est. Saltem valde improbabile est, Josephum, qui

TACITUS (scripsit sub Trajano a. 98-117): „Abolendo rumori [quo ipse incendii auctor habebatur] Nero subdidit reos et quaesitissimis poenis affecit, quos per flagitia invisos vulgus christianos appellabat. Auctor nominis ejus Christus, Tiberio imperante, per procuratorem Pontium Pilatum supplicio affectus erat; repressaque in praesens exitiabilis superstitio rursum erumpebat, non modo per Judaeam, originem ejus mali, sed per urbem etiam, quo cuncta undique atrocia aut pudenda confluunt celebranturque. Igitur primum correpti, qui fatebantur, deinde indicio eorum multitudo ingens, haud proinde in crimine incendii, quam odio humani generis [1] convicti sunt. Et pereuntibus addita ludibria, ut ferarum tergis

---

ét Joannem baptistam laudat (*Antiq.* XVIII, 5, 2), ét s. Jacobum minorem ut fratrem „illius Jesu, qui dicitur Christus" memorat, de Domino nostro plane siluisse. — Genuinitatem integri textus defendunt inter acatholicos v.g. Burkitt, Harnack, Laqueur, etc.; ex catholicis e. g. Hettinger, Gutberlet, Hurter, Wilmers, Kneller, Tricot, e. a. Interpolationem admittunt plerique rationalistae, et inter catholicos: Schanz, Batiffol, Rev. Bibl. (1898, p. 151), Funk, etc.; cfr. J. FELTEN, *Neutestamentliche Zeitgeschichte*, I, 1925, ed. 2, p. 683 seq. — Secundum translationem slavicam operis *De Bello Judaico*, inventam a M. A. BERENTS (*Die Zeugnisse vom Christentum im slavischen De Bello Judaico des Josephus*, 1906), Josephus etiam in hoc opere pluries de Christo loquitur; ex quo multi ad genuinitatem testimonii in *Antiquit.* concludere volunt; secundum alios autem interpretatio slavica in fine saec. XVI a falsario judaeo in monasterio russico confecta est. Cfr. *Rev. d'hist. eccl.* 1926, p. 22 et 44; *Zeits. f. kath. Theol.* 1926, p. 463; *Revue apol.* 1926, tom. 43, p. 344. Legatur imprimis L. WOHLEB, *Das Testimonium Flavianum: ein kritischer Bericht über den Stand der Frage*, in *Röm. Quartals.* 1927, p. 151 tom. 34, p. 73 et 138; R. EISLER, *ΙΗΣΟΥΣ ΒΑΣΙΛΕΥΣ ΟΥ ΒΑΣΙΛΕΥΣΑΣ*, 1928-29.

[1] Odio humani generis, „c'est à dire comme réfractaires à la civilisation et à la religion romaines". P. ALLARD, *Le Christianisme et l'empire Romain*, p. 16.

contecti laniatu canum interirent, aut crucibus affixi, aut flammandi, atque ubi defecisset dies in usum nocturni luminis urerentur... Hortos suos ei spectaculo Nero obtulerat, et circense ludicrum edebat, habitu aurigae permixtus plebi vel curriculo insistens. Unde quamquam adversus sontes et novissima exempla meritos, miseratio oriebatur tamquam non utilitate publica, sed in saevitiam unius absumerentur" [1]. Res narratae locum habuerunt a. 64 p. C.

Praeterea etiam *Suetonius* christianos et forte ipsum Christum, *Plinius Secundus*, tum Christum tum christianos memorant[2].

II. **Testimonium Christi de seipso**[3]. — Christus aperte 76
et constanter, coram amicis, coram populo, coram doctoribus et magistratibus seipsum exhibuit *legatum Dei ad homines*. Praeterea docuit, se esse Filium Dei, verumque Deum, de quo in tract. *de Deo Redemptore*[4]. Divinitatem Christi hoc loco innuimus, quia Christus nonnulla dixit et fecit, quae *merus* Dei legatus dicere aut facere nequivisset.

1°. *Judaei tempore Jesu nazareni exspectabant legatum Dei, quem prophetam per excellentiam, Messiam, i. e. Christum nominabant*[5].

[1] *Annal.* XV, 44; cfr. BLUDAU, in *Der Kath.*, 1903, I, p. 129. — [2] SUETONIUS: „Afflicti suppliciis christiani, genus hominum superstitionis novae et maleficae" (*Nero*, 16). „Judaeos impulsore Chresto continuo tumultuantes [Claudius a. 52] Roma expulit" (*Claudius*, 25). Etsi constat, gentiles nonnunquam Chrestum loco Christi dixisse (TERTULL. *Apol.* 3, n°. 17), minime certum est, Chrestum quem Suetonius memorat, esse Dominum nostrum; cfr. *Stud.* 1907, tom. 67, p. 577 seq. — Testimonium Plinii (*Epp.* l. x, 97) infra (n°. 117 et 129) adducemus. — [3] Cfr. M. LEPIN, *Jésus Messie et Fils de Dieu*, 1910; H. FELDER, *Jesus Christus*, 1911, I, p. 144-290; *Rev. apol.*, 1922, tom. 34, p. 154 et 231. — [4] No. 12 seq. — [5] Nomen מָשִׁיחַ, a verbo מָשַׁח (ungere), desum-

Herodes principes sacerdotum et scribas interrogat, „ubi Christus [*ὁ Χριστὸς*] nasceretur". Et absque haesitatione respondetur: „In Bethlehem Judae" [1].

Simeon exspectabat „consolationem Israel", et „responsum accepit a Spiritu Sancto, non visurum se mortem, nisi videret Christum Domini [*τὸν Χριστὸν*]" [2].

Joannes Bapt. per discipulos suos quaerit: „Tu es, qui venturus es [*ὁ ἐρχόμενος*], an alium exspectamus" [3].

Andreas, cognito Jesu, exclamat: „Invenimus Messiam [*τὸν Μεσσίαν*]" [4]; similiter Philippus: „Quem scripsit Moses in lege et prophetae invenimus" [5].

Mulier samaritana dicit: „Scio, quia Messias venit (qui dicitur Christus): cum ergo venerit ille, nobis annuntiabit omnia" [6].

Homines, qui de multiplicatis panibus manducaverant, exclamant: „quia hic est vere propheta [*ὁ προφήτης*], qui venturus est in mundum" [7].

Turba in templo, audito Jesu, dicit: „Christus [*ὁ Χριστὸς*] cum venerit, numquid plura signa faciet, quam quae hic facit?" [8]

Judaei Christum interrogant: „Quousque animam nostram tollis? Si tu es Christus [*ὁ Χριστὸς*], dic nobis palam!" [9]

77 2⁰. Judaei quidem sibi fingebant Messiam politicum, qui dominatione terrestri gentes sibi subjiceret et ita regnum unius veri Dei extenderet. *Jesus* caute vitavit omnia, ex quibus hujusmodi messias videri posset; nihilominus *pe. totam*

---

ptum est ex Ps. 2, 2: „principes convenerunt in unum adversus Dominum [Jahve] et adversus Christum ejus". Cfr. PH. FRIEDRICH, *Der Christus-Name im Lichte der Alt. u. Neutest. Theol.*, 1905.

[1] *Mt.* 2, 4. — [2] *Luc.* 2, 25-26. — [3] *Mt.* 11, 3; cfr. *Jo.* 1, 19-36. — [4] *Jo.* 1, 41. — [5] *Jo.* 1, 45. — [6] *Jo.* 4, 25. — [7] *Jo.* 6, 14. — [8] *Jo.* 7, 31. — [9] *Jo.* 10, 24.

vitam publicam se coram omnibus prophetam gessit; praeterea saepe tum aequivalenter tum etiam diserte declaravit, se esse promissum Messiam.

Cives nazareni „scandalizabantur in eo. Jesus autem dixit eis: non est propheta sine honore nisi in patria sua et in domo sua" [1].

De seipso dicebat: „Ecce plus quam Jonas hic. Ecce plus quam Salomon hic" [2]. In parabola de vinea sese ut filium patrisfamilias cunctis prophetis praetulit [3].

Discipulis Joannis interrogantibus respondet, provocando ad opera sua, et simul sibi applicando prophetias, quas Judaei de Messia intellegebant [4]: „Euntes renuntiate Joanni quae audistis et vidistis: caeci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt, pauperes evangelizantur; et beatus qui non fuerit scandalizatus in me" [5].

Mulieri samaritanae, Messiam memoranti, respondet: „Ego sum, qui loquor tecum" [6].

Judaeis postulantibus: „dic nobis palam", reponit: „Loquor [εἶπον] vobis, et non creditis. Opera, quae ego facio in nomine Patris mei, haec testimonium perhibent de me, sed vos non creditis" [7].

Summo pontifici exigenti: „Adjuro te per Deum vivum, ut dicas nobis, si tu es Christus [ὁ Χριστὸς], filius Dei", respondit: „Tu dixisti" [8].

Petrum beatum praedicat, quia ad quaestionem: „Vos autem, quem me esse dicitis, responderat: „Tu es Christus [ὁ Χριστὸς], filius Dei vivi" [9].

Post resurrectionem, agens cum discipulis euntibus in Emmaus, sibi omnia applicat, quae in V. T. dicta erant de

[1] *Mt.* 13, 57, cfr. *Luc.* 4, 16-21. — [2] *Mt.* 12, 41, 42. — [3] *Mt.* 21, 33 seq.; *Mc.* 12, 1 seq.; *Luc.* 20, 9 seq.; cfr. *Mt.* 13, 16, 17; *Jo.* 8, 52 seq.; *Mt.* 11, 6. — [4] *Is.* 35, 5; 61, 1. — [5] *Mt.* 11, 4-6. — [6] *Jo.* 4, 26. — [7] *Jo.* 10, 25-26. — [8] *Mt.* 26, 63-64. — [9] *Mt.* 16, 15-17; cfr. *Mc.* 8, 29; *Jo.* 6, 70.

Messia: „O stulti et tardi corde ad credendum in omnibus, quae locuti sunt prophetae! Nonne haec oportuit pati Christum [*τὸν Χριστὸν*], et ita intrare in gloriam suam? Et incipiens a Moyse et omnibus prophetis, interpretabatur illis in omnibus Scripturis, quae de ipso erant" [1].

78 3°. Consequenter *Christus apertissime profitetur, se missum esse a Deo Patre ad docendum homines veritatem; hinc doctrinam suam esse divinam, atque ab omnibus sub gravissima poena admittendam.*

„Ego ex Deo processi et veni in mundum, neque a meipso veni, sed ille me misit" [2].

„Ego in hoc natus sum, et ad hoc veni in mundum, ut testimonium perhibeam veritati" [3].

„A meipso non veni, sed est verus qui misit me, quem nescitis; ego scio eum, quia ab ipso sum et ipse me misit" [4].

„Mea doctrina non est mea, sed ejus qui misit me" [5].

„Qui credit in me, non credit in me, sed in eum qui misit me... Qui spernit me, et non accipit verba mea, habet qui judicet eum: sermo, quem sum locutus, ille judicabit eum in novissimo die. Quia ego a meipso non sum locutus, sed qui misit me Pater, ipse mihi mandatum dedit, quid dicam et quid loquar. Et scio, quia mandatum ejus vita aeterna est. Quae ergo ego loquor, sicut dixit mihi Pater, sic loquor" [6].

[1] *Luc.* 24, 25-27. Negare, quod Christus revera seipsum Messiam, proinde legatum Dei exhibuerit, ipsis rationalistis criticis, plerisque saltem, nimium est. Audiatur unus A. HARNACK: „Dass Jesus sich selbst als den Messias bezeichnet hat, ist von einigen Kritikern, — jüngst noch von Havet — in Abrede gestellt worden. Allein dieses Stück der evangelischen Ueberlieferung scheint mir auch die schärfste Prüfung auszuhalten". *Lehrb. der Dogmengeschichte*, I³, p. 62, nota. Nihilominus aliqui, ut Wellhausen et W. Wrede, rem negant; contra quos lege BATIFFOL, *L'Enseignement de Jésus*, ed. 6, p. 224. — [2] *Jo.* 8, 42. — [3] *Jo.* 18, 37. — [4] *Jo.* 7, 28-29; cfr. *Mt.* 11, 27; *Luc.* 10, 22. — [5] *Jo.* 7, 16. — [6] *Jo.* 12, 44-50.

„Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam aeternam ... Qui credit in eum non judicatur, qui autem non credit, jam judicatus est, quia non credit in nomine unigeniti filii Dei" [1].

4°. Denique *Christus missionem suam transfundit in alios,* 79
qui doctrinam ipsius divina auctoritate promulgent et proponant.

„Qui accipit, si quem misero, me accipit, qui autem me accipit, accipit eum qui me misit". „Qui recipit vos, me recipit" [2].

„Sicut misit me Pater, et ego mitto vos" [3].

„Data est mihi omnis potestas in coelo et in terra. Euntes ergo docete omnes gentes ... docentes eos servare omnia, quaecumque mandavi vobis; et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem saeculi" [4].

„Euntes in mundum universum, praedicate evangelium omni creaturae. Qui crediderit et baptizatus fuerit salvus erit; qui vero non crediderit, condemnabitur" [5].

En testimonium Christi de seipso, suaque missione. Profecto „erat docens eos sicut potestatem habens" [6]; non sicut philosophi gentium, non sicut scribae et pharisaei: „Nunquam sic locutus est homo, sicut hic homo" [7].

Atqui testimonium illud, quod Christus de sua legatione divina reddebat, verum comprobatur:
ex ipsius Christi moribus sanctissimis: *Art. I;*
ex prophetiis impletis: *Art. II;*
ex crebris miraculis: *Art. III;* demum
ex resurrectione Christi a mortuis: *Art. IV.*

---

[1] *Jo.* 3, 16-18. — [2] *Jo.* 13, 20; *Mt.* 10, 40; cfr. *Luc.* 10, 16. — [3] *Jo.* 20, 21. — [4] *Mt.* 28, 18-20. — [5] *Mc.* 16, 15-16. — [6] *Mt.* 7, 29. — [7] *Jo.* 7, 46.

Art. I.

DIVINA MISSIO CHRISTI PROBATUR EX IPSIUS CHRISTI MORIBUS SANCTISSIMIS.

80 **Argumentum primum.** — Vidimus quam clare, quam saepe Christus seipsum asseruit legatum Dei ad homines.

Jam in hoc negotio Christus aut propria imaginatione illusus est, aut insigni nequitia homines decepit, aut verum dixit.

Atqui primum et alterum manifeste excluditur. Ergo. —

I. **Christus, legatum Dei se exhibendo, propria imaginatione deceptus non fuit.** Pone virum, qui inani phantasia illusus, privatim et publice, coram amicis et inimicis, verbis et factis, constanter per plures annos se gerit ut legatum, imo ut filium Dei, qui ut talis plenam fidem et summum amorem exigit, qui demum in judicium adductus, pro hac illusione sententiam capitis et mortem diu praevisam subit, nonne *delirum* habes et plane *dementem?* Talem autem non fuisse Dominum nostrum, praestantissima ejus doctrina abunde testatur[1]. Aliunde ipsi adversarii rationalistae eum inter homines sapientissimos reputare solent!

Nec juvat dicere, Christum fuisse *ingeniosum enthusiasten;* nam qui enthusiasmo suo ita pessime illuderetur, profecto demens esset. Ceterum Christus absque ullo fundamento insani enthusiasmi aut fanatismi incusatur, quum contra summa animi moderatione, sobrietate, mansuetudine excelluerit[2], uti mox ostendemus.

---

[1] Cogita tot sententias inexhaustae profunditatis, parabolas amoenissimae simplicitatis, responsa prudentiae plena ad quaestiones captiosas. Lege v. g. *Mt.* 5-7; *Luc.* 20, 20-40. —
[2] Provocant adversarii: 1°. ad *Mc.* 3, 21: „Quum audissent sui *[οἱ παρ' αὐτοῦ]* exierunt tenere eum, dicebant enim, quoniam

II. **Christus, legatum Dei se exhibendo, deceptor non fuit.** Profecto, qui sui compos falso se gerit legatum Dei, ingens peccatum committit: reverentiam Deo debitam enormiter laedit, homines in re gravissima decipit, arrogantiae culmen attingit. Id igitur Dominus noster per totam suam vitam publicam fecisset! 81

in furorem versus est *[ὅτι ἐξέστη]*". Incertum est, utrum „sui" exierint tenere eum, quia alii ita loquebantur, an quia ipsi (aliqui eorum) ita aut sentiebant aut loquebantur. Nec impossibile est, quosdam ex cognatis Domini, considerantes initia praedicationis ejus totiusque vitae immutationem, ita judicasse. Universa autem historia evangelica clamat, Christum non insaniisse nec extra se fuisse. — Quodsi aliqui moderni (ut Joh. Weisz, O. Holtzmann) dicunt „conscientiam messianicam" psychologice nonnisi ex perturbata phantasia explicari, manifeste loquuntur ex suppositione gratuita, quod vera missio ac filiatio divina (sicut quodlibet factum supernaturale) est impossibilis; cfr. PH. KNEIB, *ModerneLeben-Jesu-Forschung unter dem Einflusse der Psychiatrie*, 1906, p. 46. — Objiciunt: 2°. Christum nec verbis nec factis eam ostendisse animi moderationem, quae sapientem decet. *Verba:* „Si quis non odit patrem suum et matrem, cet. non potest meus esse discipulus" (*Luc.* **14,** 26); „Si quis te percusserit in dexteram maxillam, praebe illi et alteram" (*Mt.* **5,** 39); „Nolite solliciti esse dicentes: quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur. Haec enim omnia gentes inquirunt" (*Mt.* **6,** 31); „Nolite vocari rabbi ... patrem ... ne vocemini magistri" (*Mt.* **23,** 8); cet. Porro haec et similia pro genio orientali et modo dicendi epigrammatico hyperbolice dicta sunt, nec aliter quam hyperbolice accipi debent, uti saepe contextus insinuat vel alii loci ostendunt. Numquid v.g. odium parentum docere voluit, qui vel inimicos diligere jubet (*Mt.* **5,** 24)! Applicatur illud: litera occidit, spiritus autem vivificat! Quodsi Dominus scribas et pharisaeos hypocritas et progeniem viperarum dicit (*Mt.* **12,** 34; **23,** 13 seq.), pro meritis eorum simul atque pro munere suo verba acerbiora adhibet. Lege contextus. *Facta* sunt expulsiones negotiatorum e templo (*Jo.* **2,** 13; *Mt.* **21,** 12; *Mc.* **11,** 15; *Luc.* **19,** 45) et imprimis maledictio ficulneae (*Mc.* **11,** 13; *Mt.*

Et recole *modum*, quo Christus se suamque doctrinam commendavit. Sub damnationis poena fidem ab omnibus ét sibi ét discipulis suis in perpetuum exegit; se ipsum dixit viam, veritatem et vitam, sine quo nemo ad Patrem venire, nemo quidquam boni facere posset. Filium Dei se fecit, cui Deus Pater omne judicium commiserit, qui venturus sit in nubibus coeli cum virtute multa et majestate. Asseruit se esse unum cum Patre, unde et omnia opera Patris omnemque potestatem in coelo et in terra sibi attribuit [1]. Nonne qui talia per fraudem sibi adscriberet, et in hujusmodi mendaciis perstaret, plane pessimus esset, omnium hominum odio et contemptu dignissimus?

Atqui Dominum nostrum, non dico pessimum, sed simpliciter malum habere, nec ipsi rationalistae praesumunt, quippe qui eum ut hominem integerrimum, atque generis nostri decus celebrare solent [2].

Jam vero si Christus neque deceptus fuit, neque deceptor, ergo testimonium quod perhibuit de seipso verum est, quartum enim non datur.

Corollarium. Observa igitur, quam flagranter sibi contradicant rationalistae, qui ab una parte, disertissimis Christi verbis fidem detrectando, illum neque ut filium Dei, neque

---

21, 19). In eos, qui sanctitatem templi violabant, Christus severus fuit, modum non excessit. Neque ipsos homines, flagello expulit, sed oves et boves: *ποιήσας φραγέλλιον ἐκ σχοινίων, πάντας ἐξέβαλε ἐκ τοῦ ἱεροῦ, τά τε πρόβατα καὶ τοὺς βοάς*, *Jo.* 2, 15. Maledictio ficulneae omnium judicio fuit actio symbolica, significans rejectionem synagogae, quae folia quidem legalitatis et zeli ostendebat, sed fructu internae sanctitatis carebat. Consule exegetas.

[1] Cfr. *Jo.* 3, 16-18; 5, 19, 22 seq.; 10, 30; 14, 6; 15, 5; *Mt.* 24, 30; 28, 18-20; *Mc.* 16, 15-16. — [2] Ita v.g. RENAN scribit: „Il [Jésus] est l'honneur commun de ce qui porte un coeur d'homme" (*Vie de Jésus*, Introd.)

ut legatum Dei suscipiunt, et ab alia parte eum extollunt ut virum sapientissimum simul et sanctissimum. Parcant verborum anfractibus [1], et nudum dilemma sibi atque lectoribus suis proponere audeant: aut *delirus*, aut *deceptor*, aut *legatus Dei!*

Argumentum alterum. — Fieri nequit, ut qui sanctitate 82
suprahumana fulget, legationem divinam falso praetendat; atqui Christus sanctitate suprahumana fulgebat; ergo.

---

[1] Ut sciatur, qua ratione rationalistae hac in re procedere soleant, haec exscribimus.

RENAN (*Vie de Jésus*, chap. XV): „Jésus rentra en Galilée ayant complètement perdu sa foi juive, et en plein ardeur révolutionnaire ... La loi sera abolie; c'est lui qui l'abolira. Le Messie est venu; c'est lui qui l'est. Le royaume de Dieu va bientôt se révéler, c'est par lui qu'il se révélera ... Le fils de l'homme après sa mort viendra avec gloire, accompagné de légions d'anges ... L'audace d'une telle conception ne doit pas nous surprendre. Jésus s'envisageait depuis longtemps avec Dieu sur le pied d'un fils avec son père. Ce qui chez d'autres serait un orgueil insupportable, ne doit pas chez lui être traité d'attentat ... Jésus ne doit pas être jugé sur la règle de nos petites convenances. L'admiration de ses disciples le débordait et l'entraînait. Il est évident, que le titre de rabbi, dont il s'était contenté, ne lui suffisait plus; le titre même de prophète ou d'envoyé de Dieu ne répondait plus à sa pensée. La position qu'il s'attribuait était celle d'un être surhumain et il voulait qu'on le regardât comme ayant avec Dieu un rapport plus élevé, que celui des autres hommes. Mais ... il n'y avait pour lui de surnaturel, car il n'y avait pas de nature ... Le besoin que Jésus avait de se donner du crédit et l'enthousiasme de ses disciples entassaient les notions contradictoires ... Une conviction absolue, ou, pour mieux dire, l'enthousiasme, qui lui [Jésus] ôtait jusqu'à la possibilité d'un doute, couvrait toutes ces hardiesses. Nous comprenons peu, avec nos natures froides et timorées, une telle façon d'être possédé par l'idée, dont on se fait l'apôtre. Pour nous la conviction signifie la sincérité avec soi-même. Mais la sincérité avec soi-même n'a pas

Probatur major. Nihil est, quod ex communi et recta hominum æstimatione doctrinam religiosam efficacius commendet, quam sanctitas praeconis. Hinc nemini facile persuadebis, divinam providentiam permittere posse, ut falsus propheta eximiae virtutis speciem continuo sustineat. At ubi agitur de sanctitate non solum eximia, sed omni ex parte consummata et plane singulari, certum est, eam in falso propheta inveniri non posse. Sane hujusmodi perfectissima sanctitas vires morales hominis excedit; teste enim communi experientia, in multis offendimus omnes. Hinc supponit auxilium Dei speciale, imo et specialissimum. Quodsi Deus tale auxilium praestaret homini, missionem divinam falso prætendenti, ejus fraudi efficacissime patrocinaretur.

---

beaucoup de sens chez lez peuples orientaux, peu habitués aux délicatesses de l'esprit critique. Bonne foi et imposture sont des mots qui, dans notre conscience rigide, s'opposent comme deux termes inconciliables. En Orient, il y a de l'un à l'autre mille fuites et mille detours ... La vérité matérielle a très peu de prix pour l'Oriental, il voit tout à travers ses préjugés, ses intérêts, ses passions ... Toutes les grandes choses se font par le peuple; or on ne conduit le peuple qu'en se prêtant à ses idées ... Celui qui prend l'humanité avec ses illusions et cherche à agir sur elle, et avec elle, ne saurait être blamé ... Il n'est pas de grande fondation, qui ne repose sur une légende. Le seul coupable en pareil cas, c'est l'humanité, qui veut être trompée".

O. PFLEIDERER: „Es ist freilich richtig, dass Jesus keinen neuen Gottesbegriff gelehrt hat; aber das Jesus die Idee des Vater-Gottes, welche andern vor ihm nur gestreift hatten, als centrale Wahrheit in seinem persönlichen Empfinden erlebte, und in diesem Lichte Welt- und Menschenbestimmung überhaupt, und seine eigene Lebensaufgabe insbesondere eigenartig erfasste, dass war allerdings die neue Thatsache, welche den Kern einer ganz neuen religiösen Welt in ihrer senfkornartigen Unscheinbarkeit geborgen hat. Die nächste und unmittelbare Consequenz dieses neuen Gottesgefühls war nun ein neues Gerechtigkeitsideal, aus diesem ergab sich

Probatur minor: **Christus sanctitate perfectissima et suprahumana fulgebat** [1]. 83

1°. Christus *omnis peccati expers* fuit. Parum est quod proditor Judas, Pilatus, ejusque uxor eum justum dixerint [2]; sed etiam apostoli, qui diu familiariter cum eo vixerant, eumque continuo observaverant, perfectam ejus impeccantiam aperte testantur [3].

---

unter der Realdialektik der thatsächlichen Erfahrungen, ein (theilweise) neues Reichsideal, mit welchen in Zusammenhang das messianische Selbstbewustsein sich bildete. Auf diesem Wege können wir die religiöse Entwicklung Jesu, immer unter Voraussetzung des Mysteriums des angebornen Genius, psychologisch wohl verstehen. Wüsste und fühlte Jesus sich selbst im Besitz einer beseligenden Erkentniss und Liebe des himmlischen Vaters, und sah er seine Brüder alle noch in der Irre gehen, so war es ganz natürlich und nothwendig, dass er das höhere Leben des Friedens und der Freude des Gotteskindes, das er in sich selber trug, auch den andern darbot... Und wenn nun vom ersten öffentlichen Auftreten an die tägliche Erfahrung ihm bezeigte, das wirklich in dem, was er aus seinen Eigenen mittheilte, die wirksamste Heilkraft für die kranken Herzen liege, wenn er in den Schulen und Gassen die zündende Macht seines Wortes, den lebenweckenden und geisterbannenden Eindruck seines Blickes, den ganzen geheimnissvollen Zauber der göttlichen Hoheit und menschlichen Milde seiner Persönlichkeit wahrnahm: wie natürlich geschah es da, dass ihm die erste leise Ahnung mit den wachsenden Erfolgen zur wachsenden Gewissheit wurde, dass er und kein anderer berufen sei, die verheissene Heilszeit seinem Volke heraufzuführen, d. h. dass er zu dessen Messias oder Heiland bestimmt sei (*Religionsphilosophie*, II², p. 187 et 191).

[1] Legatur HETTINGER, *Apologie*, 18er Vortrag: *Die Person Jesu Christi* (Ed. 10, p. 465); H. FELDER, *Die Heiligkeit Jesu*, 1921; o. c., II, p. 180-285. — [2] *Mt.* **27**, 4, 19, 24. — [3] PETRUS: „Vos autem sanctum et justum negastis" (*Act.* **3**, 14); „Redempti estis pretioso sanguine quasi agni immaculati Christi et incontaminati" (*I Petri* **1**, 19); „Christus qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in

Denique ipse Christus, qui omnes orare docuit: „dimitte nobis debita nostra", nullius peccati conscientiam umquam prodidit, numquam peccatorum suorum veniam rogavit; sed, quamvis humillimus esset, fidenter dixit: „Quis ex vobis arguet me de peccato" [1], et „Princeps hujus mundi in me non habet quidquam" [2], et alibi: „Ego, quae placita sunt ei [Patri] facio semper" [3].

2⁰. Christus *omni virtute eminebat*. Pauca innuimus, nam qui virtutes Christi ad vivum depingere vellet, universam ejus vitam narrare deberet.

Christus excelluit flagrantissima *charitate erga Deum*, cujus voluntatem facere cibus ipsi erat [4], cujus gloriam unice quaerebat [5]; *dilectione erga homines*, in quorum commodum se suaque omnia impendebat, ita ut tota ejus vita hoc compendio perstringatur: „Pertransiit benefaciendo" [6]; *humilitate et mansuetudine*, ita ut exemplo magis quam verbis omnibus inculcarit: „Discite a me, quia mitis sum et humilis corde" [7];

ore ejus" (l. c. 2, 22). — JOANNES: „Advocatum habemus apud Patrem, Jesum Christum justum" (*I Jo.* 2, 1); „Peccatum in eo non est" (l. c. 3, 5). — Consonat PAULUS: „Eum, qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit" (*II Cor.* 5, 21); „Sanctus, innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus" (*Hebr.* 7, 26).

[1] *Jo.* 8, 46. — [2] *Jo.* 14, 30. — [3] *Jo.* 8, 29. Sublimem hanc impeccantiam Christi ita miratur BOUGAUD: „Fait unique, qui élève Jésus-Christ à une hauteur incommensurable au-dessus des plus grands hommes de ce monde. Car lequel d'entre eux a été sans péché? Lequel a donné sa pureté immaculée pour base à une oeuvre de dix-huit siècles? Lequel a tellement identifié sa vie avec la beauté morale, que s'en éloigner c'est s'éloigner du bien, et que la copier c'est y atteindre? Sous ce rapport Jésus-Christ n'a ni pareil, ni rival. Il est unique et, par le seul fait de sa pureté immaculée, il nous apparaît au milieu des autres hommes, comme dans une sublime solitude" (*Jésus-Christ*, p. 94). — [4] *Jo.* 4, 34. — [5] *Jo.* 8, 50. — [6] *Act.* 10, 38. — [7] *Mt.* 11, 29.

obedientia, tum matri ac nutritio [1], tum potissimum Deo Patri „usque ad mortem, mortem autem crucis" [2]; *patientia* qua rudes discipulos, magnos peccatores, infensissimos persecutores, proditorem pertulit; invicta animi *fortitudine*, qua inter ultima ludibria et tormenta non aperuit os suum.

Quantum autem Christus in colendis virtutibus mensuram humanam excesserit, inde praecipue patet:

a. Quod inter ejus virtutes perfectissima fuerit *proportio atque harmonia*, ita ut altera alteri nullatenus nocuerit. Gravissimus erat, et nihilominus benignitate et affabilitate ipsos infantes alliciebat; supra omnem suspicionem castus erat, et tamen permisit, ut sibi a mulieribus necessaria vitae ministrarentur; justus erat sine duritia, indignans sine iracundia, humilis sine abjectione. Hinc est, quod in solo Christo non verificetur illud Thomae Kempensis: „Omnis perfectio in hac vita quandam imperfectionem sibi habet annexam" [3].

---

[1] *Luc* 2, 51. — [2] *Philipp.* 2, 8. — [3] *De Imit.*, I, 3, 4. — „Auch in den Heiligen finden sich die Spuren menschlicher Gebrechlichkeit; in Christus ist das Licht ohne Schatten. Liegt ja selbst in den Tugenden der Menschen oft ein Grund der Unvollkommenheit; denn wir sind so beschränkte Wesen, dass oft selbst unsere Stärke unsere Schwäche ist; wie es mit den Talenten geht, geht es auch mit den Tugenden, wir bilden eine Tugend gewissermaszen auf Kosten der anderen aus. Unter der Kraft leidet die Milde, unter der Demuth die Würde, unter dem eifervollen Wirken nach Aussen die Innerlichkeit; selbst in den Heiligen tritt eine Tugend vor der anderen in den Vordergrund; mitunder erschreckt uns der Heroismus ihrer Tugend durch einen Schein von Uebermass und Gewaltsamkeit, deren ohne Zweifel ihre Tugend bedürfte um den Sieg über die menschliche Unvollkommenheit zu erringen. In Christus aber haben wir eine in der Menschheit slechthin einzige Erscheinung vor uns. In ihm sind die scheinbar entgegengesetztesten Eigenschaften und Tugenden, kindliche Einfalt und wunderbare Klugheit, eine

b. Quo sanctitas, quamvis sublimissima sit, infirmum hominem non deterreat molesta quadam atque angusta rigiditate, sed e contra omnibus *amabilis atque imitabilis* appareat, ita ut Christus merito dixerit: „Jugum meum suave est et onus meum leve" [1].

Milde und Zartheit ohne Gleichen mit einer unerschütterlichen Kraft, die vollkommenste Demuth mit der erhabensten Würde, ein rastloses Wirken mit der tiefsten Innerlichkeit, ein glühender Eifer mit einer himmlischen Ruhe, ein allumfassende Liebe und Erbarmung mit dem höchsten Ernste heiliger Gerechtigkeit in dem lautersten Ebenmasse verbunden. Gerade diese wunderbare Einheit und Harmonie verleihet ihm jene unvergleichlich sittliche Schönheit, die Jeder empfindet... Wie im weissen Lichte alle Farben des Regenbogens in ihrer ungetheilten Einheit glänzen, so sind alle Tugenden der Weisen und Gerechten, alle Heiligkeit der Heiligen in der Vollkommenheit Christi, als ihrem Urquelle und göttlichen Urbilde, in höchster Fülle und reinster Schönheit verbunden." HEINRICH, *Dogm. Theol.* I², p. 438. — Eandem virtutum harmoniam extollit DR. A. PIERSON: „Meer dan één mensch viudt men terug in den Zoon des menschen: den strengen boetprediker, zoowel als den prediker der liefde; den asceet, die alle banden des bloeds verloochent, zoowel als den „Bruidegom", die zijn omgeving louter vreugde bereidt; den held vol geestdrift, die „den Satan gelijk den bliksem uit den hemel ziet vallen", zoowel als den menschenvriend, toegerust met het rekbaarst geduld, die zijn prediking bij het langzaam wassend zaad wil vergeleken hebben; den hemelsgezinde, die alle bezorgdheid afkeurt voor de aardsche dingen, zoowel als den stichter van een godsdienst, die niet schroomt zijn aanhangers, zoo dikwijls dezen zich stellen voor den Oneindige, de bede op de lippen te leggen: Geef ons heden ons dagelijksch brood!" *Geschiedenis v. h. Roomsch-Catholicisme tot op het Conc. van Trente*, I, p. 5.

[1] *Mt.* 11, 30. — „In dieser idealen Vollkommenheit Jesu liegt auch der Grund, wesshalb er das Vorbild und der Gegenstand, wie der höchsten Verehrung, so der zutraulichsten Liebe für *alle* Menschen ohne Unterschied der Zeit, der Nationalität, der Bildungsstufen, der persönlichen Eigenthüm-

Merito igitur concludimus, sanctitatem Christi, nullo defectu imminutam, nullo naevo obfuscatam, planeque idealem, vires humanas longe excessisse, a. v. fuisse miraculum in ordine morali. Jamvero omnino impossibile est, Deum tam mira sanctitate ornasse virum, qui insolentissima simulatione sese legatum Dei esse mentiretur [1].

Corollarium. Sunt qui supereminentem Domini sanctitatem 84
obscurare tentant, dicendo eum non satis liberum fuisse ab affectibus [2], imo caeca quadam affectione pauperibus, aegrotis, debilibus semper favisse, divites, fortes, justos aversatum esse.

Perfectio sanctitatis in humana natura non exigit, ut affectus non oriantur et alte persentiantur, sed ut voluntas rationalis per eos a persequendo bono honesto nullatenus retardetur; atqui nullum proferri potest exemplum, quo affectus

---

lichkeit sein kann. Alle finden in ihm die reinste und schönste Menschennatur ... Wie Jesus einst das Herz der hochgebildeten Griechen gewann, so gewint er heute das Herz der armen Wilden der Südsee, die mit staunender Bewunderung an den Lippen des Missionärs hangen, der ihnen das Bild Jesu vor die Seele stellt, dieses Menschen, wie es nie ein zweiten gab." HEINRICH, *l. c.*, p. 434. — „Si la vie et la mort de Socrate sont d'un sage, la vie et la mort de Jésus sont d'un Dieu. Dirons nous, que l'histoire de l'Évangile est inventée à plaisir? Mon ami, ce n'est pas ainsi qu'on invente ... Au fond, c'est réculer la difficulté sans la détruire; il serait plus inconcevable, que plusieurs hommes d'accord eussent fabriqué ce livre, qu'il ne l'est qu'un seul en ait fourni le sujet. Jamais des auteurs juifs n'eussent trouvé ni ce ton, ni cette morale; et l'Évangile a des caractères de vérité si grands, si frappants, si parfaitement inimitables, que l'inventeur en serait plus étonnant que le héros." ROUSSEAU, *Emile*, 1, IV.

[1] Mitto, quod horribile portentum in ordine morali adstrueret, qui admitti posse putaret, virum, tantam sanctitatem in omnibus ostendentem nihilominus pessimum deceptorem fuisse. — [2] Cfr. v. g. *Jo.* **11**, 33, 35; *Mt.* **26**, 37 seq.; **27**, 46.

Christum a bono morali retardaverint. Similiter non est contra perfectionem sanctitatis intimos affectus per verba cet. manifestare, dummodo manifestatio fiat ex causa legitima; atqui Dominus affectus suos manifestabat non ex pusillanimitate, sed ad eruditionem nostram. — Nec verum est Christum caeca affectione aut per acceptionem personarum aliis favisse, alios aversatum esse. Finem suum, qui erat omnes salvare, prosequebatur modis conditioni audientium accommodatis. Hinc iis, qui ignorantiae et inopiae spiritualis sibi conscii erant, blandus esse solebat; cum iis qui in se confidebant, qui sibi fortes, justi, divites videbantur, alios vero aspernabantur aut iis invidebant, generatim austerus et nonnumquam rigidus erat, non ut eos propulsaret, sed ut superbiae et sufficientiae sensum, qui maximum salutis messianae obstaculum erat, confundendo frangeret. Ceterum Dominus etiam cum apostolis et amicis, quos certe non aversabatur, aliquando austerius agebat, pro gravitate scil. officii sui et adjunctorum necessitate [1].

Art. II.

DIVINA MISSIO CHRISTI PROBATUR EX CHRISTI PROPHETIIS.

Ut argumentum ex vaticiniis Christi valeat, tria veniunt ostendenda, np. 1°. Christum annuntiasse res futuras, quae postea revera acciderunt (*veritas historica*); 2°. harum rerum praescientiam in Christo minime naturalem fuisse (*veritas philosophica*); 3°. Christum illas prophetias edidisse in confirmationem suae legationis (*veritas relativa*).

---

[1] Cfr. v. g. *Mc.* 8, 33; 9, 32-33; *Luc.* 10, 41; 23, 27-30; 2, 49. Cfr. HENNEMANN, *Die Heiligkeit Jesu*, 1898.

I. **Christus plura praedixit, quae postea eventu completa sunt**[1]. 85

1⁰. *Circa seipsum.* — „Coepit illis dicere, quae essent ei eventura. Quia ecce ascendimus Jerosolymam, et filius hominis tradetur principibus sacerdotum et scribis et senioribus, et damnabunt eum morte, et tradent eum gentibus, et illudent ei, et conspuent eum, et flagellabunt eum, et interficient eum, et tertia die resurget" [2]. Violenta mors Messiae in V. T. praedicta quidem erat, sed tempore Christi nemo Judaeorum hos textus de Messia intellegebat, unde a mentibus ipsorum apostolorum plane aliena erat idea Messiae patientis ac morientis [3]. Praeterea adjuncta enumerata, quod scil. proceribus Judaeorum traderetur, ab hisque illuderetur, conspueretur, flagellaretur, denique quod tertia die resurgeret, a nullo diserte praenuntiata erant. — Quam accurate autem haec omnia impleta sint, notissimum est.

2⁰. *Circa discipulos.* — a. „Mittit duos ex discipulis suis, 86
et ait illis: Ite in castellum quod contra vos est, et statim introeuntes illuc, invenietis pullum ligatum, super quem nemo adhuc hominum sedit; solvite illum et adducite. Et si quis vobis dixerit: quid facitis, dicite: quia Domino necessarius est; et continuo illum dimittet huc" [4]. — Et sequitur impletio.

b. „Et dixit ad eos: ecce introeuntibus vobis in civitatem occurret vobis homo quidam, amphoram aquae portans; sequimini eum in domum, in quam intrat. Et dicetis patrifa-

---

[1] Ne veritas philosophica dubia sit, omittendas ducimus praedictiones Christi de iis rebus, quae in V. T. jam praenuntiatae fuere, nisi quatenus Christus novam determinationem aut applicationem addiderit. Cfr. F. SCHMID, *Christus als Prophet; Rev. prat. d'apol.* 1914, tom. 17, p. 801; tom. 18, p. 5 et 161. — [2] *Mc.* **10**, 32-34; cfr. *Mt.* **20**, 18-19; *Luc.* **18**, 32-33. — [3] *Jo.* **12**, 34; *Luc.* **18**, 34. — [4] *Mc.* **11**, 2-3; cfr. *Mt.* **21**, 2 seq.

milias domus: dicit tibi magister, ubi est diversorium, ubi pascha cum discipulis meis manducem. Et ipse ostendet vobis coenaculum magnum, stratum, et ibi parate" [1]. — Sequitur: „Euntes autem invenerunt, sicut dixit illis".

c. „Edentibus illis dixit: Amen, dico vobis, quia unus vestrum me traditurus est ... Respondens autem Judas, qui tradidit eum, dixit: numquid ego sum Rabbi? Ait illi: tu dixisti" [2].

d. „Ait illi [Petro] Jesus: Amen, dico tibi, quia in hac nocte, antequam gallus cantet, ter me negabis" [3]. Impletionem vide *Mt* **26**, 69-74 et loc. parall.

e. „Et convescens praecepit eis, ab Jerosolymis ne discederent, sed exspectarent promissionem Patris, quam audistis (inquit) per os meum: quia Joannes quidem baptizavit aqua, vos autem baptizabimini Spiritu Sancto non post multos hos dies .... Accipietis virtutem supervenientis Spiritus Sancti in vos, et eritis mihi testes in Jerusalem et in omni Judaea et Samaria et usque ad ultimum terrae" [4]. Effusio Spiritus s. praedicta quidem erat a Joël [5], quod autem praecise in apostolos fieret, et quidem intra paucos dies post ascensionem, nemo ante Christum edixerat. — Impletionem habes *Act.* **2**, 1 seq.

87 3⁰. *Circa destructionem Urbis.* — Excidium urbis Jerusalem et templi vaticinatus erat Daniel [6]. Nihilominus prophetia Domini tam originalis erat, ut plures rationalistae propter hanc potissimum prophetiam dicant, evangelia Mt. en Luc. non nisi post excidium urbis conscribi potuisse. Reapse Dominus prophetiae Danielis plura adjecit.

a. Destructionem templi minime coincidere cum fine mundi, quod ab exspectatione Judaeorum omnino alienum erat:

[1] *Luc.* **22**. 10-12. — [2] *Mt.* **26**, 21-25; — [3] *Mt.* **26**, 34; *Mc.* **14**, 30 — [4] *Act.* **1**, 4-8; cfr. *Luc.* **24**, 29. — [5] *Joel.* **2**, 28; cfr. *Act.* **2**, 16-17. — [6] *Dan.* **9**, 17-27; cfr. no. **157** seq.

„Jerusalem calcabitur a gentibus, donec impleantur tempora nationum" [1].

b. Urbem vallo includendam esse: „Et circumdabunt te inimici tui vallo" [2]. — Quod a Tito factum esse narrant JOSEPHUS [3], et TACITUS: „Hanc adversum urbem gentemque caesar Titus aggeribus, vineisque certare statuit" [4].

c. Judaeos maximas angustias esse subituros: „Coangustabunt te [Jerusalem] undique" [5]. „Erit enim pressura magna super terram et ira populo huic. Et cadent in ore gladii" [6]. — Quam terribiliter autem haec prophetia impleta sit, patet ex JOSEPHO: „Totius obsidionis tempore undecies centena hominum millia (1,100,000) perierunt. Horum major pars ejusdem quidem gentis erat, non vero ejusdem regionis, nam qui e tota regione ad azymorum festum convenerant, derepente bello circumdati erant, adeo ut primo quidem ex loci angustia in illos invaderet pestis, ac deinde citius fames" [7].

d. Ruinam templi et urbis fore completissimam: „Vides has omnes magnas aedificationes [templi]? Non relinquetur lapis super lapidem, qui non destruatur" [8]. „Non relinquent in te [Jerusalem] lapidem super lapidem" [9]. — Jam *templum* sub Tito igne destructum est [10]. Fundamenta vero et quae remanserant ruinae vix non totaliter dirutae sunt, quando Judaei, instigante Juliano apostata, templum restituere conati sunt. „Noctu ingens terraemotus exortus lapides, ex veteribus templi fundamentis avulsos, sursum excussit, et cunctos una cum contiguis aedificiis dispersit" [11]. „Metuendi globi flammarum prope fundamenta crebris assultibus erumpentes fecere locum, exustis aliquoties operantibus, inaccessum; hocque

---

[1] *Luc.* 21, 24. — [2] *Luc.* 19, 43. — [3] *De Bell. Jud.* 5, 12, 2; 6, 8, 1. — [4] *Hist.* 5, 13. — [5] *Luc.* 19, 43. — [6] *Luc.* 21, 23-24. — [7] L. c., 6, 9, 3; cfr. 5, 11, 1. — Notat HETTINGER (*Lehrb.*[2] p. 358), Josephum in numeris tradendis non semper plenam fidem mereri. — [8] *Mc.* 13, 2. — [9] *Luc.* 19, 44. — [10] JOSEPH. l. c. 6, 4-6. — [11] SOCRATES, *Hist. Eccl.* 3, 2.

modo, elemento obstinatius repellente, cessavit incoeptum" [1]. — De *urbe* autem haec habet JOSEPHUS: Relictis tribus turribus et occidentali muri parte, „totum reliquum civitatis ambitum ita solo aequavere qui eum diruebant, ut ne quidem umquam habitatam fuisse, vix fidem amplius faceret eo accedentibus" [2].

e. Judaeos per omnes gentes esse dispergendos; Jerusalem (ut metropolim scil. reipublicae judaicae, ideoque et ipsam rempublicam Judaeorum) non esse restituendam: „Captivi ducentur in omnes gentes, et Jerusalem calcabitur a gentibus, donec impleantur tempora nationum" [3]. — Atqui post captam sub Tito urbem, plurimi ex Judaeis venumdati sunt [4]; qui vero in Palestina remanserant, sub Hadriano iterum victi, in varias regiones et usque in Hispaniam missi sunt; atque ex eo tempore et deinceps in omnes ferme gentes dispersi sunt. Sub eodem Hadriano Jerusalem sub nomine Aeliae Capitolinae reaedificatum quidem est, sed nova haec urbs numquam in potestate Judaeorum fuit [5].

---

[1] AMMIANUS MARCELLINUS, (scriptor gentilis, qui sub Juliano militaverat) *Rer. Gest.* **23,** 1; cfr. KNABENB. in *Mt.* II², p. 313. — [2] L. c. 7, I, 1. — [3] *Luc.* **21,** 24. — [4] JOSEPH. l.c. **6,** 9, 2. — [5] Cfr. GRANDERATH, *„Die Trümmer des Israelitischen Volkes"*, in *Stimmen*, 1879, tom. 17, p. 42 seq. — Multi theologi hoc loco etiam argumentantur ex iis, quae leguntur *Mt.* **24,** 4-14 (et locis parall.); quum tamen inter exegetas non constet, res ibi relatas a Christo datas esse ut *signa*, excidium *urbis* praecedentia, argumentum certum non suppeditant. Exsistit siquidem de hisce versibus quadruplex sententia. *Prima* tenet, recenseri signa ruinam urbis annuntiantia; *secunda* putat, dari signa ultimo judicio praevia; *tertia* docet, exhiberi signa utramque calamitatem simul spectantia, implenda scil. in sensu pleno ante destructionem orbis, in sensu minus pleno ante ruinam urbis. *Quarta* denique autumat, dari monitiones potius quam signa; ita ut Christus dixerit: vos de tempore quaeritis et de signo, sed ante omnia vigilate et cavete, ne quis vos abducat a fide in

Corollarium. Prophetiis aequiparantur *absentium aut occultorum* manifestationes per Christum factae. „Cum esses sub ficu, vidi te [Nathanaëlem]" [1]. „Quinque viros habuisti, et quem nunc habes, non est tuus vir" [2]. „Lazarus amicus noster dormit, sed vado ut a somno excitem eum ... Dixit eis manifeste: Lazarus mortuus est, et gaudeo propter vos, ut credatis, quoniam non eram ibi" [3]. „Vade ad mare et mitte hamum, et eum piscem, qui primus ascenderit, tolle et aperto ore ejus invenies staterem" [4]. 88

II. **Praedictiones Christi naturaliter explicari nequeunt.** 89

Legenti apparet, *certo* ac *determinate*, imo cum *magna claritate*, a Christo praenuntiatos esse eventus *multos* et aliquando satis *complexos*, a *libera Dei aut hominum voluntate pendentes*. Plures ex iis ejusmodi erant, ut ne conjecturaliter quidem praevideri potuerint, nonnulli omnem creati intellectus praevisionem excedunt. Ergo certum est, Christum omnes hos eventus simul sumptos, non nisi divinitus praecognoscere potuisse. Et idem, sin minus de singulis, de pluribus saltem in specie affirmare licet.

III. **Christus prophetias suas in confirmationem suae missionis edidit.** 90

1°. Christus *generatim* omnia sua opera mirabilia induxit ut signa suae legationis: „Ipsa opera, quae ego facio, testimonium perhibent de me, quia Pater misit me" [5]. Nomine autem *operum* intellegenda sunt omnia insignia, quae Christus gessit, ergo etiam prophetiae.

---

me, venient enim impostores, bella, calamitates, persecutiones, scandala, cet.; verum inter haec omnia firmiter standum est: quidquid enim acciderit, Evangelium meum per universum orbem dispergetur. Cfr. KNABENB. in *Matth*, II², p. 315 seq.

[1] *Jo.* 1, 48. — [2] *Jo.* 4, 18. — [3] *Jo.* 11, 11-15. — [4] *Mt.* 17, 29. — [5] *Jo.* 5, 36.

2°. Praeterea aliquoties *specialiter* asseruit, se hanc rem praedicere, ut legatus divinus crederetur; ita v. g. proditionem Judae vaticinans, adjecit: „Amodo dico vobis, priusquam fiat, ut cum factum fuerit credatis, quia ego sum [ille, quem me esse semper professus sum, n.p. Messias]" [1]. Item ruinam urbis praedicens, addidit: „Non relinquent in te lapidem super lapidem, eo quod non cognoveris tempus visitationis tuae" [i. e. quia me ut promissum Messiam suscipere noluisti] [2].

Corollarium. Ipsos apostolos scientiam rerum occultarum, quam Christus ostenderat, considerasse ut argumentum divinae legationis ejus, patet ex propriis eorum verbis: „Nunc scimus quia scis omnia, et non opus est tibi, ut quis te interroget, in hoc scimus quia a Deo existi" [3].

Nota. Hoc loco movetur objectio, quod Christus παρουσίαν suam et finem mundi ut jam imminentes praedixerit. Sed quum res longiorem inquisitionem requirat, eam in *appendicem II* remittimus.

Art. III.

DIVINA MISSIO CHRISTI PROBATUR EX CHRISTI MIRACULIS [4].

Iterum ostendenda est triplex miraculorum Christi veritas: historica, philosophica, relativa; et quidem paulo fusius pro rei gravitate.

[1] *Jo.* 13, 19. — [2] *Luc.* 19, 41-44. — [3] *Jo.* 16, 30. — [4] Cfr. L. FILLION, *Les miracles de N. S. Jésus-Christ* 1909-10; E. JACQUIER et BOURCHANY, *La Résurrection de J. C. et les miracles évangeliques*, 1911; P. DAUSCH, *Die Wunder Jesu*, 1912, (*Bibl. Zeitfr.* V, n°. 11 et 12). IGN. WATTEROTT, *Lehre und Wunder des Gottmenschen*, 1922; FELDER, o. c., II, p. 291-471.

I. **Christus plurima opera mirabilia patravit.** 91

Facta miraculosa a Christo patrata recensere superfluum est; plus quam quadraginta in Evangeliis speciatim narrantur, multo plura modo generali referuntur [1]. Speciminis gratia legantur *multiplicatio panum* [2], *sanatio caeci-nati* [3], *resuscitatio Lazari* [4]. — Ceterum miracula Christi ad tres classes revocari possunt, alia enim facta sunt in creaturas irrationales, alia in homines, alia in spiritus separatos (daemonum ejectiones).

His praemissis, aliquantulum insistemus veritati historicae miraculorum Christi *in genere*; non enim ex uno alterove miraculo in specie argumentari intendimus, sed ex omnibus simul sumptis.

Igitur Christum mira opera effecisse constat:

1°. Ex *testimonio Evangelistarum*, quorum auctoritatem historicam, ut alibi probatam, supponimus. Observa tamen, plane irrationabiliter agere eos, qui Evangelistis in aliis fidentes, eorum testimonium rejiciunt, ubi miracula referunt. Etenim **a.** facta mirabilia non difficilius verificantur quam alia facta, imo majorem attentionem et diligentiam sollicitare solent; unde qui in ceteris fide digni habentur, in hoc respui rationabiliter nequeunt, praesertim quum eventus tristes et Christo ignominiosos nec taceant nec honestare conentur. Praeterea **b.** miracula ita intime cum aliis factis et doctrinis in Evangeliis relatis contexta sunt, ut, si auferantur, universa historia evangelica rejicienda sit, quum demptis miraculis proprio charactere destituatur, omnique cohaerentia careat [5].

---

[1] Cfr. v. g. *Mt.* **8**, 16; *Luc.* **4**, 40. — [2] *Mt.* **14**, 14 seq. (*Mc.* **6**; *Luc.* **9**; *Jo.* **6**). — [3] *Jo.* **9**, 1 seq. — [4] *Jo.* **11**; cfr. *Rev. prat. d'apol.*, 1921, tom. 31, p. 533 seq. — [5] „Die Wundererzählungen bilden so sehr die Substanz des synoptischen Berichtes, dass, sobald man sie herausbricht, die ganze Mosaikarbeit jeden erkennbaren Plan, alle verständliche Zeichnung verliert . . . Ohne Anerkennung täglich

Ceterum c. ipsa indoles miraculorum Christi non parum differt ab iis, quae in aprocryphis narrari solent. Non sunt ostensiones sterilis potentiae aut vanae curiositatis pabula, sed fere omnia misericordiae ac charitatis documenta exsistunt.

Adverte, historicam veritatem miraculorum Christi, evangelistis testibus, non solum a discipulis Christi, sed etiam ab ejus inimicis admissam esse [1].

92 2°. *Ex testimoniis veterum extra Scripturam.* Sane nemo negare potest, primis christianismi temporibus omnes, tum *christianos*, tum *judaeos*, tum *gentiles* mirabilia opera Christi ut historice certa admisisse.

a. *Quadratus* apologiam pro christianis Hadriano imperatori (a. 117-138) offerens, de iis, qui a Christo sanati aut suscitati erant, scribit: „Qui quidem non solum dum sanabantur, aut ad vitam revocabantur, conspecti sunt ab omnibus, sed secuto deinceps tempore. Nec solum quamdiu in terris moratus est Servator noster, verum etiam post ejus discessum diu superstites fuerunt, adeo ut etiam ad nostra usque tempora pervenerint" [2].

S. Justinus M., miracula Christi memorans, addit: „Quod autem illa fecit [Jesus], ex Actis sub Pontio Pilato confectis discere potestis" [3].

Tertullianus vitam, miracula, mortem Christi enarrans

---

vorkommender, wunderbarer Heilungen gibt es slechterdings keine evangelische Geschichte". HOLTZMANN, *Die synoptischen Evangelien*, 1863. p. 509.

[1] *Mt.* 9, 34; *Luc.* 23, 8; *Jo.* 11, 47. — [2] Apud EUSEB., *H. E.* 4, 4. PHILIPPUS SIDETES (c. 450) in *Hist. christian.* refert, Papiam memorasse personas a Christo suscitatas, quae usque ad tempus Hadriani vixissent. Cfr. PREUSCHEN, *Antilegomena* (1901) p. 58. — [3] *Apol.* I, 48.

subjungit: „Ea omnia super Christo Pilatus, et ipse pro sua conscientia christianus, caesari tunc Tiberio nuntiavit" [1].

b. *Flavium Josephum* Christum vocasse „mirabilium operum effectorem", supra jam retulimus (n° 75). Ceterum quam parum Judaei, cum coaevi tum posteri, prodigiosa Christi opera negare ausi sint, exinde patet, quod eo per magicas artes, quas Christus in Aegypto didicisset (Talmud), aut per virtutem nominis *Jhvh*, cum propriis vocalibus pronuntiati, cujus notitiam Christus dolo sibi comparasset (Toldoth Jesu), explicare conati sint [2].

c. De *Celso*, christianismi hoste infensissimo, scribit ORIGENES: „Assensum quodammodo praebet miraculis, quae Jesus fecit, et quibus multos adduxit, ut ipsum tamquam Christum sequerentur, at miracula illa non divina virtute, sed magicis artibus facta fuisse calumniatur" [3].

Julianus apostata dicebat: „Hic [Jesus] toto vitae tempore nihil admodum memoratu dignum egit, nisi quis claudos et caecos curare, et daemonio correptos adjurare in pagis Bethsaida et Bethania alicujus facinoris numero habeat" [4].

---

[1] *Apologetic.* 21, 86-87. Ex eo quod nec s. Justinus, nec Tertullianus, qui apologiam Justini legerat, nec alius quisquam ostendit, se Acta illa Pilati legisse aut vidisse, plures eruditi inferunt, apologetas exsistentiam hujusmodi relationis *supposuisse* tantum, eo quod persuasum illis esset, procuratores romanos de omnibus majoris momenti negotiis Romam renuntiare. — Quae nunc exstant *Acta Pilati* saec. IV aut V confecta sunt. Cfr. A. HARNACK, *Die Chronologie der alt-Christl. Litt. bis Eusebius*, I, p. 605-611; BATIFFOL. *La Littér. Grecque*[3], p. 38; BARDENHEWER, *Altkirch. Litt.*, I. p. 409. — [2] Cfr. NORBERT A. TUX, *Comp. Theol. fundam.* I, p. 261; LIEBERMANN, *Instit. Theol.* I[10], p. 422. — [3] C. *Celsum*, 1, 38 — [4] S. CYRILLUS ALEX., *Adv. Julian.* 6.

Jam finge, mira Christi opera non fuisse nisi discipulorum commenta, nonne eorum coaevi, christiani nominis hostes, huic fraudi apertissime et absolutissime contradixissent? Nonne posteriores christianismi impugnatores, tum gentiles tum maxime judaei, hanc contradictionem indesinenter repetivissent, praesertim quum, teste historia, et ipsi apostoli et antiquissimi patres atque apologetae semper ad illa miracula provocarint?

Quodsi per testimonia extra-evangelica constat, Christum fuisse thaumaturgum, jam nulla omnino remanet ratio, propter quam illi, qui veracitatem evangeliorum in genere admittunt, narrationes miraculorum, uti in evangeliis prostant, rejiciant.

93 II. **Prodigiosa opera Christi vera miracula fuerunt.**

Quum enim neque per occultas naturae vires, neque per interventum mali daemonis explicari queant, relinquitur, ea divina virtute effecta esse.

1°. Excluditur explicatio per *ingeniosam virium naturalium applicationem* (artem, fraudem, casum).

a. Plura saltem ex miraculis Christi omnem visibilis creaturae facultatem manifeste excedunt, sive quoad subjectum in quo fiebant, v.g. mortuorum resuscitationes[1], sive quoad modum quo fiebant, v.g. multiplicatio panum, sanatio absentis filii reguli[2]. Haec autem tum sola ad probationem sufficiunt,

[1] Frustra ad eliminandas mortuorum resuscitationes, rationalistae objiciunt, difficulter admodum dignosci posse, num aliquis vere mortuus sit. Nam, ut alia praetereamus, quomodo, ceteris omnibus mortem attestantibus, solus Christus scire potuit, Lazarum, filiam Jairi, filium viduae non esse mortuos, et quidem antequam eos (Lazarum saltem et filiam Jairi) vidisset? Praeterea, Lazarum quod attinet, Christus absens ejus mortem et futuram resuscitationem apostolis praedixerat. Legantur historiae: *Jo.* 11; *Luc.* 7, 11 seq.; 8, 49 seq. — [2] *Jo.* 4, 46 seq.

tum evincunt, alia signa, quorum character miraculosus per se non ita evidens est, naturali virtute facta non esse[1].

b. Si considerantur magnus *numerus* et summa *varietas* signorum, quae Jesus fecit *absque ullo apparatu* et *palam*, in locis ac viis publicis, multis saepe spectantibus amicis et inimicis, quaelibet artis aut fraudis, omnisque naturalis explicationis suspicio excluditur. „Potestisne, ita ARNOBIUS paganos rogabat, aliquem nobis designare, monstrare ex omnibus illis magis, qui umquam fuere per saecula, consimile aliquid Christo *millesima ex parte* qui fecerit?"[2] — Revera tantum abest, ut Christus praestigiatorem egerit, ut frequentia et varietate signorum, modoque ea patrandi, seipsum non thaumaturgum tantum, sed totius creaturae animatae et inanimatae dominum ostenderit.

c. Demum legantur „naturales" explicationes miraculorum Christi, quas increduli passim proposuerunt, non nisi vanas, contortas, ridiculas invenies[3]. — Hinc patet quid valeat

[1] Cfr. supra n⁰ **52**. — [2] *Adv. Gentes*, I, 43. — [3] Supra jam retulimus (n⁰ **50**, e, nota) qua ratione Christus secundum RENAN aegros sanaverit; idem auctor daemonum ejectiones explicat dicendo: „Il y avait alors beaucoup de fous en Judée, sans doute par suite de la grande exaltation des esprits. Jésus avait beaucoup de prise sur ces malheureux. Une douce parole suffit dans ce cas pour chasser le démon" (*Vie de Jésus*, ch. 16). Affinis est K. FURRER: „Das Volk wartete mit fieberhafter Ungeduld auf das Kommen des Messias. Das lange Hoffen und Harren hatte die Nerven von Tausenden zerrüttet und eine ganze Menge von Krankheitserscheinungen hervorgerufen. Welch ein gewaltigen Eindruck muss auf diese Nervenkranken diese innerlichtst gesunde, geheiligte Persönlichkeit [Jesu] gemacht haben. Ja, wir begreifen, dass Hunderte und Hunderte von ihm geheilt hingegangen sind" (*Vorträg. u. d. Leben Jesu*, 1902, p. 126). Multiplicationem panum ita explicavit G. PAULUS († 1850): Christus et apostoli de suo paucos aluerunt; hoc exemplo inflammati alii, qui cibos secum

objectio: tempore Christi homines propter rerum naturalium ignorantiam statim miraculum clamabant! Esto; sed haec ignorantia non impediebat, quominus res gestas observarent et secundum veritatem referrent; explicent igitur res narratas nostri saeculi eruditi!

94 2°. Excluditur explicatio per *mali daemonis auxilium*, etenim:

a. Nonnulla Christi miracula, v.g. mortuorum resuscitationes, cujuslibet creaturae excedunt virtutem.

b. Pensanda sunt *adjuncta*. Eximia Christi sanctitas et modus, quo miracula faciebat: absque ulla elatione, non ad curiositatem explendam sed ad miseris succurrendum, cet. vel suspicionem diabolici interventus removent [1].

c. Pensandi sunt *finis et fructus* miraculorum Christi. Christus, ut mox ostendemus, miracula sua faciebat in commendationem doctrinae suae, quae utique sancta erat et

attulerant, ceteris esurientibus partem dederunt, ita ut omnes manducarent! Eadem fere proferunt BERN. WEISZ (*Leben Jesu*, 1902, II⁴, p. 186) et FURRER (l. c., p. 131). RENAN scribit: „Grâce à une extrême frugalité, la troupe sainte y vécut [dans le désert], on crut naturellement voir en cela un miracle" (*Vie* ch. 12). Fuerunt, qui ad tempestatis sedationem explicandam supponerent, Christum oleum in undas effudisse; HASE rem de sedatis animis apostolorum, propter tempestatem conturbatorum, intellegit. FURRER scribit: „Wenige Minuten später hörte der Sturm auf. Es ist nämlich den Stürmen jener Gegend eigen, dass sie plötzlich kommen und plötzlich wieder aufhören" (l. c., p. 129). O. HOLTZMANN scribit: „Es ist nur verwunderlich, dass der See thatsächlich ruhiger wurde. Aber so etwas kann doch zusammentreffen" (*Leben Jesu*, 1901, p. 209). Similia proferuntur de ambulatione Christi super mare, seu verius, ut aiunt, ad mare! Cfr. OTTIGER, *Theol. fund.* I, p. 759; FONCK in *Zeits. f. k. Theol.* 1903, p. 302 seq.; DR. J. SMIT, *De Daemoniacis in Historia Evangelica*, 1913.

[1] Ipse Christus excludit possibilitatem interventus diaboli; cfr. *Mt.* 12, 25-37.

daemonibus multum adversa. Hanc igitur spiritus nequam sua virtute commendare et propagare voluisset [1]?

III. **Christus miracula sua in probationem suae missionis ordinavit** [2]. 95

1°. Modo *generali* omnia sua miracula simul. Ita quaerentibus Baptistae discipulis: „Tu es, qui venturus es, an alium exspectamus"? respondit: „Euntes renuntiate Joanni quae audistis et vidistis; caeci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt, pauperes evangelizantur" [3]. Judaeis interrogantibus: „Si tu es Christus, dic nobis palam," reposuit: Loquor [εἶπον] vobis et non creditis. Opera, quae ego facio in nomine Patris mei, haec testimonium perhibent de me... Quem pater sanctificavit et misit in mundum, vos dicitis: quia blasphemas, quia dixi: Filius Dei sum. Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi; si autem facio, et si mihi non vultis credere, operibus credite" [4]. Et alibi: „Opera, quae dedit mihi Pater, ut perficiam ea, ipsa opera, quae ego facio, testimonium perhibent de me, quia Pater misit me" [5].

2°. Aliquando etiam *specialiter* finem miraculi indicavit; v.g. Lazarum ad vitam revocaturus, dixit: „Pater, gratias ago tibi, quoniam audisti me. Ego autem sciebam, quia semper me audis, sed propter populum qui circumstat dixi, ut credant, quia tu me misisti. Haec cum dixisset, voce magna clamavit: Lazare, veni foras" [6]. Item paralyticum sanaturus aiebat: „Ut autem sciatis, quia filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata, tunc ait paralytico: surge, tolle lectum tuum, et vade in domum tuam" [7].

---

[1] Cfr. *Luc.* 11, 15-18. — [2] Quod negatur a modernistis, cet. Cfr. Decr. *Lam.* prop. 28, DENZ. 2028. — [3] *Mt.* 11, 3-5. — [4] *Jo.* 10, 24-38. — [5] *Jo.* 5, 36. Cfr. 15, 21-24. — [6] *Jo.* 11, 41-43. — [7] *Mt.* 9, 6.

Restat igitur, ut quilibet sincerus cum Nicodemo dicat: „Rabbi, scimus, quia a Deo venisti magister, nemo enim potest haec signa facere, quae tu facis, nisi fuerit Deus cum eo" [1].

96 **Scholion 1.** *Diluuntur quaedam difficultates.* — Rationalistae necnon modernistae aliquando contendunt, ipsum Christum miracula parvi aestimasse, aut saltem non eo fine miracula fecisse, ut homines ad fidem perducerentur. Quam falsa sit haec assertio, ex praedictis patet, sed difficultates quaedam breviter diluendae sunt.

a. Christus miraculum postulantes aliquando acriter increpat [2]; — sed eos, qui veritatem minime quaerentes, malitiam suam sub colore ignorantiae abscondere cupiebant; qui semper nova prodigia, et imprimis „signum de coelo" quaerebant. Et tamen simul signum omnino maximum, suam n.p. resurrectionem, annuntiat. Alibi Christus lenius animadvertit in eos, qui non increduli quidem, sed tamen nimis tardi ad credendum erant [3].

b. Item laudat eos, „qui non viderunt, et crediderunt" [4]; — sed textus non directe agit de miraculis. Reprehenduntur ii, qui legitimo testimonio non contenti, propriis tantum sensibus fidunt. Nonne suavi hac reprehensione dignus erat Thomas, qui post ipsius Christi praedictionem et coapostolorum testimonium, factum resurrectionis admittere noluerat, antequam suis oculis vidisset, suis manibus palpasset [5]?

c. Christus ab aegrotis, quos sanabat, fidem in semetipsum jam praeexigere solebat [6]; — et certe congruum omnino erat,

[1] *Jo.* 3, 2. — [2] *Mt.* 12, 39; 16, 1; *Mc.* 8, 11; *Luc.* 11, 16-29. — [3] *Jo.* 4, 48. — [4] *Jo.* 20, 29. — [5] Cfr. *Mc.* 16, 14. — [6] Cfr. *Stimmen*, 1918, tom. 96, p. 1 seq.

ut qui sufficientia credibilitatis motiva aliunde jam haberent sese credendo, divino munere digni redderent. Attamen id minime impediebat, quominus miraculum in confirmationem legationis Christi vergeret, augendo n.p. fidem ipsius aegri, aliosque ad fidem perducendo. Quinimo ipsa praevia fidei postulatio veritatem relativam sequentis miraculi probat, qui enim dicit: sanabo te, si credideris me esse promissum Messiam, eo ipso miraculum futurum in confirmationem suae missionis ordinat. Ceterum Christus non semper fidem praeexigebat[1]; et saepius non ipsius aegri sed aliorum fidem postulabat aut respiciebat[2]. Hinc patet, fidem praerequisitam non fuisse praeparationem psychicam subjecti ad sanationem, qualis aliquando est fiducia aegroti in medicum, sed praeparationem ethicam tantum.

d. Quodsi Christus in patria sua pauca tantum miracula fecerit, aut facere potuerit „propter incredulitatem" concivium suorum[3], nihil aliud significatur, nisi quod Salvator neque voluerit, neque congrue potuerit dona sua profundere contumaciter incredulis, qui ét indigni erant, ét nullum fructum promittebant[4].

e. Denique veritati relativae miraculorum Christi non obstat, quod ipse nonnullorum miraculorum evulgationem prohibuerit[5]; — quum enim non solum doctor veritatis sed etiam virtutis exemplar exsisteret, necessarium erat, ut etiam in hac materia humilitatis exemplum daret. Praeterea potuerunt subesse rationes particulares, quae nimiam quorundam miraculorum

---

[1] Cfr. *Jo.* **9**, 6, 35. — [2] *Mt.* **8**, 13; **9**, 2; **15**, 28; *Jo.* **4**, 47 seq. — [3] *Mt.* **13**, 58; *Mc.* **6**, 5. — [4] Cfr. BILLOT, *De Verbo incarn.*[3] p. 235. — [5] *Mt.* **9**, 30; **12**, 16 seq.: „Praecepit eis, ne manifestum eum facerent, ut adimpleretur quod dictum est per Isaiam prophetam: „Non contendet, neque clamabit, neque audiet aliquis in plateis vocem ejus". *Mc.* **1**, 44.

evulgationem importunam redderent. Sane, volebat Christus diutius inter Judaeos praedicare, hominesque, paulatim ab idea regni temporalis revocatos, vero messianismo lucrari. Id autem facere, pro consueto saltem rerum cursu, non potuisset, si omnia ejus miracula, inde ab initio summo gradu manifesta, tum animos discipulorum, regnum Messiae politicum somniantium, nimis commovissent, tum simul odium inimicorum nimis acuissent [1].

97 **Scholion 2.** *De symbolica significatione miraculorum Christi.* — „Miracula domini et salvatoris nostri sic accipienda sunt, ut ét in veritate credantur facta, ét tamen per significationem nobis aliquid innuant" [2]. „Interrogemus ipsa miracula, quid nobis loquantur de Christo: habent enim, si intellegantur, linguam suam. Nam quia ipse Christus Verbum Dei est, etiam factum Verbi verbum nobis est" [3]. His aliisque ss. patrum effatis innixi, dicere possumus:

a. Miracula Christi *in genere* symbolice indicant, qualis erat finis missionis Christi, cujus exsistentiam probant. Miracula etenim Domini non sterilem admirationem excitabant, sed in eximiam utilitatem hominum vergebant; et maxima quidem parte aut homines e potestate daemonis liberabant, aut aegritudines sanabant, aut vitam mortuis restituebant. Servitus autem diaboli, temporales calamitates et mors nihil aliud sunt quam sequelae et poenae peccati. Nonne igitur per miracula Christi, quae sequelas peccati auferebant, edocemur, Christum ad liberandum a peccato genus humanum missum esse? Hinc vides, miracula Christi non esse facta

[1] Cfr. WILMERS, *De Relig. revel.* p. 339; F. CHABLE, *Die Wunder Jesu in ihrem innern Zusammenhange betrachtet*, p. 15, in *Strassburg. Theol. Studien*, II, 4. — [2] S. GREG. M., *Hom. 2 in Evang.* n° 1. — [3] S. AUGUST., *Tract.* 24, in *Jo.* n° 2.

doctrinae sive Evangelio Christi extrinseca; vinculo interno cum Evangelio cohaerent, sunt veluti specimina ac pignora quaedam perfectae liberationis et restaurationis, quam Christus praedicatione sua promittebat ac praeparabat.

b. Plura miracula Christi *in specie* doctrinas, ab eo propositas, quasi illustrabant. Doctrinae de Eucharistia panum multiplicationem praemisit [1]; ut ostenderet se esse lucem mundi, caecum-natum curavit [2]; ut resurrectio et vita esse crederetur, Lazarum resuscitavit [3].

Corollarium. *De miraculis a Deo Patre factis.* — Miraculis **98**
Christi aequiparanda sunt miracula, quae Deus Pater, absque interventu humanitatis Jesu, in favorem Christi patravit, mittendo angelos et stellam ad nativitatem ejus annuntiandam [4]; eripiendo eum e manibus Herodis [5]; dignitatem ejus manifestando quum baptizaretur in Jordane [6], transfiguraretur in monte [7], moreretur in cruce [8]. Evidentissimum enim est, Deum non potuisse talibus prodigiis designare et commendare hominem, qui sese per mendacium legatum ac Filium Dei faceret. Omnia enim aequivalenter clamabant, quod expresse sonabat vox de nube: „Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui: ipsum audite" [9]

Art. IV.

DIVINA MISSIO CHRISTI PROBATUR EX EJUS RESURRECTIONE.

Inter omnia credibilitatis argumenta eminet resurrectio **99**
Domini. Hanc apostoli ut praecipuum praedicationis suae argu-

[1] *Jo.* **6.** — [2] *Jo.* **9**, 5 seq. — [3] *Jo.* **11**, 25. — [4] *Luc.* **2**, 8; *Mt.* **2**, 2. — [5] *Mt.* **2**, 13. — [6] *Mt.* **3**, 16. — [7] *Mt.* **17**, 5. — [8] *Mt.* **27**, 51 seq. — [9] *Mt.* **17**, 5.

mentum proposuerunt [1]; hanc Paulus diserte religionis christianae tesseram fecit: „Si Christus non resurrexit, inanis est ergo praedicatio nostra, inanis est et fides vestra" [2]; hanc per novemdecim saecula omnes, tum defensores tum adversarii, totius fidei cardinem habuerunt. Nec mirum, est enim miraculum splendidissimum, natura sua intime connexum cum veritate missionis Christi redemptoris, ab ipso Christo electum in coronam omnium mirabilium suorum, ac veluti in sigillum supremum universae praedicationis suae.

Per se quidem iterum ostendenda esset triplex resurrectionis veritas, at quum de veritate philosophica, seu de charactere miraculoso hujus facti nullum dubium sit, de sola veritate historica et relativa dicemus. Damnata est in decreto „Lamentabili" haec propositio (36): „Resurrectio Salvatoris non est proprie factum ordinis historici, sed factum ordinis mere supernaturalis, nec demonstratum nec demonstrabile, quod conscientia christiana sensim ex aliis derivavit." Ut autem simul eluceat, resurrectionem non solum esse miraculum, sed etiam impletionem prophetiae a Christo editae, hoc ordine procedendum putamus. Ostendemus: 1^0. Christum resurrectionem suam praenuntiasse, et quidem 2^0. ut signum peremptorium divinae suae legationis; deinde 3^0. Christum revera mortuum esse, demum 4^0. eum ad vitam rediisse.

100 I. **Christus resurrectionem suam pluries et manifeste praedixit.**

„Exinde coepit Jesus ostendere discipulis suis, quia oporteret eum . . . occidi, et tertia die resurgere" [3].

„Praecepit eis Jesus dicens; nemini dixeritis visionem [transfigurationis], donec filius hominis a mortuis resurgat" [4].

---

[1] *Act.* **1**, 22; **2**, 22-36; **3**, 15-16; **4**, 10-33. — [2] *I Cor.* **15**, 14. — [3] *Mt.* **16**, 21; cfr. **20**, 19; *Mc.* **8**, 31; **9**, 30; *Luc.* **9**, 22; **18**, 33. — [4] *Mt.* **17**, 9; *Mc.* **9**, 8.

„Ait eis Jesus: omnes scandalizabimini in me in ista nocte, sed postquam resurrexero, praecedam vos in Galilaeam" [1].

Verba igitur omnino clara sunt: „Palam verbum loquebatur" [2]; et constat etiam inimicos Christi prophetiam hanc tum cognovisse, tum rite intellexisse: „Convenerunt principes sacerdotum et Pharisaei ad Pilatum dicentes: domine, recordati sumus, quia seductor ille dixit adhuc vivens: post tres dies resurgam. Jube ergo custodiri sepulcrum ejus in diem tertium, ne forte..." [3].

Nulla igitur ratione fulciuntur rationalistae contendentes, Christum intellexisse resurrectionem quandam impropriam, v. g. causae suae triumphum, aut commercium spirituale cum discipulis, aut auxilium e coelo iis praestandum, cet [4].

II. Christus futuram resurrectionem suam ut signum divinae suae missionis assignavit. 101

1°. *Jo.* **2,** 14-22. Quum Christus initio vitae suae publicae templum a vendentibus purgasset, dicens: „Nolite facere domum Patris mei domum negotiationis", Judaei, primores scil., qui hanc templi profanationem saltem connivendo permiserant, rogabant: „quod signum ostendis nobis, quia haec facis?" i. e. quum legitima potestas hanc rem permiserit, tibi non licet eam impedire, nisi manifesto signo ostendas, teipsum divina auctoritate fulciri. Petitur igitur signum divinae missionis. Jam „respondit Jesus et dixit eis: solvite templum hoc, et in tribus diebus excitabo illud. Dixerunt ergo judaei: quadraginta et sex annis aedificatum est templum hoc, et tu in tribus diebus exitabis illud? Ille autem dicebat de templo corporis sui. Cum ergo resurrexisset a mortuis, recordati sunt discipuli ejus, quia hoc dicebat, et crediderunt Scripturae, et sermoni, quem dixit Jesus".

---

[1] *Mc.* **14,** 28. — [2] *Mc.* **8,** 32. — [3] *Mc.* **27,** 62-64. — [4] Ita v. g. HASE, WENDT, alii apud WILMERS, l. c., p. 357.

Quamvis igitur neque judaei, neque ipsi discipuli sensum prophetiae tunc assecuti sint, Christus revera resurrectionem sui corporis intellexit, eamque in signum suae missionis promisit[1].

2°. *Mt.* 12. 38-40. „Tunc responderunt ei quidam de scribis et pharisaeis dicentes: Magister, volumus a te signum videre. Qui respondens ait illis: generatio mala et adultera signum quaerit, et signum non dabitur ei nisi signum Jonae prophetae. Sicut enim fuit Jonas in ventre ceti tribus diebus et tribus noctibus, sic erit filius hominis in corde terrae tribus diebus et tribus noctibus"[2].

Agi de reditu ex morte planum est; promitti autem hanc rem in argumentum divinae missionis patet ex contextu, et quidem a. ex petitione pharisaeorum, quae non alium sensum admittit nisi hunc: volumus videre signum, quo pateat te esse, quem teipsum facis. b. Ex versibus sequentibus (41-42), quibus Christus asserit, se Jona et Salomone majorem esse, et ideo judaeos ipsi non credentes condemnatum iri. c. Ex versibus praecedentibus (22-37); nam quae ibi narrantur quaestioni pharisaeorum ansam dedisse videntur. Christus daemoniacum caecum et mutum curaverat, unde turbae stupefactae dixerunt: „numquid hic est filius David" = promissus Messias; quod audientes pharisaei reponunt, Christum in Beelzebub ejicere daemonia. Tunc Dominus respondet, se „in spiritu Dei" ejicere daemonia, et ideo advenisse in eos

[1] Alias explicationes verborum Christi a rationalistis propositas, refutat OTTIGER, *Theol. Fund.* I, p. 837. — [2] Phrases „post tres dies" ac „tribus diebus et tribus noctibus" *ex usu loquendi judaeorum* minime necessario tres dies *integros* significare, multis ostendit P. JOVINO, *Disquisitio critico-biblica de tempore sepulturae Christi.* Teste LIGHTFOOT (*Hor. hebr.* in h. l.), Gemaristae de duratione עוֹנָה = *νυχθήμερον*, (neerlandice: etmaal) dicunt: „Dies et nox constituunt עוֹנָה, et pars עוֹנָה est sicut totum".

„regnum Dei". Hinc alii pharisaei occasionem arripiunt petendi signum de coelo [1], utique in confirmationem illius divinae auctoritatis, quam ipse appellabat et quam turbae ei adjudicabant[2].

3°. Ceterum, etsi Christus resurrectionem suam numquam *diserte* ut argumentum suae missionis assignasset, adhuc satis eluceret veritas relativa. Christus seipsum indesinenter exhibuerat legatum Dei; aperte asseruerat, se habere potestatem ponendi animam suam et iterum sumendi eam; adjecerat se accepisse mandatum a Patre, ponendi animam suam ut iterum eam sumeret [3]; mortem subierat, quia Filium Dei se fecerat[4]. Nonne Deus, in hisce adjunctis Jesum resuscitando, evidentissime confirmat doctrinam ejus?

III. **Christus revera mortuus est.** 102

Nullum non moverunt lapidem adversarii, ut factum resurrectionis de medio tollerent; et nostro quidem saeculo nonnulli rationalistae, pauci tamen et nemine ex veteribus christianismi hostibus praeeunte, contendere ausi sunt, Christum in cruce vita defunctum non esse, sed syncope correptum, postea aut aromatibus sepulcralibus, aut medicamentis refocillatum esse (Salvador, G. Paulus, Hase). Ne igitur incassum probemus, Christum post sepulturam vivum apparuisse, ante omnia ostendendum est, Jesum neque mortem simulasse, neque deliquium tantum passum esse, sed revera obiisse.

[1] *Luc.* **11**, 16. — [2] Fatemur, Christum locis citatis paulo obscurius fuisse locutum, sed utraque vice rem habebat cum hominibus perverso fine signum petentibus. Talibus autem Christus, justa luminis dispensatione, ita loqui solebat, ut audientes non audirent, neque intellegerent. Cfr. *Mt.* **13**, 13. — [3] *Jo.* **10**, 17-18. „Propterea me diligit Pater, quia ego pono animam meam ut iterum sumam eam. Nemo tollit eam a me, sed ego pono eam a meipso, et potestatem habeo ponendi eam, et potestatem habeo iterum sumendi eam. Hoc mandatum accepi a Patre meo". — [4] *Mt.* **26**, 63-66; *Jo.* **19**, 7.

1°. *Ex testimonio omnium Evangelistarum*, inter quos Joannes testis ocularis dicit: „inclinato capite, tradidit spiritum" [1].

2°. *Ex modo agendi amicorum Christi* (Joseph, Nicodemi, mulierum), qui Dominum ut mortuum curant et sepeliunt: quod profecto non fecissent, si vel levissimum dubium de ejus morte superfuisset. Et adverte, quod ipse sepeliendi modus, quo corpus, unâ cum centum circiter libris aromatum, linteis arctissime involutum, saxeo sepulcro lapide clauso imponebatur [2], Christum, si per impossibile adhuc spirasset, occidisset potius quam refocillasset. Ceterum quam indubia apostolis aliisque discipulis fuerit mors Christi, luculentissime apparet ex eo, quod admodum difficulter veritatem resurrectionis admiserunt (de quo infra).

3°. *Ex modo agendi inimicorum Christi*, qui, nisi de morte Domini certi fuissent, neque permisissent ejus corpus deponi [3], maxime quum prophetiam de resurrectione cognoscerent [4], neque postea ad fabulam de ablato corpore confugissent.

4°. *Ex modo agendi officialium*, qui supplicio interfuerunt, militum scil. et centurionis. Ne remanerent in crucibus corpora sabbato, mittuntur *milites*, qui per crurifragium supplicium cruciariorum celerius consummarent. Et hi quidem latronum adhuc viventium crura fregerunt, „ad Jesum autem cum venissent, ut viderunt eum jam mortuum, non fregerunt ejus crura, sed unus militum lancea latus ejus aperuit, et continuo

---

[1] *Jo.* 19, 30; cfr. 27, 50; *Mc.* 15, 37; *Luc.* 23, 46. — [2] *Jo.* 19, 39 seq. — [3] Hinc ipse RENAN: „A vrai dire, la meilleure garantie que possède l'historien sur un point de cette nature [la mort de Jésus], c'est la haine soupçonneuse des ennemis de Jésus... En tout cas ils devaient veiller à ce qu'il fût bien mort. Quelle qu'ait pu être à certaines époques la négligence des anciens en tout ce qui était ponctualité légale et conduite stricte des affaires, on ne peut croire que, cette fois, les intéressés n'aient pas pris, pour un point qui leur importait si fort, quelques [!] précautions". *Vie de Jésus*, ch. 26. — [4] *Mt.* 27, 63.

exivit sanguis et aqua"[1]. Igitur crurifragium, quod poenae rationem habebat, ideo in Christo omiserunt, quia eum jam exspirasse viderant; ut nihilominus omnis dubitatio de morte penitus excluderetur, unus eorum lancea sua „ictum gratiosum" addidit. Hanc autem lateris perfossionem fuisse vulnus letale constat imprimis ex fine, quo infligebatur, ut n.p. Christus, si forte adhuc spiraret, hoc saltem ictu conficeretur, deinde ex magnitudine vulneris, cui Thomas manum suam inferre potuit[2]. Accedit testimonium authenticum *centurionis*. Siquidem „Pilatus mirabatur, si jam obiisset, et accersito centurione interrogavit eum, si jam mortuus esset. Et cum cognovisset a centurione, donavit corpus Joseph"[3]. — Profecto non adfuit medicus, qui mortem confirmaret, sed ex iis quae facta sunt, quilibet medicus judicium sibi efformare potest[4]!

IV. **Christus vere ad vitam rediit**[5]. 103

Theoriae rationalistarum. — Mortem Domini pauci admodum ex rationalistis negarunt, reditum ad vitam infitiantur omnes, aliter tamen atque aliter.

[1] *Jo.* **19**, 31-34. — [2] *Jo.* **20**, 25-27. — [3] *Mc.* **15**, 44-45. — Parum refert, qua de causa Pilatus miraretur. Narrant quidem auctores, quorum aetate crucis supplicium in usu erat, cruciarios saepe per integrum diem et amplius vixisse, sed id intellegendum est de iis, qui antea parum sustinuerant. De Christo autem, qui, antequam in crucem ageretur tot ac tanta passus erat, mirum non videtur, quod intra paucas horas, et ante latrones exspiraverit. Quodsi nihilominus Pilatus mirabatur, dicendum est, eum aut praecedentibus cruciatibus Domini non satis attendisse aut aliquid extraordinarii et miraculosi a Christo sperasse vel timuisse. — [4] Fluxum sanguinis et aquae aliqui exegetae *naturaliter* evenisse putant, sed sententia inter patres et exegetas communior tenet, rem non sine miraculo accidisse. Explicatio naturalis, praesertim quoad effusionem aquae, magnis difficultatibus premitur. Cfr. *Der Katholik*, 1886, II, p. 585. De energica affirmatione b. Joannis (19, 35) cfr. V. KASTEREN, *Het Mattheus-Evangelie en de Overlevering*, p. 26-32. — [5] Cfr. DISTELDORF, *Die Auferstehung*

a. Nonnulli ex toto vel saltem ad partem rejicientes credibilitatem Evangeliorum quoad factum *sepulcri vacui*, dicere ausi sunt, apostolos aliosque resurrectionis assertores mundum decepisse. Corpus Domini e sepulcro abstulisse dicuntur Apostoli, aut Joseph ab Arimathea (Holtzmann) aut principes judaeorum ipsi (Réville) et quidem ex auctoritate Pilati (Le Roy), dum Loisy, corpore Christi in commune sceleratorum sepulcrum rejecto, sepulturam privatam negat. Ceteri vero longe plurimi admittunt, apostolis de resurrectione Domini plene persuasum fuisse, sed eos aut hallucinatione deceptos esse, aut ad summum visione imaginaria Jesum, secundum spiritum tantum viventem, vidisse.

b. *Apparitiones* Domini fuerunt visiones vel subjectivae vel objectivae; *subjectivae* quando sensus alicujus propter corporalem infirmam illius dispositionem intrinsecus ita fortiter ac vivide moventur, ut illas sensuum motiones ab aliquo objecto externo causatas esse putet (Meyer); *objectivae* vero, quando neque illis sensuum motionibus realitas quaedam respondet, sed motiones ipsae et quae illas sequuntur judicia immediate a Deo efficiuntur (Reim, Schweizer).

c. Quæ explicationes tum sepulcri vacui tum apparitionum Domini a rationalistis adhibentur tantum ad explicanda quaedam stadia fidei in Deum redivivum, ipsum enim factum resurrectionis, nomine criticae literariae ac historicae, negatur. Duce A. Harnack admittitur veracitas Evangeliorum syno-

---

Jesu Christi, 1906, imprimis ROSE, *Études sur les Évangiles*, ch. 8; LADEUZE, *La Résurrection de Jésus*, 1910; JACQUIER, et BOURCHANY, *La Résurrection de Jésus-Christ*, 1911; MUSER, *Die Auferstehung Jesu und ihre neuesten Kritiker*, 1914; H. LOHMANN, *Die biblischen Berichte für die Auferstehung*, in *Theol. u. Gl.*, 1926, p. 154; H. DIECKMANN, *Die formgeschichtliche Methode und ihre Anwendung auf die Auferstehungsberichte*, in *Scholastik*, p. 379, et *Die Auferstehungsberichte der vier Evangelien nach ihren Verschiedenheit und Eigenart*, *l. c.* 1928, p. 221.

pticorum, eo scil. sensu quod fideliter reddant quae narrabantur ac credebantur tempore quo Evangelia illa scripta sunt. Quo tempore credebatur quidem resurrectio Christi, sed ex eo minime sequitur illam fidem factis in Evangeliis narratis niti.

Resurrectionis Domini fides, quae in Evangeliis aperte exprimitur, effectus tantum est *evolutionis*, quae sensim facta est, et cujus diversa stadia, documentis invicem comparatis, adhuc designari possunt.

α. Primum ignoratur Christus tertio die e sepulcro redivivus, sed in Galilea reminiscentiae magistri sublati fidem in Jesum excitant, quo facto hallucinationes praeparantur, quae tandem ortae sunt, ita ut Apostoli aliique discipuli Domini bona fide sibi persuaserint, quod Jesum viderent, quamvis revera nihil viderint. Originalis illa traditio fere incorrupta redditur a s. Paulo *I Cor.* **15**, 3-8. *β*. Cum visus erat Jesus, sequens evolutionis stadium Jesum vivum declarat, ad quod explicandum fingitur narratio, tertio die Jesum sepulcrum reliquisse, quod sepulcrum vacuum quaedam mulieres vidissent. Testis hujus stadii est Marcus **16**, 1-8. *γ*. Ut corporalis Christi resurrectio facilius crederetur, deinde finguntur narrationes de custodia sepulcri necnon de Apostolorum dubitationibus, quas ipse Christus correxisset. Has narrationes Evangelium s. Matthaei nobis exhibet, *δ*. dum ultimum evolutionis stadium nobis exhibetur in Evangeliis posterioribus ss. Lucae et Joannis, qui narrant apparitiones Domini redivivi in Jerusalem apud ipsum sepulcrum vacuum.

Non consentiunt omnes in eo, a quo profecta est evolutio fidei in resurrectionem. Plurimi ut causam assignant fidem in Jesum Messiam, alii vero fidem in immortalem vitam ejus, qui crucifixus erat (Loisy), alii fidem in Deum qua Patrem et conscientiam Jesu, qua putabat se esse filium Dei (Harnack). Secundum principia rationalistica eorum, qui naturalem evolutionem in historia religionum admittunt, fides resurrectionis

ex mythologiis orientalibus et graecis explicetur oportet. Originalis resurrectionis idea oritur ex eo quod vidimus in rerum natura: sol occidit sed rursus oritur, semen tabescit sed ut germinet, arbor foliis nudatur, postea vero frondescit. Haec idea naturae physicae ac vitae vegetalis, singulis annis deficientis et renascentis, nunc adscribebatur cuidam divinitati nunc symbolizabatur in quadam divinitate, etiam in sole et luna, ac recolebatur sub imagine alicujus dei morientis et resurgentis (Osiris, Adonis, Attis, Persephonae, Dionysii).

Quae explicatio multo facilior est quando admittitur Jesum nunquam exstitisse (Drews).

103a Christum igitur vere et corporaliter ad vitam rediisse, *probatur*:

1. Directe, *expositione factorum*.

a. Ab una parte constat, *sepulcrum* Christi, ingenti lapide clausum, sigillo munitum, militibus custoditum, tertia die fuisse *vacuum*. Factum istud, cujus non solum angeli testes sunt [1] et mulieres [2], sed quod etiam ab acerbissimis Christi osoribus admittitur, naturaliter explicari non potuit, uti patet ex desperata agendi ratione judaeorum. „Ecce quidam de custodibus venerunt in civitatem, et nuntiaverunt principibus sacerdotum omnia, quae facta fuerant. Et congregati cum senioribus, consilio accepto, pecuniam copiosam dederunt militibus, dicentes: dicite, quia discipuli ejus nocte venerunt, et furati sunt eum, nobis dormientibus. Et si hoc auditum fuerit a praeside, nos suadebimus ei, et securos vos faciemus. At illi, accepta pecunia, fecerunt sicut erant edocti. Et divulgatum est verbum istud apud judaeos, usque in hodiernum diem" [3]. Ineptam hanc inventionem merito irridet s. AUGUSTINUS: „Dormientes testes adhibes? Vere tu ipse obdormisti, qui scrutando talia defecisti.

---

[1] *Mt.* 28, 6; *Mc.* 16, 6; *Lc.* 24, 5 et 6. — [2] *Lc.* 24, 9 coll. c. *Mt.* 16, 5-6 et *Lc.* 24, 5-6; *Jo.* 20, 2 et 15. — [3] *Mt.* 28, 11-15.

Si dormiebant, quid videre potuerunt; si nihil viderunt, quomodo testes sunt" [1]?

b. Ab altera parte constat, *Christum redivivum visum esse* frequenter, diversis temporibus, in locis et adjunctis diversis, a multis hominibus, nunc his nunc illis, non solum mulieribus sed etiam viris [2]. Neque videbatur tantum, sed loquebatur, et manducabat et tangendum se praebebat, eo praecise fine, ut omnis dubitatio de sui corporis veritate et identitate excluderetur [3]. Igitur revera „praebuit seipsum vivum, post passionem suam, *in multis argumentis*, per dies quadraginta apparens eis et loquens de regno Dei" [4].

2⁰. Indirecte, *excludendo theorias rationalistarum.*

a. Quoad *theorias de sepulcro vacuo.* — Imprimis nulla ex iis explicare potest, qua ratione corpus Domini e sepulcro evanuerit, aut quid de corpore illo factum sit. Evanuisse et non amplius inventum esse, evidentissimum est, secus enim judaei non tardassent illud ostendere ad narrationes apostolorum retundendas. Jam theoriae *hallucinationis* et *visionis imaginariae* hanc difficultatem ne tangunt quidem [5]. Contentio

[1] *In Ps.* 63, no. 15. — [2] Apparuit scil. Mariae Magdalenae (*Mc.* **16,** 9; *Jo.* **20,** 11-17); mulieribus redeuntibus a sepulcro (*Mt.* **28,** 9); Petro (*Luc.* **24,** 34; *I Cor.* **15,** 5); discipulis euntibus in Emmaus (*Luc.* **42,** 13-33; *Mc.* **16,** 12-13); apostolis congregatis sine Thoma (*Luc.* **24,** 36-43; *Jo.* **20,** 19-23; *Mc.* **16,** 14; *I Cor.* **15,** 5); apostolis unā cum Thoma (*Jo.* **20,** 24-29); discipulis ad mare Tiberiadis (*Jo.* **21,** 1-23); undecim apostolis in monte Galilaeae (*Mt.* **28,** 16); plus quam quingentis fratribus simul, ex quibus multi adhuc superstites erant, quando Paulus scripsit 1am Ep. ad Corinth. — verosimilius a⁰ 58 — (*I Cor.* **15,** 6); Jacobo (*I Cor.* **15,** 7); denique apostolis ante ascensionem (*Act.* **1,** 9 seq.; *Luc.* **24,** 50-51). — [3] *Luc.* **24,** 39-44; *Jo.* **20,** 24-29. — [4] *Act.* **1,** 3. — [5] Revera RENAN quaestionem: „en quel endroit les vers consumaient-ils le corps inanimé"? vocat: „une question oiseuse et insoluble". Et addit: „On ignorera toujours ce détail". *Les apôtres*, chap 2.

nonnullorum rationalistarum, quod Christus in cruce syncope correptus postea aut aromatibus sepulcralibus, aut medicamentis refocillatus est, luce clarius ab evangeliis contradicitur[1]. Hoc autem in casu etiam contra ipsos rationalistas ad *evangelia* provocare possumus, quum ipsi idem faciunt ad suam theoriam probandam. Insuper Christus linteis ligatus aromatibus prius exspirasset quam refocillatus esset! Quomodo Dominus sepulcrum, ingenti lapide clausum, relinquere potuisset? et quomodo Apostoli fidem attingere potuissent, magistrum mortis esse victorem? Testimonium quoque mortis Christi, et quidem acceptum ab Apostolis, praebet s. Paulus *I Cor.* 15, 3: „quoniam Christus *mortuus est* pro peccatis nostris secundum Scripturas: et quia *sepultus est.*"

Neque admittenda est theoria *fraudis*, secundum quam corpus Christi furto ablatum esset. Ast apostoli, ceterique amici Domini animo nimis dejecti erant, quam ut tale facinus attentare auderent, et, si ausi essent, rem exsequi minime potuissent. Profecto leve non erat, insciis custodibus, ingentem lapidem revolvere, corpus clam auferre, et ita abscondere, ut numquam detegeretur. Ceterum Apostoli non nisi per infamem calumniam hujus fraudis auctores aut complices habentur.

Nec juvat in auxilium vocare terraemotum[2], ac si corpus a terra absorptum fuisset; quomodo enim tunc linteamina et sudarium relicta fuissent[3]?

Nullum motivum assignari potest, quare principes judaeorum corpus Domini abducere fecissent, potius ad contrarium faciendum motivum aderat[4]; praeterea habitus eorum in pos-

[1] Cfr. no. 102. — [2] *Mt.* 28, 12. — [3] *Jo.* 20, 6-7. Ineptiam corporis clam ablati jam irridet TERTULLIANUS: „Hic est, quem clam discentes surripuerunt ut resurrexisse credatur, vel hortulanus detraxit, ne lactucae suae frequentia commeantium laederentur" (*De Spect.* 30)! — [4] *Mt.* 27, 64.

terum inexplicabilis fuisset. Quando Apostoli Christum redivivum praedicabant, non tardassent principes corpus Domini ostendere, quod autem minime fecerunt [1]. S. Matthaeus narrationem mendacii militum referre non potuisset, multo minus scribere potuisset: „et divulgatum est verbum istud apud judaeos, usque in hodiernum diem". Haec agendi ratio judaeorum ne insinuatur quidem apud scriptores rabinicos.

Quando Joseph ab Arimathea corpus Domini, ad tempus tantum in monumento Calvariae positum, clam abstulisset, postea vero ille Joseph sive amicus sive adversarius christianorum, loqui debuisset, quando Apostoli Jesu resurrectionem praedicabant. Ceteroquin dicta, quibus b. Paulus et ss. Evangelistae utuntur, sepulturam definitivam aperte indicant.

Sepulcrum Christi vacuum fuisse, nemo sibi persuadere potuit; Christi corpus enim, ita LOISY, [2], non sepultum sed in *commune sceleratorum sepulcrum* jectum est. Contra quam contentionem tamen haec sunt animadvertenda. *α.* Unanimiter omnes Evangelistae tradunt corpus Jesu esse sepultum a Joseph ab Arimathea, qui Pilatum rogaverat, ut tolleret corpus Domini, quod permisit Pilatus, ut est consuetudo apud Romanos. *β.* In testimonio antiquissimo (*1 Cor.* **15**, 3) quod secundum criticos modernos originalem reddit traditionem, b. Paulus utitur verbo ἐτάφη, quo in Novo Testamento semper ordinaria ac honesta sepultura exprimitur [3]. Et haec significatio a b. Paulo reapse intendebatur, secus nunquam scripsisset christianos *consepultos* esse cum Christo per Baptismum in

[1] *Act.* **4**, 1-22. „Es hat sehr den Anschein, dass sie [die Vorsteher und Altesten und Schriftgelehrten] in jenem Augenblick selbst noch nicht wussten, was heute Réville von ihnen zu wissen glaubt", ita DENTLER, *Die Auferstehung Jesu in N. Test.* (*Bibl. Zeitfr.* I, 6), 1908, p. 57. — [2] *Quelques lettres sur les questions actuelles et sur des événements récents*, XXXV. — [3] Cfr. *Lc.* **16**, 22; *Act.* **2**, 29.

mortem[1]. γ. B. Petrus, in sermone[2] die Pentecostis habito, sepulcrum regis David comparat cum sepulcro Christi, illudque huic opponit, quod facere non potuisset, si Christi sepulcrum honestum non fuisset. δ. Nisi ea quae evangelia et traditio narrant de sepultura Christi honesta, fide digna essent, praedicatio resurrectionis Domini impossibilis fuisset, et ipsa narratio sepulturae illius honestae ne oriri quidem potuisset neque diffundi[3].

104a Qui theoriam *evolutionis* admittunt, asserunt **a.** narrationem Evangelistarum de sepulcro vacuo fide dignam non esse, et argumentum potissimum ducunt ex eo, quod b. Paulus in epistola *I ad Cor.* **15** non loquitur de sepulcro vacuo et quod proinde hoc factum neque Petro neque Jacobo, Apostolis, notum esse potuit. Quibus respondendum est:

α. Aliud esse non loqui de aliquo facto, aliud omnino: factum illud ignorare; argumentum enim silentii tunc tantum valet, quando quis loqui èt potuit èt necessario debuit. Ad probandam autem resurrectionem Christi b. Paulus in *I Cor.* **15** meliori ac fortiori argumento utitur, nempe apparitionibus Christi redivivi.

β. B. Paulus factum sepulcri vacui cognovit, quod jam sequitur e relatione ejusdem cum s. Luca, qui hoc factum in Evangelio suo narravit, sed quod praeterea patet e scriptis ac dictis b. Pauli. Successio expressionum in *I Cor.* **15**, 3 et 4: *mortuus est ... sepultus est ... resurrexit tertia die* „necessario requirit, Christum e sepulcro vivum surrexisse et b. Paulum scivisse tertia die sepulcrum vacuum fuisse. Quod Jesus non vidit corruptionem, sicut David eam vidit, quod proinde Dominus non sicut David mansit in sepulcro, b. Paulo tam absolute constat, ut illud factum initium sumat

[1] *Rom.* **6**, 4; cfr. *Col.* **2**, 12. — [2] *Act.* **2**, **31**. — [3] Cfr. P. GROENEN, *Het Lijden en Sterven van O. H. Jesus Christus*, 1915, no. **331**.

argumenti pro messianitate Jesu (*Act.* 13, 34-37); talem autem certitudinem Apostolus habere non potuisset, nisi ipsi nota fuissent quae acciderant „mane prima sabbatorum".

γ. Quod Apostoli factum sepulcri vacui cognoverunt, patet ex sermone b. Petri die Pentecostis (*Act.* 2, 24-31). Non in Davide sed in Christo impleta sunt verba Davidis *„quoniam non derelinques animam meam in inferno, nec dabis Sanctum tuum videre corruptionem"*, quod probat b. Petrus demonstrando sepulcrum Davidis, cui opponit sepulcrum Christi. Corpus Davidis in sepulcro remansit et corruptionem vidit, Christus igitur, qui non vidit corruptionem, non remansit in sepulcro.

Fautores theoriae evolutionis contendunt, b. factum sepulcri vacui fictum fuisse, postquam fides resurrectionis orta esset. Sed contra est:

α. Fautores theoriae evolutionis in Evangeliis distinguunt traditionem galilaeam (Mt. et Mc.), et traditionem judaeam (Lc. et Jo.), quae sibi invicem oppositae ac contrariae essent; insuper contendunt factum sepulcri vacui nondum notum fuisse anno 57 p. C., cum b. Paulus scripsit primam ad Cor. epistolam. Si ergo postea factum sepulcri vacui fictum esset, quomodo et quidem in tam exiguo temporis spatio inseri potuisset narrationibus sibi invicem oppositis; in utraque enim traditione tum galilaea tum judaea narratur.

β. Quando sepulcri vacui fictio logice sequeretur fidem resurrectionis, fictio illa non solum *factum* sed etiam *circumstantias* hujus facti, e.g. modum quo Jesus e sepulcro surrexit, narrasset, sicut reipsa faciunt evangelia apocrypha, evangelium Hebraeorum et evangelium Petri. Sinceritas ac simplicitas narrationum in Evangeliis canonicis argumentum est veritatis!

γ. Ex eo, quod s. Matthaeus (38, 11-15) de illa judaeorum principum agendi ratione quoad sepulcri custodes narrat, patet, tempore, quo Matthaeus Evangelium suum scripserit, *divulgatum* jam esse sermonem, discipulos corpus Christi furto e

sepulcro sustulisse. Divulgando hunc sermonem ipsi adversarii (judaei) testes exsistunt, sepulcrum vacuum fuisse et quidem priusquam christiani secundum rationalistas illud factum finxissent!

δ. Denique perabsurda est illa sepulcri vacui fictio. Fides et praedicatio resurrectionis impossibilis erat, nisi tam amici quam adversarii de sepulcro vacuo sibi persuasissent! Quodsi adversarii contendunt, praedicationem illam clandestinam tantum fuisse, adversantur facto historico, quod ipsi fautores evolutionis admittere debent, np. primis temporibus communitatem christianorum Jerosolyma exstitisse.

105 **b.** Quoad *theorias de apparitionibus.* — Nulla ex iis sufficiens est ad hoc factum explicandum.

Non sufficit *theoria fraudis* ac deceptionis. Sane, si paucos impudentissimos excipias, ipsi rationalistae generatim concedunt, apostolos deceptores non fuisse, sed homines simplices ac probos. Deinde quomodo piscatores illi, in die passionis tam timidi ac meticulosi, post tristem magistri sui mortem, hujusmodi rem ita apte confingere potuissent, ut in ipsa urbe Jerosolyma a plurimis etiam sacerdotibus crederetur [1], idque non obstante rumore de fraudulenta corporis ablatione? Denique quo fine tale mendacium spargere voluissent? Sciebant utique, mendacia ipsis non profutura apud Deum; sciebant insuper, hoc mendacium illis apud homines plurimum obfuturum! Et nihilominus putidissimam illam fraudem non solum concepissent, sed per totam vitam, ratione hujus mendacii rudi labore ac persecutionibus plenam, ad martyrium usque sustinuissent [2]!

[1] *Act.* **2**, **41**; **6**, 7. — [2] Provocant nonnumquam fraudis assertores ad modum ac ordinem diversum, quo Evangelistae et b. Paulus apparitiones Christi narrant, unde inferunt hagiographos sibi invicem contradicere, proinde saltem in negotio resurrectionis, fidem non mereri. Ast:

Non sufficit *theoria hallucinationis*. Fingitur scil. primo quasdam mulieres, deinde Apostolos aliosque sibi bona fide persuasisse, quod Jesum viderent, quamvis revera nihil viderint; hanc autem illusionem inde potissimum ortam esse, quod discipuli intensissima fiducia resurrectionem dilecti magistri exspectarent [1]. At vero neque factum hallucinationis, neque hujus facti explicatio psychologica admitti potest.

α. Quomodo tot personae, inter quas multi viri, tot vicibus, in adjunctis tam variis, imaginatione sua ita illudi potuerunt ut gratis omnino sibi persuaderent, se Christum videre, cum eo conversari, convesci, eum manibus suis palpare? Numquid omnis ecclesia primitiva mente capta erat?

β. Neque verum est, discipulos, spe enthusiastica resur-

---

a. Etiamsi hagiographi in hisce minoris momenti adjunctis revera sibi contradicerent, non statim sequeretur, eos fidem non mereri quantum ad rei narratae substantiam, in qua certe conveniunt.

b.. Sed probari nequit vera contradictio. Nullus eorum completam omnium rerum, quae acciderant, narrationem contexere sibi proposuit. Secundum finem, quem sibi quisque proposuit, alius alia omisit, aut compendiose tantum attigit quod alter fusius retulerat. Quia igitur non omnia factorum adjuncta cognoscimus, et modus loquendi ipsa sua concisione variae interpretationi nonnumquam ansam praebet, difficile est cum certitudine dijudicare, quo praecise ordine res narratae se invicem exceperint. Hinc diversae explicationes, quas videre est apud exegetas. Legi meretur LE CAMUS, *Vie de Notre Seigneur*, Ed. 6, et A. CELLINI, *Gli ultimi capi del Tetramorfo*, 1906. Addere liceat:

c. Ipsas apparentes antilogias suspicionem fraudulentae conspirationis removere ab hagiographis, qui, si decipere voluissent, eas sedulo vitassent.

[1] Impudentiae culmen attigisse videtur RENAN scribendo: „La forte imagination de Marie de Magdala joua dans cette circonstance une rôle capital. Pouvoir divin de l'amour! moments sacrés, où la passion d'une hallucinée donne au monde un Dieu ressuscité"! *Vie de Jésus*, ch. 26.

rectionis praeoccupatos, leves fuisse ad credendum; revera occiso Domino, omni spe dejecti erant et satis increduli. Magdalene, lapidem sublatum videns, resurrectionem ne cogitat quidem, sed dicit: „Tulerunt Dominum de monumento, et nescimus ubi posuerunt eum" [1]; et postea ipsum Christum, quem hortulanum putat, interrogat: „Domine, si tu sustulisti eum, dicito mihi ubi posuisti eum, et ego eum tollam" [2]. Apostoli verba mulierum, resurrectionem nuntiantium, habuerunt „sicut deliramentum, et non crediderunt illis" [3]. Discipuli euntes in Emmaus ne per nuntium quidem resurrectionis spem conceperant [4]. Apostoli congregati viso Jesu conturbantur, et putant se spiritum videre, ita ut Christus debuerit non solum iis manus ac pedes ostendere et palpandas offerre, sed etiam coram iis manducare, antequam crederent [5]. Proverbialis est incredulitas Thomae [6]. Denique quando Christus in monte Galilaeae apparebat, adhuc erant qui dubitarent [7]. — Simul vides, ineptum esse effugium incredulorum, discipulos Domini primo quidem animo dejectos et spe orbatos fuisse, sed paulatim fiduciam, dehinc persuasionem resurrectionis concepisse, et tunc demum Dominum „vidisse" [8]. Reapse discipuli non ideo Christum viderunt, quia resurrectionem ejus

---

[1] *Jo.* **20**, 2. — [2] *Jo.* **20**, 15. — [3] *Luc.* **24**, 11. — [4] *Luc.* **24**, 19-24. — [5] *Luc.* **24**, 36-44. — [6] *Jo.* **20**, seq. — [7] *Mt.* **28**, 17. Quaeres, quomodo haec incredulitas discipulorum cohaereat cum prophetia resurrectionis? Sed difficultas ex ipso Evangelio solvitur. S. Lucas enim post clarissimam mortis ac resurrectionis praedictionem haec addit: „Et ipsi (apostoli) nihil horum intellexerunt, et erat verbum istud absconditum ab eis, et non intellegebant quae dicebantur" (*Luc.* **18**, **34**). Sciebant utique, quid verba Christi secundum sensum literalem significabant, sed quum ab eorum opinionibus alienissima erat cogitatio de Messia et Filio Dei patiente ac moriente, plane nesciebant quid facerent de tali sermone, unde forte sibi persuadebant res praedictas allegorice intellegendas esse. — [8] C Cfr. ROSE, *Études sur les Évang.* ch. 8.

„credebant", sed resurrectionem crediderunt, quia Christum redivivum oculis suis viderant, manibus palpaverant.

Etiam contra criticos modernos insufficientia theoriae hallucinationis demonstrari potest. In traditione originali ab ipsis admissa, nempe *I Cor.* 15, 3-8, b. Paulus apparitiones Domini redivivi Cephae, Jacobo, Apostolis omnibus cum apparitione Domini in via ad Damascum, quae sibimetipsi obvenit, aequiparat: *ὤφθη Κηφᾷ . . . ὤφθη Ἰακώβῳ . . . ὤφθη κἀμοί.* Atqui ex hujus apparitionis nuntiis in *Act.* plane patet b. Paulum non sibi bona fide persuasisse, quod Jesum videret, sed revera Dominum vidisse. Ergo neque apparitiones Apostolorum tamquam facta hallucinationis explicari possunt.

Non sufficit *theoria visionis imaginariae*, secundum quam non corpus redivivum, sed anima Christi tantum sese discipulis manifestasset, mediante specie imaginaria. Etenim haec theoria, quae ceteroquin neque christianis, neque rationalistis satisfacit,

α. facta non explicat, quum species imaginaria tangi ac palpari nequeat;

β. ipsum Christum facit deceptionis auctorem, quippe qui ideo seipsum tangendum praebuit et coram apostolis manducavit, ne spiritus aut phantasma, sed homo vivus crederetur [1].

Quoad *theoriam evolutionis* haec insuper sunt annotanda: **105a**

1. Nimis breve fuit tempus ante Evangelia scripta — teste Harnack inter annos 60-70 p. C. — quod ut evolutio descripta locum habere potuerit, praesertim quum adhuc viverent multi aequales Christi, ipsi discipulisque haud faventes. Insuper ea quae ut initium fidei in resurrectionem sunt allata, non sufficiunt ad illam fidem resurrectionis gignendam; quod ex jam dictis satis patet.

[1] *Luc.* 24, 36-43.

2. Quod Apostoli Jesum „vidisse" putant, quamvis revera aut omnino nihil viderint aut tantum animam Christi, mediante specie imaginaria, discipulis manifestatam, in numero praecedenti refutatum est. Quod Apostoli revera corpus Jesu redivivum viderunt, patet ex *I Cor.* 15, 3-8, quae verba non tantum demonstrant fidem ac doctrinam b. Pauli, sed etiam fidem ac doctrinam Apostolorum: „tradidi enim vobis in primis quod et *accepi* (v. 3) . . . sive enim ego, sive illi: sic praedicamus" (v. 11). Fides et doctrina b. Pauli et Apostolorum igitur eadem est, et quidem apud primam visitationem b. Pauli Hierosolymis, quod fuit tribus annis post ejus conversionem, i. e. tribus vel quatuor annis post mortem Jesu.

Jam vero objectum fidei ac doctrinae b. Pauli erat Jesus corporaliter redivivus, quod patet ex contextu et ordine in *I Cor.* 15, 3-7: mortuus — sepultus — resurrexit — visus est. Resurrexit igitur ille, qui mortuus est et postea sepultus; resurrectio itaque corporalis. Visus est ille, qui resurrexit; visio itaque illius, qui corporaliter resurrexit. Praeterea in *I Cor.* 15, 12-16, b. Paulus resurrectionem mortuorum demonstrat ex resurrectione Christi, quod facere non potuisset, nisi resurrectio Christi et hominum similes sunt naturae. Atqui resurrectio mortuorum secundum b. Paulum perspicuo erit resurrectio corporalis (*I Cor.* 15, 35-44), ergo corpus Christi redivivum apparet [1].

Quando vero objectum fidei ac doctrinae b. Pauli fuit Jesus corporaliter redivivus, tunc etiam Apostoli corpus Christi redivivum viderunt. Admitti igitur nequit illud evolutionis

---

[1] Quod attinet significationem illorum b. Pauli: „caro et sanguis regnum Dei possidere non possunt" (*I Cor.* 15, 50) „surget corpus spiritale" (l. c., 44), „Dominus autem spiritus est" (*II Cor.* 3, 17), videatur TOBAC, *Le problème de la signification dans S. Paul*, 1908; PRAT, *La théologie de saint Paul*, II, 1912.

stadium, quod Apostoli prius Dominum *viderunt*, sensim vero illum, quem viderunt, redivivum esse putaverunt.

3. Non minus ac fictio sepulcri vacui (no. **104a**) rejicienda est opinio, secundum quam christiani postea confinxissent, Apostolos initio dubitasse imo incredulos fuisse. Hujusmodi dubitatio et incredulitas, quae certe apostolis satis probrosae fuissent, inveniri seu confingi non potuerunt eo tempore, quo apostoli jam ab omnibus honorabantur. Quodsi nihilominus eo tempore narrantur, concludendum est eas, ex originali traditione acceptas, veritate niti. Insuper fautores evolutionis illas fictiones ad corroborandam resurrectionis fidem excogitatas esse dicunt. Sed fides in resurrectionem Christi hisce dubitationibus minime corroboratur; jure merito adversarii dicere potuissent, discipulos tantum speciem imaginariam vidisse, quam Messiam esse putaverint. Deinde evolutionistae contendunt, dubitationes illas narrari tantum in Evangeliis posterioribus, np. s. Lucae et s. Joan., sed falsum est, quia *Mt.* **28**, 17 illas per transennam tradit, et ex *Mc.* **16**, 8 cognosci potest Marcum quoque consilium cepisse [1] narrandi, quod discipuli dubitaverunt ac initio increduli fuerunt. Insuper illarum communicatio non respondet fini, quem Mt. et Mc. Evangelium scribendo sibi proposuerunt.

4. Fautores evolutionis distinguunt inter Evangelia; Mt. et Mc. traditionem galilaeam ac proinde apparitiones Domini tantum in Galilaea tradunt, Lc. et Jo. traditionem judaeam ac proinde etiam apparitiones in Judaea et quidem in Jerusalem apud ipsum sepulcrum narrant. Qualiscumque vero sensus sit [2] illorum verborum „praecedit vos in Galilaeam, ibi eum videbitis" [3], apparitiones Domini in Judaea hisce verbis minime excluduntur.

a. Prima apparitio, quae Mt. **28**, 9 et 10 narratur, ea est quae facta est mulieribus mane prima sabbati. Quem textum

[1] ita LADEUZE, o.c. p. 51. — [2] Videatur LADEUZE o.c. p. 43 et MANGENOT o.c. p. 269. — [3] *Mt.* **28**, 7; *Mc.* **16**, 7.

interpolatum esse gratis a criticis asseritur, quia textus in nullo manuscripto deest et in se nullum habet falsitatis signum. Praeterea Matthaeus 28, 16 indicat, apparitionem in Galilaea non fuisse primam sed aliam praecessisse scil. in qua discipulis indicebatur, ut abirent in montem in Galilaeam. Matthaeus non omnes apparitiones tradit sed eas tantum, quae correspondent fini proposito, qui fuit finis apologeticus, cum Lucas et Joannes sibi proposuerint finem, lectoribus de veritate resurrectionis persuadendi.

β. Etiam s. Marco notas fuisse apparitiones Hierosolymis, patet ex **16**, 9 et 12. Evangelio quoque s. Marci originali (usque ad Mc. **16**, 8) cum verbis „praecedit vos in Galilaeam" Evangelista indicat se scire, aliquid impediisse Apostolos, ne ab Hierosolymis abirent, quod nihil aliud esse potest quam resurrectio et apparitiones Domini [1]. Praeterea Marcus in suo Evangelio sequitur praedicationem Petri Apostoli, quae quoad resurrectionem eadem est ac illa b. Pauli. S. Paulus (*I Cor.* **15**, 5) *ex apparitionibus* probare debet Christum *tertia die* resurrexisse. Quod facere non potuit, nisi quaedam apparitiones in ipsa resurrectionis die factae fuerint. Has apparitiones non alias fuisse, quam quae obvenerunt Cephae et undecim patet ex ordine quo ibi narrantur. Cephas et alii Apostoli illa die adhuc Hierosolymis fuerunt; illae apparitiones igitur secundum b. Paulum, cum quo praedicatio b. Petri, quam Marcus sequitur, consentit, *Hierosolymis* factae fuerunt.

105b Quoad mutuationem fidei resurrectionis ex mythologiis orientalibus et graecis aut ex mysteriis paganis, haec sunt animadvertenda.

1. Fidem resurrectionis factis historicis et testimoniis fide dignis niti, ex praedictis constat, ergo.

---

[1] LADEUZE p. 45. Contra criticos modernos Mc. **16**, 9-16 in argumentum allegari nequit, cum Evangelium s. Marci secundum ipsos v. 8 absolvitur.

2. Falso asseritur, ideam resurrectionis, verae scl. quae esset factum historicum, paganis familiarem fuisse. Etenim *α.* quum Paulus atheniensibus, mysteriorum apprime gnaris, resurrectionem Christi praedicaret, res iis videbatur inaudita et risu digna[1]. *β.* Celsus, quum Christi resurgentis analogias quaereret, non audebat invocare praedictos mythos, sed adduxit historiolas quasdam profanas[2]. Quare? Nonne quia mythos religiosos nimis fabulosos habuit? Reapse plerique ethnici, imprimis cultiores, eos considerabant ut mera symbola naturae morientis et renascentis.

3. Teste Harnack, resurrectio non praedicata est a judaeis hellenistis ex Egypto sed a judaeis palestinensibus. Atqui praedicatores illi fuere piscatores simplices et ingenui. Quomodo igitur hujusmodi homines concepissent ideam Messiae resurgentis, quae a communi judaeorum opinione ita aliena erat, ut ipsis „scandalum"[3] fuerit!

4. Magna differentia est inter fidem resurrectionis christianam et mythologias orientales. Hae quidem cognoscunt post mortem reditum ad vitam, sed talem, quem semper sequitur mors. Christus autem, „resurgens ex mortuis jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur"[4].

Corollarium. Rationalistae ad labefactandum resurrectionis **106**
factum objiciunt, illud unice constare testimonio discipulorum atque amicorum Christi, unde perpetuo repetunt verba CELSI: „Si suam divinam potentiam revera innotescere voluit Jesus, oportuit utique, ut se suis adversariis, suo judici, omnibus omnino ostenderet"[5]. Cui objectioni ita respondetur.

a. Etsi factum resurrectionis non alios haberet testes, quam

---

[1] *Act.* **17**, 18, 31, 32. — [2] ORIGENES, *C. Celsum*, III, 26, 31-34. Cfr. *Stimmen*, 1907, Tom. 72, p. 46-49. — [3] *I Cor.* **1**, 23. — [4] *Rom.* **6**, 9. — [5] Apud ORIGENEM, *Contra Celsum*, II, 63.

amicos Christi, adhuc invicte de eo constaret. Testes enim veraces non ideo respui possunt, quia de amico testantur.

b. Quamvis Christus resuscitatus, „per dies quadraginta apparens" [1], a solis discipulis visus sit, verum non est, factum resurrectionis unice niti testimonio amicorum; accedit enim sepulcrum, ipsis judaeis confitentibus, vacuum; accedit testimonium militum, qui terraemotum senserant, et angelum descendentem ac lapidem revolventem viderant [2]. Omnibus igitur notificata est resurrectio Christi, sed aliter amicis aliter inimicis.

Nostrum non est determinare rationes, propter quas Christus redivivus seipsum manifestare voluerit, „non omni populo, sed testibus praeordinatis a Deo", quibus „praecepit praedicare populo et testificari" [3]. Etiam sic veritas resurrectionis sufficientissimis probatur argumentis. Neque verisimile est, apparitionem Christi profuturam fuisse iis, quorum obstinatam incredulitatem tot miracula non flexerant.

CONCLUSIO CAPITIS.

Haud immerito igitur Jesus nazarenus sese legatum Dei asseruit, nam per ea, quae hucusque exposuimus, divina ejus missio invicte probatur. Atqui si Christus erat legatus divinus, religio, quam praedicavit et omnibus profitendam imposuit [4], divinitus vera est. Fidenter dicere possumus cum RICHARDO

---

[1] Nota illud „per quadraginta dies"; postea enim Christus etiam visus est a Saulo, qui utique tunc non erat ex amicis Christi, sed inimicus ac persecutor (*Act.* **9**, 3; cfr. *I Cor.* **9**, 1; **15**, 8; et s. THOMAM, *S. Th.* III, **57**, 6 ad 3). Hinc conjicere licet, quid accidisset, si Christus etiam adversariis suis apparuisset. Aut enim credidissent, et a rationalistis inter amicos computarentur, sicut Paulus; aut non credidissent, et tunc utique viam invenissent negandi veritatem apparitionis. — [2] *Mt.* **28**, 2-4. — [3] *Act.* **10**, 40-42. — [4] Cfr. supra no. **78**.

A S. VICTORE: „Domine, si error est, a teipso decepti sumus, nam ista in nobis tantis signis et prodigiis confirmata sunt et talibus quae nonnisi per te fieri possunt" [1].

Epilogus. *Ecclesia catholica divinam Christi missionem continuat.* 107

Ex comperta veritate religionis christianae in abstracto, argumento brevissimo quidem sed ineluctabili concludi potest ad veritatem religionis catholicae. Dantur quidem praeter ecclesiam catholicam, plures societates religiosae, quae de christiano nomine gloriantur, sed nulla tergiversatione celari potest, illas omnes decursu saeculorum ortas esse per separationem ab ecclesia catholica, respectu cujus cunctae se habent ut rami praecisi ad arborem matrem. Certum igitur est, nullam ex-iis ad Christi et apostolorum tempora ascendere. Jam quomodo sectae, quae non nisi plura saecula post Christum initium habuerunt, a Christo haeredes et custodes religionis suae institutae essent? Quomodo legationem divinam Christi continuandam excepisset societas aut institutum, quod ad tempus Christi minime pertingit? Atqui sola ecclesia catholica totum intervallum temporis a Christo usque ad nos sua exsistentia replet. Ergo haec sola missionem atque doctrinam suam a Christo ejusque discipulis accipere potuit. Et ita „ad solam catholicam ecclesiam ea pertinent omnia, quae ad evidentem fidei christianae credibilitatem tam multa et tam mira divinitus sunt disposita" [2].

Contendunt quidem sectarum asseclae, se ab ecclesia catholica recessisse, ut ad christianismum genuinum ac purum, a quo ecclesia deviasset, reverterentur. At ita loquendo, heterodoxi concedunt, ecclesiam catholicam antiquitus revera fuisse custodem ac depositariam religionis Christi. Hoc autem admisso,

---

[1] *De Trin.* 1, 2. — [2] Conc. vatic., Const. *De fide cath.* cap. 3; DENZ. 1794.

hujus ecclesiae corruptio ipsius Christi promissione excluditur. Christus etenim apostolis eorumque successoribus non solum dedit mandatum perpetuum, doctrinam suam cunctis gentibus praedicandi, sed simul iis promisit assistentiam suam „omnibus diebus, usque ad consummationem saeculi" [1]. Aut ergo Christus, legatus ac Filius Dei, qui certo non est cum corruptoribus suae doctrinae, fefellit, aut ecclesia, divina gaudens assistentia, doctrinam sibi concreditam minime adulteravit [2].

Ceterum quae hoc epilogo observavimus, provisorie tantum dicta sunt, ut etiam ex hoc solo capite de veritate religionis christiano-*catholicae* jam constaret.

CAPUT III.

De divinitate operis Christi, seu religionis Christiano-Catholicae.

108 Argumenta aggredimur, quae directius probant divinam veritatem religionis christianae, qualis in ecclesia catholica exercetur.

Apud omnes in confesso est, a tempore apostolorum usque ad nos semper exstitisse coetum illum christianorum, saltem ejusdem fidei professione colligatum, qui mox accepit, ac deinceps semper retinuit nomen ecclesiae catholicae [3].

---

[1] Cfr. supra no. **79**. — [2] Aliunde si ecclesia catholica supponeretur tractu temporis corrupta, adhuc minime sequeretur, missionem, ipsi aliquando a Christo concreditam, exinde ad aliquam sectam, v.g. protestantismum devenisse. Hujusmodi devolutio utique probari deberet argumentis positivis. Talia autem argumenta nulla secta proferre potest, imo nec proferre conatur. Sequeretur igitur, legitimam custodem ac magistram revelationis christianae jam totaliter defecisse, quod certe cum promissione Christi componi nequit. — [3] Nomen *Ecclesiae Catholicae* jam ab initio saeculi II in usu erat, ut patet ex s. IGNATIO, (*Ep. ad Smyrn.* c. 8.), ex *Ep. eccl. smyrn. de*

Iterum in confesso est, coetum illum, seu ecclesiam semper et manifeste asseruisse, se esse custodem et magistram religionis divinae, a Christo allatae; et ita quidem, ut omnem hominem, qui vel in uno puncto ab ejus praedicatione recederet, semper ut haereticum ejecerit et, supposita pertinacia, aeternae damnationis reum praedicaverit [1].

---

martyrio s. Polycar. (Inscriptio, c. 8 et 19), et *Fragmento muratoriano* (MIGNE *P. L.* III, p. 191). Idem nomen occurrit v. g. apud TERTULL. (*De praescript.* 30), s. CYPRIANUM (*Ep.* 52 *ad Antonianum* no. 1). Medio saec IV s. CYRILL. HIER. scribit: „Si quando peregrinatus fueris in civitatibus, ne simpliciter requiras, ubi sit Dominicum; nam et ceterae impiorum sectae atque haereses suas ipsorum speluncas Dominicorum nomine honestare nituntur; neque ubi sit simpliciter Ecclesia, sed ubi sit catholica Ecclesia; hoc enim proprium nomen est hujus sanctae et matris omnium nostrum, quae quidem et sponsa est D. N. J. C." (*Cat.* 18, n^{0} 26). Demum sub finem ejusdem saec. s. AUGUSTINUS dicit: „Velint, nolint, ipsi quoque haeretici et schismatum alumni quando non cum suis, sed cum extraneis loquuntur, catholicam nihil aliud quam catholicam vocant. Non enim possunt intellegi, nisi hoc eam nomine discernant, quo ab universo orbe nuncupatur" (*De Vera Relig.* 7, 12). Cfr. P. BATIFFOL, *L'Église naissante*,[2] p. 166. — Ceterum de industria ecclesiam catholicam diximus: „coetum christianorum, saltem ejusdem fidei professione colligatum". Quia enim in hoc capite de sola veritate religionis, quam ecclesia catholica profitetur, inquirimus, ex professo eliminamus ea, quae respiciunt ecclesiam praecise *ut est societas*. Nihil igitur hoc loco curamus de quaestionibus, num ecclesiae a Christo aut Apostolis indita sit determinata quaedam et immutabilis constitutio, num ecclesia catholica primitivam suam formam socialem semper retinuerit, cet.; de quibus agendum erit in tractatu *de Ecclesia*.

[1] Ecclesiam revera inde ab initio heterodoxos respuisse, patet e. g. *Tit.* 3, 10-12; *II Jo.* 9-10; IGNATIUS, *ad Trall.* 6; *Smyrn.* 7. S. IRENAEUS, postquam narravit Joannem apostolum, viso Cerintho, non lotum e balneo exiisse, „cum intus esset Cerinthus, veritatis inimicus", et s. Polycarpum Marci-

Quaeritur ergo in hoc capite, num solemnis haec et continua ecclesiae catholicae assertio de divinitate suae religionis, divino testimonio comprobetur. Et dicimus veritatem praedictae assertionis, seu divinitatem religionis christiano-catholicae, invicte probari variis miraculis ecclesiam concomitantibus, et quidem:

primo multis miraculis in ordine physico: *Art. I;*

deinde diversis miraculis in ordine morali, scil:

mirabili religionis christiano-catholicae propagatione et conservatione: *Art. II;*

mirabili, quem semper produxit, sanctitatis fructu *Art. III*:

mirabili martyrum suorum fortitudine: *Art. IV.*

Art. I.

DIVINITAS RELIGIONIS CHRISTIANO-CATHOLICAE PROBATUR MIRACULIS IN ORDINE PHYSICO.

109 Quemadmodum ipse Christus, ita et opus Christi, religio christiano-catholica miraculis commendatur. Et quidem nulla fuit aetas, qua ecclesia catholica non claruerit miraculis, quorum vel minimam partem recensere, longum foret. Seligimus igitur pauca miracula ex singulis principalioribus historiae ecclesiasticae epochis, ut ita constet, fidem ecclesiae catholicae quavis suae exsistentiae aetate divino sigillo obsignatam fuisse, et simul excludatur assertio heterodoxorum dicentium, antiquam ecclesiam tali saeculo, v. g. tempore schismatis orientalis aut protestantismi, doctrinae suae adulteratione corruptam esse [1].

---

onem vocasse, „primogenitum satanae", ita prosequitur: „Tantum apostoli et horum discipuli habuerunt timorem, ut neque verbotenus communicarent alicui eorum, qui adulteraverant veritatem." *Adv. Haer.* III, 3, 4.

[1] Cfr. WILMERS, *de Vera Relig.* p. 633 seq.; DIERINGER, *Die Göttlichen Thaten des Christenthums*, II, p. 422 seq.;

1°. Ecclesiam tempore *suae institutionis et primae diffusionis* 110
miraculis abundasse, notissimum est. Liber *Act. apost.* multa prodigia tum ab apostolis [1], tum ab aliis [2] patrata narrat. *Ep. I. Cor.* **12**, seq. frequentiam charismatum in primitiva ecclesia testatur. Sub finem saec. II s. IRENAEUS scribit: „Non est numerum dicere gratiarum, quas per universum mundum ecclesia, a Deo accipiens, nomine Christi Jesu crucifixi sub Pontio Pilato, per singulos dies in opitulationem gentium perficit" [3]. Simul variae miraculorum species recensentur, et additur apud haereticos miracula non fieri.

2°. Tempore, quo catholica ecclesia luctabat *contra arianismum*, insignibus miraculis commendabatur.

a. Quum Justina, Valentiniani II regis mater, arianismi patrona, s. Ambrosium persequeretur, per tactum reliquiarum ss. Gervasii et Protasii, ex revelatione tunc inventarum (a. 386), ét caecus quidam in urbe mediolanensi notissimus visum recuperavit, ét alia mirabilia acciderunt. — Rem narrant s. AMBROSIUS [4], s. AUGUSTINUS [5], qui tunc Mediolani aderat, et PAULINUS, s. Ambrosii diaconus, qui effectum horum miraculorum addit dicens: „Iis beneficiis martyrum in quantum crescebat fides ecclesiae catholicae, in tantum arianorum perfidia minuebatur" [6].

b. Anno 484, in foro urbis Typasae (nunc Tefessed, prope Algeriam), compluribus christianis, qui se arianis adjungere

---

M. D'HERBIGNY, *Les Arguments apologétiques de S. Augustin: L'Église*, in *Rev. prat. d'apol.* 1910, tom. 9, p. 565.

[1] *Act.* **3**, 6; **5**, 15; **9**, 40; **14**, 7; **19**, 12; **20**, 10. — [2] *Act.* **6**, 8; **8**, 6-13. — [3] *Adv. Haer.* II, **32**, 4; cfr. **32**, 2. — Legantur s. JUSTINUS, *Dial.* no. 30; TERTULL. *Apolog.* c. **23**, no. 93-96; c. 37, no. 126. — [4] *Ep.* 22, no. 2 et 19. — [5] *Confess.* IX, 7; *De Civ.* XXII, 8. — *Vita s. Ambros.* **5**, 14.

nolebant, jussu Hunnerici regis manus dextra abscissa et lingua radicitus excisa est. „Quod cum factum fuisset, Spiritu Sancto praestante, ita locuti sunt et loquuntur, quomodo antea loquebantur." — Rem narrat VICTOR, episcopus *Vitensis* qui addit: „Sed si quis incredulus esse voluerit, pergat nunc Constantinopolim, et ibi reperiet, unum de iis, subdiaconum Reparatum, sermones politos sine ulla offensione loquentem. Ob quam causam venerabilis nimium in palatio Zenonis imperatoris habetur"[1]. Insuper miraculum testantur JUSTINIANUS I imperator[2], AENEAS GAZENSIS[3], MARCELLINUS comes Illyriae[4], qui omnes dicunt, se aliquos horum martyrum, sine lingua expedite loquentes, suis oculis vidisse; et PROCOPIUS CAESARAEENSIS[5], auctor coaevus.

111 3⁰. Postquam *Graeci*, duce Michaële caerulario *sese* a. 1054 *ab ecclesia catholica*, cui apostolicae traditionis corruptionem exprobrabant, *separaverant*, plurimis miraculis claruit s. BERNARDUS, abbas claraevallensis († 1153), ecclesiae eiusque capiti, romano pontifici, per omnia addictissimus. Unum referimus, quod accidit in regione tolosatium, ubi s. Bernardus petrobrusianos et henricianos haereticos impugnabat. „Est locus in regione eadem, cui Sarlatum nomen est, ubi completo sermone plurimos ad benedicendum panes, sicut ubique fiebat, Dei famulo offerebant, quos ille elevata manu et signo crucis edito in Dei nomine benedicens: in hoc, inquit, scietis vera esse quae a nobis, falsa quae ab haereticis suadentur, si

[1] *Hist. persecutionis vandalicae*, V, 6. — [2] *Codex Justin.* l. I, t. 27. — [3] In *Theophrasto* sive libro *De immortalitate animae et corporum resurrectione.* — [4] In *Chronico*, ad a. 484. — [5] *De Bello vandalico*, I, 8. Cfr. HURTER, *Opusc. s.s. Patrum*, XXII, p. 222, et legatur *Stimmen* tom. 37, p. 270 et tom. 40, p. 415, ubi praeter veritatem historicam imprimis veritas philosophica hujus miraculi defenditur contra E. TWISLETON, anglum, qui a⁰ 1873 libellum ediderat: *The Tongue not essential to speech.*

infirmi vestri, gustatis panibus istis, adepti fuerint sospitatem. Timens autem venerabilis episcopus carnotensium, siquidem praesens erat et proximus viro Dei: si bona, inquit, fide sumpserint, sanabuntur. Cui Pater sanctus, de Domini virtute nihil haesitans: non hoc ego dixerim, ait, sed vere, qui gustaverint sanabuntur, ut proinde veros nos et veraces Dei nuntios esse cognoscant. Tam ingens multitudo languentium gustato eodem pane convaluit, ut per totam provinciam verbum hoc divulgaretur, et vir sanctus per vicina loca regrediens, ob concursus intolerabiles, declinaverit et timuerit illo ire". — Verba sunt GAUFRIDI [1], sancti Bernardi notarii, qui ejus vitam conscripturus, ita praefatur: „Circa ea potissimum noster sermo versatur, quibus paene omnibus praesens adfui; interdum etiam, licet pauca, interserens quae fidelissima fratrum, qui aderant, relatione cognovi" [2].

4⁰. Tempore *Reformationis*, quando integrae gentes ecclesiam 112
reliquerunt, ut „purum Evangelium" sequerentur, doctrina catholica plurimum commendata est e.g. per crebra miracula s. FRANCISCI XAVERII, Indiarum ac Japoniae apostoli († 1552). Plurima miracula, inter quae quattuor mortuorum resuscitationes, narrat HORATIUS TURSELLINUS, qui in scribenda vita s. Francisci utebatur tabulis authenticis, a prorege Indiae jussu regis lusitani, confectis [3]. Unum prodigium insigne referimus ex *Bulla canonizationis* [4]: „Apud Comorinum promontorium, cum in quadam ecclesia servus Dei infidelibus concionaretur,

[1] *Vita S. Bernardi*, l. III. c. 6, no. 18; apud MIGNE, *P. L.*, t. 185. — [2] L. c., l. III, *praefatio*. — De veritate historica et philosophica miraculorum s. Bernardi legi potest G. HÜFFER, *Die Wunder des h. Bernhard und ihre Kritiker*, in *Historisches Jahrb. d. Görresgesellschaft*, 1889, p. 748. — [3] *Vita S. Franc. Xav.* l. VI, c. l. De veritate historica miraculorum s. Francisci Xaverii cfr. *Anal. bolland.* t. 16, p. 52, t. 17, p. 485, t. 33, p. 107. — [4] In *Bullar. Rom.* t. IV, Appendix, p. 3.

ac propter duritiam cordis eorum nihil proficeret, facta oratione, jussit sepulcrum, in quo pridie defunctus tumulatus fuerat, aperiri, ac populo significans, ad comprobandam christianae fidei veritatem, mortuum illum Dei voluntate rursus victurum, linteo, quo cadaver involutum erat rescisso, ac rursus precibus ad Deum fusis, mortuo ut viveret imperavit; qui statim stupentibus omnibus surrexit vivus. Quo tam insigni miraculo commoti, qui aderant, tum alii multi crediderunt in Deum."

113 5°. *Nostro denique tempore*, dum omnes ferme sectae ecclesiam accusant de inventione novi dogmatis, immaculatae scil. B. V. Conceptionis, prope urbem Lourdes, multa miracula fiunt ad invocationem Illius, quae se sub *Immaculatae Conceptionis* nomine ibi manifestare dignata est [1].

Huc etiam pertinet insignis illa sanatio Petri de Rudder, cujus crus, ab octo annis confractum et nulla medicorum ope sanabile, a° 1875 repente ex integro restitutum est, quum miser homo auxilium b. Virginis, de Lourdes nuncupatae, in pago Oostacker imploraret [2].

---

[1] DR. BOISSARIE, *L'oeuvre de Lourdes*, Ed. 10a, 1909, *Lourdes. Les Guérisons.* 3 vol. 1913; G. BERTRIN, *Histoire critique des événements de Lourdes*, 1905; J. BRICOUT, *Les merveilles de Lourdes*, 1910; A. CASTELEIN, *Le surnaturel dans les apparitions et dans les guérisons de Lourdes*, 1912; A. GEMELLI, *La lotta contra Lourdes*, 1912; J. P. BAUSTERT, *Lourdes und die Gegner vor dem Forum der Wissenschaft*, 1913; L. CROS, *Histoire de Notre Dame de Lourdes d'après les documents et les témoins*, 3 tom. 1925-26; DR. A. MARCHAND, *Les faits de Lourdes et le bureau des constatations médicales*, 1923; *Rev. prat. d'ap.*, 1910, tom. 12, p. 816; *Etudes*, 1909, tom. 118, p. 161; 1922. tom. 174, p. 423; 1924, tom. 180, p. 359; *Rev. de Philos.*, 1911, p. 48 et 553; *Der Kath.* 1908, II, p. 241 et 358, cfr. p. 385; *Nouv. Rev. Théol.*, 1909, p. 129; *Rev. apol.*, 1922, tom. 34, p. 568. — [2] *Récit et étude d'une guérison subite de fracture*, par les Docteurs VAN HOESTENBERGHE, ROYER et DECHAMPS, 1899; cfr.

Haec autem miracula directius quidem ipsam doctrinam de Immaculata Conceptione confirmant, sed inde etiam cedunt in commendationem totius religionis catholicae. Ab una enim parte dogma Immaculatae Conceptionis ét soli ecclesiae catholicae proprium [1] est, ét cum reliquis ejus dogmatibus intime cohaeret; ab alia parte istae sanationes non sine participatione fidei et cultus catholici obtinentur.

Scholion. *Observationes quaedam generales de miraculis ecclesiam catholicam concomitantibus.* — Post paucissima illa quae speciminis gratia supra attulimus, breviter nonnulla observare placet de miraculis ecclesiae in genere. **114**

1°. Notissimum est, haud omnia mirabilia, quae in Vitis seu Actis Sanctorum narrantur, fidem mereri [2]; discretione igitur opus est, etiam in concionibus panegyricis; populus enim christianus narrationibus fabulosis aut suspectis nutriendus non est! Missis autem iis, quae aut historice aut philosophice dubia sunt, ingens verorum miraculorum copia remanet, et

---

De Katholiek, tom. 116, p. 474; Dr. A. Dechamps, et Dr. Le Bec, *Le cas Pierre de Rudder et les objections des médecins; Der Kath.*, 1911, I, p. 344 et 353; *Coll. Brug.*, 1908, p. 561; *Stud.* tom. 71-74; Th. Famulus, *Een heusch wonder*, 1916. — De miraculo s. Januarii legantur: L. Cavenne, *Le célèbre miracle de saint Janvier à Naples et à Pouzzoles*, 1908; Dr. C. Isenkrahe, *Neapolitanische Blutwunder*, 1912; L. Silva, *Il miraculo di S. Gennaio*, 1916; G. B. Alfano et A. Amitrano, *Le scienze occulte e il miraculo di san Gennaio*, 1922; cfr. *Civiltà catt.*, 1922, III, p. 481.

[1] Etiam ecclesia constantinopolitana, in sua *Encyclica* a° 1895 contra „ecclesiam adulterationis" (i. e. catholicam) edita, doctrinam de Imm. Conceptione, aut saltem ejus definitionem nobis exprobat. Cfr. J. B. Baur, *Argumenta c. Orientalem Ecclesiam ejusque synodicam Encyclicam* a° 1895, (Oeniponte, 1897) p. 56. — [2] Legatur v.g. Vacant, *Diction. de Théol. cathol.*, in voce: *Acta martyrum, Acta Sanctorum*; Günter, *Legenden-Studien*, 1906.

ita quidem ut vera miracula, sive plura sive pauciora, nullo umquam tempore ecclesiae christiano-catholicae defuerint. Res ita certa est, ut nemo, qui auctoritatem testimonii humani debitis conditionibus vestiti agnoscit, eam in dubium vocare possit. Simul certum est nullam aliam religionem aut sectam tali miraculorum dono insigniri [1].

2°. Miracula illa saepius *directe* fiebant ad comprobandam missionem, doctrinamque ecclesiae; quod constat aut ex diserta provocatione thaumaturgi (ut v. g. in exemplis supra sub n° **111** et **112** relatis), aut ex adjunctis (quando v.g. praedicatores doctrinae catholicae *qua tales* miracula patrabant, uti contigit in Apostolis et generatim in missionariis; vel quando martyres pro doctrina catholica patientes, miraculis honorabantur). Ceterum etsi plurima alia miracula non directe in commendationem ecclesiae facta sunt (sed. v.g. ad comprobandam alicujus hominis sanctitatem), tamen ipsa sua frequentia et continuitate divinam veritatem religionis catholicae saltem *indirecte* attestantur. Quis enim non videt, Deum, eo ipso quod in ecclesia catholica continuo miracula operetur, optimosque illius ecclesiae filios quovis saeculo miraculis condecoret, ipsam ecclesiam ejusque religionem commendare? Sancti omnes, in vita et post mortem miraculis fulgentes, doctrinam ecclesiae ut divinam admiserunt et amaverunt, mediis sanctificationis ab ecclesia suppeditatis avidissime usi sunt, uno verbo ecclesiae addictissimi exstiterunt. Nonne Deus, eorum sanctitatem miraculis comprobando, necessario dicendus est, simul comprobasse ecclesiam, cui illi sanctitatem suam acceptam referebant, et quae vicissim illos ut germanissimos filios sibi vindicat?

[1] Non contendimus, neminem umquam extra catholicam ecclesiam precibus suis miraculum impetrasse, quod inquirere longum esset; sed dicimus: *a.* nullum umquam miraculum indubium ita factum esse, ut vere in commendationem alius religionis cederet; *b.* extra catholicam religionem miracula, si tamen inveniuntur, perquam rarissima esse.

3⁰. Omnes norunt, miracula initio ecclesiae longe frequentiora fuisse quam posterioribus saeculis, quod jam suo tempore observabat s. Augustinus [1]. Rationem praecipuam ita proponit s. GREGORIUS M.: „Ut fides cresceret, miraculis fuerat nutrienda; quia et nos cum arbusta plantamus, tamdiu eis aquam infundimus, quousque ea in terra jam convaluisse videamus, et si semel radicem fixerint, in irrigando cessamus" [2]. Revera religio catholica, quo latius per orbem diffunditur et quo diutius exsistit, eo minus indiget miraculis (in ordine physico); non solum quia prima diffusio majoribus difficultatibus premebatur quam conservatio et ulterior disseminatio, sed ideo praecipue quia ecclesia quo magis aetate et diffusione proficit, eo facilius *ex sese* ut opus divinum cognosci potest, ratione scil. miraculorum in ordine morali, ipsi ecclesiae inhaerentium, de quibus in reliquis hujus capitis articulis disserendum erit[3].

Ceterum possunt et aliae rationes subesse, quare Deus nunc plura, nunc pauciora miracula facere velit [4]. Ut pauca, non asserendo sed suspicando adjiciam: nonne credibile est, superiora saecula ideo miraculis magis abundasse, quia tunc homines generatim intensiori fide eminebant, praesertim quum donum miraculorum speciali quodam modo fidei heroice firmae promissum sit [5]. Nonne justum judicium dicendum foret, si Deus abundantiorum signorum gratiam subtraxerit populis, qui fidem semel cognitam superbe abjecerunt?

---

[1] *Retract.* I, **14**, 5. — [2] *Hom.* 29 *in Evang.* n⁰ **4**. — [3] Cfr. J. V. BAINVEL, in *Rev. prat. d'apol.*, 1916, tom. 23, p. 586-529. — [4] Cfr. e. g. DIERINGER, *Die göttlichen Thaten des Christenthums*, II, p. 448. — [5] *Mt.* **17**, 19; *Luc.* **17**, 6; cfr. *Mc.* **6**, 5.

Art. II.

DIVINITAS RELIGIONIS CHRISTIANO-CATHOLICAE PROBATUR MIRABILI EJUS PROPAGATIONE ET CONSERVATIONE [1].

115 Ostendendum in hoc *Art.* est, propagationem et stabilitatem religionis christiano-catholicae ex causis naturalibus explicari non posse, proinde singulari divinae providentiae beneficio tribuendas esse, a. v. esse miracula in ordine morali. Nam si constiterit, religionem catholicam singulari protectione divina gavisam esse et gaudere, simul de divina illius veritate constabit. Quomodo enim Deus, qui fraudi patrocinari nequit, religionem, divinam originem falso praetendentem, miraculosa protectione prosequeretur?

Praenotandum. — Mirabilis rei christianae propagatio et conservatio, quum sint duae res distinctae, distinctam tractationem requirunt. Nihilominus utrumque punctum uno articulo absolvimus. Quum enim character miraculosus propagationis christianismi in historia trium priorum saeculorum potissimum eluceat, mira vero stabilitas (quatenus scil. a mirabili propagatione distinguitur) ad subsequentia tempora pertineat, ex consideratione utriusque miraculi simul sumpti patebit, religionem christiano-catholicam *pro tota suae exsistentiae duratione*, a primis initiis usque modo, manifesta protectione divina honestari, a. v. religionem christiano-catholicam, quamdiu exsistit, tamdiu divinae omnipotentiae miraculo fulciri et commendari.

Praeterea miraculo propagationis conjungendo conservationis miraculum. praeoccupamus objectionem heterodoxorum, qui, digitum Dei in prima *christianismi* diffusione agnoscentes, dicunt, exinde nihil probari in favorem religionis *catholicae*, quum religio catholica et verus christianismus ex ipsorum sententia minime convertantur. Dico, hanc difficultatem con-

[1] P. MUCK, *Das gröszte Wunder der Weltgeschichte*, 1905.

junctione utriusque miraculi praecaveri. Quis enim contendere audebit, a Deo miraculose conservari religionem, quae non esset nisi adulterina quaedam imitatio illius religionis, quam idem Deus miraculose per orbem plantavit?

Neque arbitrarie miracula propagationis et conservationis conjungimus, quippe quae natura sua intime cohaerent. Nisi propagationem latam ac celerem diuturna stabilitas excepisset, exinde fere conficeretur, illam propagationem revera non fuisse opus Dei; vix enim alicui persuaderes, divino adjutorio aedificatam esse religionem tam cito collabentem. Aliunde, si religio christiana divino auxilio indiget, ut per orbem conservetur, quomodo humanis tantum viribus primo inter gentes diffundi potuisset? Initia enim difficiliora esse noscuntur.

PROP. 1. **Latissima et celeris Christianismi propagatio, consideratis omnibus adjunctis, miraculum in ordine morali dicenda est.** 116

Probare debemus tum religionem Christi celeriter propagatam esse, tum hanc propagationem, in suis adjunctis spectatam, naturaliter explicari non posse.

I. **Christianismus admodum celeriter per orbem divulgatus est.**

Consideretur diffusio christianismi tum tempore apostolorum, tum postea usque ad finem fere saeculi tertii [1].

[1] De hac materia egregie disserunt A. HARNACK, *Die Mission und Ausbreitung des Christentums in den ersten drei Jahrhunderten*, ed. 3, 1915; F. SPITTA, *Jesus und die Heidenmission*, 1909, (libri Harnack et Spitta *ceteroquin*, minime commendandi); M. MEINERTZ, *Jesus und die Heidenmission (Neutest. Abhandl.)*, 1908; P. HEINISCH, *Die Idee der Heidenbekehrung im Alten Testament, 1916* (*Bibl. Zeitf.* VIII, 1 et 2); P. BATIFFOL, *L'Église naissante et le Catholicisme*, ed. 2a, 1922; J. RIVIÈRE, *La propagation du Christianisme dans les trois premiers siècles*, 2 vol. (Coll. *Science*

1°. *Diffusio tempore Apostolorum.* — Viventi Christo relative pauci adhaeserant; ast praedicante Petro in Pentecoste „appositae sunt in die illa animae circiter tria millia"; paulo post accessit „numerus virorum quinque millia", et continuo „magis augebatur credentium in Domino multitudo virorum ac mulierum". Mox, orta persecutione in Jerusalem, apostoli eorumque adjutores dispergebantur per Judae amac Samariam „evangelizantes verbum Dei". Quum autem Paulus, circa a. 58 Jerosolymam veniens, narraret „singula, quae Deus fecisset in gentibus per ministerium ejus", Jerosolymitani respondere potuerunt: „Vides, frater, quot millia [πόσαι μυριάδες] sunt in Judaeis, qui crediderunt" [1]. — Haec de *Palaestina*.

Quam multae ecclesiae ipso Apostolorum tempore *extra Palaestinam* exstiterint, aliquatenus patet ex inscriptione *I Ep. Petri*: „Electis advenis dispersionis Ponti, Galatiae, Cappadociae, Asiae et Bithyniae"; ex itineribus Pauli ejusque epistolis, atque ex *Apoc.* [2] ubi s. Joannes epistolam mittere jubetur „septem ecclesiis, quae sunt in Asia: Epheso et Smyrnae et Pergamo et Thyatirae et Sardis et Philadelphiae et Laodiceae". Primitivas hasce ecclesias, aliquando saltem, fuisse valde numerosas, conficere licet ex iis, quae Tacitus [3] et s. Clemens rom. [4] memorant de ecclesia urbis Romae tempore persecutionis neronianae. Praeterea s. Paulus scribit, suo jam tempore fidem christianam annuntiari et fructificare et crescere in universo mundo [5]. Quod etsi minime ad literam accipiendum est, diffusionem pro adjunctis praegrandem arguit.

---

et Religion, no. 454-455); brevius P. ALLARD, *Dix leçons sur le Martyre*, 1906, p. 10-83; *Der Kath.*, 1903, I, p. 240 (contra Harnack) et p. 289 (contra Loisy).

[1] *Act.* **2**, 41; **4**, 4; **5**, 14; **8**, 4; **21**, 19-20. — [2] *Apoc.* **1**, 11. — [3] *Annal.* XV, 44: „multitudo ingens". Cfr. n°. **75**. — [4] „Viris istis [PETRO et PAULO] magna electorum multitudo aggregata est, qui suppliciis multis et tormentis passi, exemplar optimum inter nos exstiterunt." *Ep. ad Cor.* **6**, 1. — [5] *Rom.* **1**, 8: „Fides vestra annuntiatur in universo mundo"; cfr. **10**,

2⁰. *Diffusionem post Apostolos* testantur: 117

S. IGNATIUS M. memorans „episcopos per tractus terrae [κατὰ τὰ πέρατα] constitutos" [1].

C. PLINIUS SECUNDUS, Bithyniae propraetor, qui (c. a 112) Trajanum imperatorem consulens de modo agendi cum christianis, scribit: „Visa est mihi res digna consultatione, maxime propter periclitantium numerum. Multi enim omnis aetatis, omnis ordinis, utriusque sexus etiam, vocantur in periculum et vocabuntur. Neque civitates tantum, sed vicos etiam atque agros superstitionis istius contagio pervagata est; quae videtur sisti et corrigi posse. Certe satis constat, prope jam desolata templa coepisse celebrari, et sacra solemnia diu intermissa repeti, pastumque venire victimarum, quarum adhuc rarissimus emptor inveniebatur. Ex quo facile est opinari, quae turba hominum emendari possit, si sit poenitentiae locus" [2].

S. PAPYLUS M. (probabilius sub Antonino) coram judice dicere potuit: „In omni provincia et urbe [Asiae] sunt mihi filii secundum Deum" [3].

S. JUSTINUS M.: „Nullum omnino genus est sive graecorum, sive barbarorum, sive quolibet nomine appellentur, vel hamaxobiorum qui in plaustris degunt, vel nomadum qui domibus carent, vel scenitarum qui, pecora pascentes, habitant in tentoriis, nullum inquam ejusmodi genus est, in quo non per nomen crucifixi Jesu preces et gratiarum actiones Patri et Creatori universorum fiant" [4].

---

18. *Coloss.* **1**, 6: Evangelium, „quod pervenit ad vos, sicut et in universo mundo est et fructificat et crescit, sicut in vobis". Hinc etiam s. CLEMENS ROM. de b. Paulo scribit, quod „in oriente et occidente verbi praeco factus, mundum universum justitiam docuit" (*Ep. ad. Cor.* **5**, 6-7).

[1] *Ephes*, **3**, 2. — [2] *Epp.* l. X, 97; cfr, A. J. KLEFFNER, *Der Briefwechsel zwischen dem jüngeren Plinius und Kaiser Trajan*, 1907. — [3] *Mart. Carpi, Papyli*, cet. c. 32. — [4] *Dial. c. Tryph.* n⁰. 117.

S. IRENAEUS [1] memorat ecclesias in Germania, in Hispaniis in Galliis, in Oriente, in Aegypto, in Libya.

TERTULLIANUS ad praesides romanos in Africa dicit: „Hesterni sumus, et vestra omnia implevimus, urbes, insulas, castella, municipia, conciliabula, castra ipsa, tribus, decurias, palatium, senatum, forum; sola vobis reliquimus templa" [2]. Alibi dicit, quod christiani erant „pars paene major civitatis cujusque" [in Africa proconsulari] [3].

CLEMENS ALEX.: „Magistri nostri verbum non mansit in sola Judaea sicut philosophia in Graecia, sed diffusum est per totum orbem, graecorum simul et barbarorum gentibus et vicis et totis urbibus persuadens, totas domus et seorsim unumquemque ex iis qui audierunt, et ex ipsis etiam philosophis non paucos jam traducens ad veritatem" [4].

LACTANTIUS, statum ecclesiae ante persecutionem Decii (a. 249) describens, dicit: „Manus suas in orientem occidentemque porrexit, ut jam nullus esset terrarum angulus tam remotus, quo non religio Dei penetrasset, nulla denique natio tam feris moribus vivens, ut non suscepto Dei cultu ad justitiae opera mitesceret" [5].

MAXIMINUS DAZA, imperator, scripsit, Diocletianum et Maximianum in christianos saeviisse, „quum cunctos fere homines, relicto deorum immortalium cultu, ad christianorum sectam se applicuisse cernerent" [6].

Testimonia de „universo" mundo, ad mundum tunc cognitum, imo aliquando ad imperium romanum restringenda sunt; praeterea nonnulli ex auctoribus citatis modo rethorico locuti sunt. Nihilominus plene constat, religionem christianam ante finem saec. III latissime diffusam fuisse, non solum intra fines romani imperii, sed etiam extra, ita ut ad gentes omnino

---

[1] *Adv. haer.* I, **10**, n⁰. 2. — [2] *Apolog.* 37. — [3] *Ad Scap.* c. 2; cfr. c. 5. — [4] *Strom.* **6**, 18 in fine. — [5] *De mort. persecut.* c. 5. — [6] Apud EUSEB. *H. E.* **9**, 9.

plurimas in diversis mundi (cogniti) plagis pervenisset. Hanc autem diffusionem nemo, qui difficili gentium illius temporis commercio attenderit, celerrimam non dixerit. [1]

Corollarium. Nota propria religionis christianae fuit „evan- 117 a
gelizari pauperibus" [2], et primis praesertim temporibus „non multi sapientes, non multi potentes, non multi nobiles" [3]; nihilominus statim ab initio etiam honestiores et cultiores Christo nomen dederunt. Ex *Judaeis* habes v.g. Nicodemum, Joseph ab Arimathaea, b. Paulum, Crispum archisynagogam, Apollinem, multam turbam sacerdotum, plures pharisaeos [4]; quum Ep. b. Jacobi plures christianos divites supponat. Inter *gentiles* primo saeculo christiani fuerunt v. g. Cornelius centurio, proconsul Sergius Paulus, Dionysius areopagita, non paucae mulieres nobiles Thessalonicae et Beroeae [5], consul Flavius Clemens

[1] A. HARNACK, librum: „*Die Mission und Ausbreitung des Christentums*", cet. ita concludit: „Ist die Ausbreitung der christlichen Religion überraschend schnell erfolgt? Ich möchte die Frage bejahen. Der Eindruck, den die Kirchenväter im 4 Jahrhundert gehabt haben, ein Arnobius, Eusebius und Augustin, dass sich ihr Glaube Generation für Generation mit unbegreiflicher Schnelligkeit verbreitet hat, besteht zu Recht. *Siebzig* Jahre nach der Gründung der ersten heidenchristlichen Gemeinde in dem syrischen Antiochien schreibt Plinius über die Verbreitung des Christentums in dem weit entfernten Bithynien in den stärksten Ausdrücken und sieht den Bestand der übrigen Kulte in jener Provinz bereits bedroht. *Siebzig* Jahre später zeigt uns der Osterstreit eine christlich-kirchliche Konföderation, die von Lyon bis Edessa reicht, und in Rom ihren Mittelpunkt hat. Wieder *siebzig* Jahre später erklärt der Kaiser Decius [*Ep. 55 s. Cypriani*, n^{0}. 9], er wolle in Rom lieber einen Gegenkaiser ertragen als einen christlichen Bischof. Und nun dauert es kaum noch *siebzig* Jahre, da wird das Kreuz an die römischen Feldzeigen geheftet" (Ed. I, 1902, p. 545). — [2] *Mt.* **11**, 5. — [3] *I Cor.* **1**, 26. — [4] *Act.* **18**, 8, 24; **6**, 7; **15**, 5. — [5] *Act.* **10**; **13**, 12; **17**, **34**, **4**, 12.

cum uxore Domitilla, Acilius Glabrio consularis, cet. Ex inscriptionibus sepulchralibus patet, Romae (c. annum 209) plures ex spectatissimis familiis Christo adhaesisse [1]. Ineunte saec. IV ARNOBIUS ita ethnicos alloqui potuit: „Nonne vel haec saltem fidem vobis faciunt argumenta credendi, quod tam magni ingenii oratores, grammatici, rhetores, consulti juris ac medici, philosophiae etiam secreta rimantes magisteria haec expetunt, spretis quibus paulo ante fidebant" [2]. Merito igitur cl. P. ALLARD: „Christianismus recens ortus stirpium, linguarum, culturae sepimenta evertit; item statim ab initio asseclas ac martyres suos ex omnibus ordinibus societatis sibi adscivit. Et haec penetratio socialis non minus mira est quam expansio geographica" [3].

118 II. **Amplissima illa Christianismi propagatio naturaliter explicari nequit.**

Assertio probatur ponderando propagationis adjuncta, n.p. enormitatem obstaculorum, et exiguitatem mediorum, quae naturaliter praesto erant.

---

[1] P. ALLARD: „Dans le cimetière, que gouverna Calliste [postea a. 218-222 summus pontifex], les plus grandes familles de Rome sont représentées. On y trouve les marbres funéraires de Caecilii, de Cornelii, d'Aemilii, de Bassi, d'Annii, d'Jallii, de Pomponii; on y rencontre des tombeaux d'alliés des familles impériales. Comme au premier siècle il y avait eu des Flaviens chrétiens, à la fin du deuxième et au commencement du troisième il y eut des Antonins chrétiens." (*Hist. d. Persécut. pendant la première moitié du 3 siècle*, 1894, p. 191). — [2] *Adv. Gent.* 2, 5. — [3] „A peine né, le christianisme avait renversé les barrières de races, de langue et de culture. De même il recruta dès la première heure des disciples et des martyrs à tous les étages de la société, par un prodige de pénétration sociale, qui n'est pas moins remarquable que celui de son expansion géographique." *Dix leçons sur le martyre*, 1906, p. 152.

1°. *Gravissima obstacula*, partim *intrinseca* (ex ipsa christianismi indole provenientia), partim *extrinseca* diffusionem religionis christianae reddebant difficillimam.

Impedimenta intrinseca erant **a.** *persona ipsius Christi*, qui ex despecta Judaeorum gente oriundus, et crucis supplicio affectus, ut Deus adorandus et colendus proponebatur: Judaeis quidem scandalum, gentibus autem stultitia [1]. **b.** *Doctrina christiana*, tum dogmatica, altissima mysteria continens, tum moralis (in se quidem pura et pulchra, sed nihilominus) omnibus cupiditatibus et passionibus contraria, ac per consequens, ipsa sua austeritate hominibus infirmis durissima, perversis odiosa [2]. **c.** Necessarius *exclusivismus* christianismi, omnem aliam religionem et cultum proscribentis.

Impedimenta extrinseca erant **a.** pro *Judaeis* exspectatio Messiae, regis potentissimi, qui gentem suam ab aliena dominatione liberaret; magna aversio a communione religiosa cum gentilibus; auctoritas sacerdotum et pharisaeorum, venerabilem Mosis cathedram occupantium et defendentium.

b. *Pro gentibus* amor patriae religionis, longa saeculorum

---

[1] Cfr. *I Cor.* **1**, 23. — [2] Difficultates, quas ipsa doctrina christiana ingeniis gentilium paraverit, facilius intelleges legendo verba moderni increduli, inter catholicos enutriti. Scribit SULLY-PRUDHOMME: Le catholicisme „offense toutes les facultés humaines: l'intelligence par ses mystères, aussi déconcertants dans l'ordre des idées que les miracles dans l'ordre des faits; les sens par les mortifications qu'elle leur inflige et par les illusions dont elle les leurre dans l'Eucharistie; le coeur par la répression de tous les mouvements passionnels et même de ses penchants innés; la volonté par l'abdication, qu'elle lui impose dans la pratique de l'obéissance et de l'humilité; la conscience enfin par les suites du péché originel, incompatibles avec le sentiment de la responsabilité personnelle" (*La vraie Religion selon Pascal*, 1905, p. 154).

consuetudine inveteratus; quae quidem religio et cupiditatibus blandiebatur, et intime contexta erat cum singulorum populorum historia, statu politico, cum vita sociali ac domestica, legibus, institutis, festis, artibus, ita ut quicumque christianismum amplectebatur, seipsum quasi extra societatem poneret[1]. Adde auctoritatem tum sacerdotum gentilium, quorum dignitas, conditio et victus a cultu numinum pendebat; tum magistratuum, qui aut ipsi ethnicae superstitionis pontifices erant, aut saltem putabant salutem reipublicae a cultu deorum pendere[2]; tum philosophorum, qui christianismum praedicabant

[1] Hinc illa, quam Tacitus refert, accusatio „odii humani generis" — „Même aux yeux des gens éclairés, qui se tenaient au dessus des rumeurs populaires, le soin avec lequel les fidèles s'abstenaient des fêtes profanes, leur haine pour les spectacles, leur éloignement volontaire des fonctions publiques, trop souvent entachées d'idolâtrie, autorisaient une imputation d'autant plus redoutable, qu'elle était plus vague. On voyait dans les chrétiens des hommes d'une espèce à part, et ceux qui ne leur imputaient ni meurtres cachés, ni débauches secrètes, les accusaient au moins *de haïr le genre humain*" (P. ALLARD, *Le Christ et l'empire romain* 1897, p. 13. — [2] Idem ALLARD scribit: „La fortune de Rome parût liée à sa religion. Les plus raffinés des contemporains d'Auguste ou de Tibère n'étaient pas moins pénétrés de cette pensée, que les grossiers habitants de la ville primitive du Palatin. Du fond même de cette religion, de sa certitude absolute ou de ses origines historiques, ils se souciaient peut-être médiocrement. Mais l'intérêt politique, et une toute-puissante superstition, dont les plus sceptiques eux-mêmes ne cherchaient pas à se défendre, leur rendaient sacrés les dieux nationaux. On croyait que la puissance romaine serait ébranlée le jour, où croulerait sa religion traditionnelle. Cette conception est tellement inhérente au paganisme romain, qu'elle se retrouvera sans changement chez ses derniers sectateurs, contemporains de s. Ambroise ou de s. Augustin" (l. c., p. 4). — Hinc, teste TERTULLIANO, homines aestimabant: „omnis publicae cladis, omnis popularis incommodi christianos esse in causam. Si Tiberis ascendit in moenia, si Nilus non ascendit in arva,

superstitionem exitialem, homini graeco aut romano indignam.

c. Pro *utrisque* horrendae calumniae christianis ubique terrarum, opera praesertim Judaeorum, impactae[1], et persecutiones crudelissimae, quae ubi non saeviebant, saltem imminebant.

2°. *Media*, quae naturaliter praesto erant ad religionem **119**
christianam propagandam, admodum pauca et infirma fuisse,

---

si coelum stetit, si terra movit, si fames, si lues, statim: christiani ad leonem!" Tantos ad unum?" (*Apolog.* c. 40, no. 136). Item s. AUGUSTINUS memorat „vulgare proverbium: Pluvia defecit, causa christiani!" (*De civ. Dei*, l. II, c. 3.) Ipse PORPHYRIUS, insignis III saec. philosophus, teste EUSEBIO, scribebat: „Et nunc mirum ulli videatur, civitatem hoc morbo [peste] tot jam annos conflictari, cum Aesculapius, ceterique dii hominum se consuetudine consortioque subtraxerint! Ex quo enim Jesus coli coeptus est, communem ac publicam deorum opem nemo sensit" (*Praep. Evang.* V, 1).

[1] ALLARD: „Toutes les fois que dans l'empire paien avait recommencé la persécution, soit officielle, soit populaire, ils [les Juifs] s'étaient montrés au premier rang, attisants les colères ou aidant les violences" (*Julien l'apost.* III, p. 187). Synagogae, quas TERTULLIANUS (*Scorpiac.* c. 10) „fontes persecutionum" appellat, non solum inter Judaeos, sed missis quoquoversus hominibus (s. JUSTIN., *Dial. c. Tryph.*, no. 17), etiam inter gentes disseminabant v. g. Christum arte magica homines seduxisse (ORIG. *c. Cels.* I, 28) et summo jure in ruce actum cesse (s JUSTIN., l. c. no. 93), resurrectionem Christi fabulam esse, et corpus furatum (l. c. no. 108), gestaque Christi a discipulis esse conficta (ORIG. l. c. II, 13). Addebant, christianos in suis conventibus vesci puero ab ipsis occiso; exstinctis luminibus libidini pessime indulgere (s. JUSTIN., *Apol.* II, 12; TERTULL., *Apolog. c*, 7, no, 32; ORIG. l. c. VI, 27; sacerdotum genitalia adorare (MINUC. FELIX, *Octav.* no. 9). Insuper christiani dicebantura thei esse (JUSTIN., *Apol.* I, 6), adorare solem (TERTULL. *ad Nat.* I, 13), aut caput asini (TERTULL. *Apolog.* c. 16, no. 70; MINUC. FELIX, *Oct.* no. 28), cet.

vix est quod explicemus. Sane, Apostoli eorumque adjutores neque potentia et nobilitate saeculari commendabantur, neque commoda temporalia sequacibus suis promittere poterant, neque scientiae aut eloquentiae laude florebant. Erant homines judaei omnibus invisi et, plerique saltem, rudes ac illiterati, ipso graeco idiomate sat imperfecte utentes. Quis autem sapiens sibi persuadebit, paucos hosce et obscuros piscatores, zelo quidem ferventes, sed omni auxilio destitutos, ad amplissimam illam ac difficillimam novae religionis propagationem naturaliter sufficere potuisse [1]?

120 *Conclusio.* Habemus igitur ab una parte effectum plane maximum, conversionem scil. rapidam plurimorum hominum, in diversis mundi partibus, ad religionem in se difficillimam, communiter exosam, omnibus modis impugnatam. Habemus ab alia parte causam naturalem alicujus quidem, sed tamen infimae efficaciae, ac per consequens tanto effectui manifeste improportionatam. Quum autem quilibet effectus causam adaequatam exigat, necesse est, praeter hanc naturalem causam, quae effectum non nisi pro minima parte explicat, agnoscere et aliam causam longe validiorem, influxum scil. supernaturalem Dei, lumine suo et gratia homines efficaciter moventis ad christianismum.

121 **Scholion.** *Diluuntur difficultates.* — 1°. Praeeunte Gibbon[2], plures rationalistae amplam christianismi propagationem

---

[1] Ipse PAULSEN: „Unter allen Ereignissen, von denen die Weltgeschichte berichtet, ist keines so erstaunlich als die Bekehrung der alten Welt zum Christentum. Niemals hat es eine geistige Bewegung gegeben, der so sehr alles fehlte, was nach dem gewöhnlichen Lauf der Dinge die Welt zu erobern geschickt macht, als das Christentum" (*System der Ethik*, 1889 p. 78). — [2] *The decline and fall of the Roman Empire.* c. XV, (1777).

naturaliter explicare conati sunt. Potiores, quas assignant causae sunt:

a. Promissio vitae aeternae; — sed nonne omnes religiones futuram vitam felicem promiserunt?

b. Magna puritas vitae primorum christianorum, et praecipue eorum misericordia in pauperes. — Falso supponitur, eximias christianorum virtutes naturaliter acquisitas fuisse. Misericordiam quod attinet, quis credet, primis illis temporibus christianos facultatibus ita abundasse, ut eleemosynis tot millia hominum allicerent, praesertim quum professio christianismi incommodis, damnis, periculis plena esset.

c. Doctrina de aequalitate omnium hominum coram Deo, quae servos — et quot erant! — spe liberationis alliciebat. — Doctrina haec utique miseris illis hominibus gratissima esse debuit, sed simul verum est, servos maxima parte perditissimis moribus fuisse, quibus proinde doctrina moralis christianismi minime arridebat. Deinde quamvis doctrina christiana logice ad abolitionem servitutis conducat, ecclesia primitiva servis libertatem non promittebat, abolitionem servitutis pro tunc minime visebat, sed Apostolorum exemplum[1] secuta, servis obedientiam erga dominos suos sive fideles, sive infideles inculcabat. Certe nonnulli servi a dominis christianis, aut ope christianorum libertatem etiam tunc obtinebant, sed „quid haec inter tantos?"

---

[1] *I Tim.* 6, 1-2; *I Cor.* 7, 20-22; *Eph.* 6, 5 seq.; s. IGNAT. M. *Ad Polyc.*, 4. Cfr. F. X. KIEFL, *Die Theorien des modernen Sozialismus über den Ursprung des Christentums*, 1915; *Zeits. f. k. Theol.*, 1909, p. 625; JOH. VON WALTER, (acath.) in opere suo (*Die Sklaverei im N. Test.*, 1914, S. 4 f.) fatetur „dasz das N. Test., trotzdem es die Sklaverei für einen der christlichen Freiheit nicht entsprechenden Zustand hält, eine Aufhebung der Sklaverei nicht gefordert sondern die Sklaven ermahnt, in ihrem Stande zu bleiben".

d. Colligatio multorum populorum sub uno sceptro romano. — Haec populorum unio sine dubio profuit, ut Evangelium citius innotesceret; imo patres subinde putarunt, Deum ideo dominationem romanam tam late extendisse, ut celeriori divulgationi Evangelii viam pararet. Ast aliud est nosse religionem christianam, aliud eam amplecti. Aliunde lata romani imperii dominatio, sicut promptiori divulgationi, ita et efficaciori repressioni christianismi favebat.

Ceterum libenter concedimus, nonnullas causas naturaliter propagationi christianae religionis profuisse; id unum infitiamur, propagationem, qualis de facto erat, ex hisce naturalibus causis, etiam simul sumptis, satis explicari.

Celerem christianismi propagationem minime explicari per syncretismum, quo nova religio sese persuasionibus et consuetudinibus gentium accommodasset, sibique incorporasset quidquid apud singulas vivum et fertile inveniebatur, satis constat ex praedictis[1]. Universa historia christianismi clamat, hujusmodi syncretismum non exstitisse.

122 2⁰. Alii argumentum ex propagatione Christianismi labefactari dicunt, ex eo, quod etiam *aliae religiones aut sectae* amplam diffusionem obtinuerint: Buddhismus, Mithracismus, Mahumetismus, Protestantismus. Sed nulla datur aequalitas. Sane argumentum in favorem Christianismi petitur, non ex nudo propagationis facto, sed ex facto in suis adjunctis, ex eo scil. quod religio tam *difficilis et austera*, tot *obstaculis praepedita*, et *nullis fere subsidiis naturalibus* suffulta, nihilominus tantam diffusionem obtinuerit.

Buddhismus **a.** nullum mysterium, imo nullam doctrinam theoreticam, ratam scil. ac fixam habet; sed Buddhismus

[1] Cfr. supra n⁰. **74a**. Diffusionem christianismi per syncretismum explicari contendit imprimis A. HARNACK, in libro *Die Mission*, cet.

popularis, qui solus late diffusus est, sese cunctis superstitionibus popularibus accommodabat, cultum deorum nationalium sub nomine Devas sibi incorporabat. **b.** Doctrinam suam moralem, in praeceptis particularibus imprimis negativis saepe valde puram, tradebat non ut divinitus obligatoriam, sed ut humanitus commendabilem. Nec mores sociales immutare gestiebat, nec polygamiam ac divortium prohibuit. **c.** Originem habuit a filio principis (Siddhartha, Câkya-Moeni, Gautama, Buddha) et statim ab initio praedicata fuit a viris ad superiores societatis classes pertinentibus. **d.** Nullam persecutionem sustinere debuit; falsa enim sunt, quae de persecutionibus Buddhismi nonnumquam narrantur. **e.** Contra semper potestatem saecularem fautricem ac propagatricem habuit; quinimo diffusionem alicujus momenti non obtinuit, antequam cura et studio, non vi armata, regis Acoka († 222 a. C.; igitur saltem 150, probabilius 250 annos post mortem Buddhae) propagaretur[1].

[1] Cfr. BROGLIE, *Problèmes et conclusions de l'histoire des religions*, 1913, p. 220 (par L. DE LA VALLÉE POUSSIN); JOS. DAHLMANN, *Buddha*, 1898; O. MAAS, *Der Buddhismus in alten und neuen Tagen*, 1913; A. ROUSSEL, *Le Boeddhisme primitif*, 1912; DR. E. HARDY, *Der Buddhismus nach älteren Pali-Werken*, ed. 2ª, 1919; *Der Kath.*, 1913, I, p. 165, 276, 415, II, 90 et 217. — Adjungere liceat Buddhismum cultoribus suis minime profuisse; E. VON HARTMANN: „Dieser Indifferentismus hat die zum Buddhismus bekehrten Völker, wie ein täglicher Opium-Genuss narcotisch eingelullt, hat ihre Tathkraft quietistisch gebrochen und jede Regung gesteigerten Kulturbedürfnisse durch seine Verachtung von Wissenschaft, Kunst und materiellen Gedeihen gelähmt; so hat er diesen Völkern ihre gesunden Instinkte unterbunden, sie aus den lebendigen Process der Geschichte ausgeschaltet, sie gewaltsam in träumerischer Unwissenheit erhalten und dadurch den unfehlbaren Keim zum Verfall auch des religiösen Lebens gepflanzt". *Das relig. Bewusstsein der Menschheit*, p. 347 (apud GUTBERLET, *Apol.* II² p. 61).

Cultum Mithrae s. II et III p. C. late et celeriter propagatum esse per provincias occidentales imperii romani, ostendit imprimis Cumont [1]. At **a.** Mithracismus non erat exclusivus; sese accommodabat, imo intime permiscebat aliis religionibus per provincias jam exsistentibus. Praeterea affinis erat cultui deorum phrygiorum (Cybele = magna mater, Attis), quem proceres romani jam antea publice permiserant. **b.** Mithracismo romano, cujus substantia erat cultus Solis invicti, favebat primo philosophia illius temporis, quae ét corpora coelestia animata ac divina aestimabat ét multitudinem deorum sub uno quodam supremo numine recapitulare studebat (quod fere faciebat Mithracismus, Solem invictum cunctis diis praeferens). Favebant praeterea rationes politicae; quum enim inde praesertim ab Heliogabalo imperatores habebantur emanationes Solis, imo „consubstantivi Soli", cultus Mithrae cultum imperatorum includebat et ita absolutismo caesareo gratissimus erat. Hinc **c.** imprimis imperatores ac duces militares Mithracismum propagabant[2]. Denique **d.** quamprimum poenis reprimatur, interiit[3].

Religio Mahumetis **a.** libidini aliisque cupiditatibus multum favebat, et praeterea **b.** armis et violentia potissimum dilatata est. Quamdiu enim Mahumet persuasione tantum utebatur, satis parum profecit[4].

Protestantismus **a.** nihil aliud erat quam transitus a religione difficiliori ad doctrinam et praxim sub omni fere respectu

---

[1] *Les Mystères de Mythra*, 1900. — [2] HARNACK, *Mission*[1], p. 536; „Die Kaiser und das Militär haben ihn gestützt und ihm dadurch auch Bedeutung für weitere Kreise verliehen". — [3] Cfr. *Stimmen*, 1907, tom. 72, p. 39-41. — [4] B. CARRA DE VAUX, *La doctrine de l'Islam*, 1909; H. LAMMENS, *L' Islam : Croyances et institutions*, 1926; JOS. HUBY, *o. c.* p. 541.

laxiorem; non enim conversione ethnicorum, sed defectione catholicorum invaluit[1]. Deinde **b.** celeris ejus propagatio magna parte debetur malis cupiditatibus et rationibus politicis[2]. Ceterum **c.** Protestantismus post dimidium fere saeculum rapidae propagationis, sedatis paulatim turbis, ita constitit, ut magnos progressus amplius non fecerit.

PROP. 2. **Perennis religionis christiano-catholicae conservatio, consideratis omnibus adjunctis, miraculum in ordine morali dicenda est.** 123

I. **Factum perpetuae conservationis** religionis et ecclesiae catholicae sua luce manifestum est; sed observa, *qualis* sit illa vicies saecularis ecclesiae stabilitas. Aliud est, institutum, in angulo terrae quasi absconditum, languidam sine flore et vigore exsistentiam diu producere; aliud omnino religionem, latissime per orbem diffusam, in mediis ingeniorum concertationibus positam, quibuslibet socialis vitae evolutionibus

[1] Protestantismo, et generatim cuilibet sectae christianae, applicatur illud, quo TERTULLIANUS, haereticos sui temporis perstringebat: „Hoc negotium illis, non ethnicos convertendi sed nostros evertendi. Hanc magis gloriam captant, si stantibus ruinam, non si jacentibus elevationem operentur, quoniam et ipsum opus eorum non de suo proprio aedificio venit, sed de veritatis destructione. Nostra suffodiunt, ut sua aedificent" (*De Praescript.* c. 42). Revera nulla aut fere nulla gens est, etiam ex iis, quae nunc haeresim aut schisma sectentur, quae Evangelium ab haereticis aut schismaticis primo accepit. Cfr. WILMERS, *De Rel. Revel.* no. 640. — [2] Scribunt e. g. BROCHMANN, (pastor reformatus): „Dr. Luther gab den Fürsten die Stifter, den Priestern gab er die Weiber, dem gemeinen Manne die Freiheit, und das that viel zur Sache". Et FRIDERICUS MAGNUS: „Si on veut réduire les causes du progrès de la réforme à des principes simples, on verra qu'en Allemagne ce fut l'ouvrage de l'intérêt, en Angleterre celui de l'amour et en France celui de la nouveauté" (Apud LIEBERMANN, I[10], p. 370).

immixtam, ét actuosam semper protendere vitam, ét continuis augmentis succrescere. Hanc, non illam, stabilitatem ecclesiae catholicae propriam esse, quum satis notum sit, in sequentibus supponimus.

124 II. **Perennem religionis catholicae stabilitatem naturaliter explicari non posse,** iterum conficitur considerando *magnitudinem periculorum* continuo imminentium, et naturalium *auxiliorum imparitatem*.

1°. *Gravissima pericula* quovis saeculo ecclesiae et religioni catholicae ruinam minabantur.

a. Periculum continuum oritur *ex diversitate gentium*, quas religio catholica in sinu suo congregat. Particularismus nationalis et mutua gentium aversio efficiunt, ut plures populi difficulter in una societate colligantur, difficilius retineantur. Difficultas crescit quo major est numerus gentium unitarum, et quo magis inter se distant indole, cultura, moribus, cet. Hinc omnia multarum gentium imperia non nisi vi armorum condita fuere, et mox interierunt. Hinc omnes aliae religiones et sectae plus minusve nationales fuere. Jam religio catholica prima sua diffusione multas undique gentes in unum collegit, et saeculorum decursu semper plures sibi aggregavit. Ergo experiri semper debuit, et revera, historia teste, semper experta est praesentissima pericula ex tanta populorum diversitate naturaliter oriunda. Periculum non parum auxerunt reges et principes: sive catholici, qui saepissime etiam in sacra dominationem suam extendere tentarunt, sive acatholici, qui „ultramontanismum" incolumitati politicae obesse aut putabunt, aut praetendebant. Et adverte, haud imminui, sed potius crescere discrimen ex eo, quod plerumque non tota natio, sed pars tantum nationis religionem catholicam profitetur.

b. Aliud periculum, seu potius periculorum seriem vix interruptam habes *ex acerrimis impugnationibus, aliisque cala-*

mitatibus, quibus religio catholica semper impetita fuit. Potiora paucis perstringimus. Crudelissimas primorum saeculorum *persecutiones* exceperunt *philosophia neoplatonica*, plurium haereseon mater, et *magnae* illae *haereses*, quibus imperatores byzantini saepius impense favebant: Arianismus, Nestorianismus, Monophysitismus, Pelagianismus. Interim *gentes barbarae*, partim gentiles partim arianae, Europam inundantes, romanum imperium sustulerant, et omnibus, quae ecclesia jam aedificaverat, interitum minabantur. Illucescente medio aevo, rei christianae imminere coepit ab extra quidem ferocissimus hostis *Mahumetismus*, ab intra imminuerunt tum *caesaropapismus* christianorum principum, (qui in oriente magnum *schisma Graecorum*, in occidente *colluctationem de episcoporum investitura* peperit), tum pessimi furfuris *haeresis Albigensium* et *Catharorum*. Mox successit tristissima illa calamitas *schismatis occidentalis*. Finito medio aevo surrexit *Protestantismus*, qui nihil fere catholicum reliquit intactum; deinde succedente tempore secuti sunt *Jansenismus*, *Gallicanismus*, *Josephinismus*, *revolutio gallica*, potissimum vero *rationalismus*, *liberalismus* et *modernismus*, quibus nihil umquam ecclesiae, omnique religioni revelatae infensius exstitit. His adde pericula intestina, et omnium gravissima, ex corruptis ipsius cleri moribus religioni huc illuc saepius ingruentia. Quae omnia si paulo penitius consideraveris, intelleges, haud sine causa scripsisse auctorem quendam e nostratibus acatholicum: disquisitionis historicae summa est, ecclesiam continuo in iis versatam esse adjunctis, ex quibus humana sapientia ominari debuerit: proxime instat finis [1].

[1] DR. R. PIERSON, *Geschiedenis v. h. Roomsch-Katholicisme*, enz. IV, p. 330: „Als algemeene uitkomst van het historisch onderzoek mag men wel zeggen: de Kerk heeft voortdurend in een toestand verkeerd, waarvan de menschelijke wijsheid prognosticeeren moest: zóó kan het geen veertien dagen meer duren".

Nihilominus finis ille, tam ardenter undique expetitus et toties praedictus, post novemdecim saecula nec venit, nec ullatenus imminere cernitur[1]. Certe! religio catholica, calamitatibus pressa, alte saepe ingemuit, jacturam multorum filiorum, imo integrarum gentium non raro deploravit; sed nihilominus ipso certamine putata, vegetior semper e pugna prodiit, jacturasque suas alibi cum foenore resarcivit, pereuntibus interim aut languentibus adversariis!

125 2°. *Arma* quaeris *et subsidia*, quibus religio catholica tot hostes superavit, tantas calamitates semper juvenescens super-

[1] Pulcherrima sunt, quae a. 1840 scripsit MACAULEY, auctor protestans, *Critical and historical Essays*, [Ed. Tauchnitz] IV, p. 98: „There is not, and there never was on this earth, a work of human policy, so well deserving of examination as the roman catholic church. The history of that church joins together the two great ages of human civilization. No other institution is left standing which carries the mind back to the times when the smoke of sacrifice rose from the Pantheon, and when camelopards and tigers bounded in the Flavian amphitheatre. The proudest royal houses are but of yesterday, when compared with the line of the Supreme Pontiffs. That line we trace back in an unbroken series, from the Pope who crowned Napoleon in the nineteenth century, to the Pope who crowned Pepin in the eighth; and far beyond the time of Pepin the august dynasty extends, till it is lost in the twilight of fable. The republic of Venice came next in antiquity. But the republic of Venice was modern, when compared with the Papacy; and the republic of Venice is gone, and the Papacy remains. The papacy remains, not in decay, not a mere antique, but full of life, and youthful vigour. The catholic Church is still sending forth to the forthest ends of the world missionaries as zealous as those who landed in Kent with Augustin, and still confronting hostile kings, with the same spirit, with which she confronted Attila. The number of her children is greater than in any former age. Her acquisitions in the new world have more

vixit? Utique ecclesia media naturalia, eruditionis et persuasionis, minime neglexit. At quum ipsa honestis tantum mediis uti potuit, adversarii praeterea utebantur fraudibus, calumniis, mendaciis, corruptione, cujuslibet generis insidiis ac machinationibus, quae ad seducendos homines efficacissimae esse solent. Principes saeculares persaepe aut ipsi ecclesiam insectabantur, aut adversariis ejus favebant; ubi vero ex parte ecclesiae stabant, in multis casibus ejus libertatem haud parum restringebant, ita ut eorum protectio, quantum ab una parte

---

than compensated her for what she has lost in the old... Nor do we see any sign, which indicates that the term of her long dominion is approaching. She saw the commencement of all the governments and of all the ecclesiastical establishments, that now exist in the world; and we feel no assurance that she is not destined to see the end of them all. She was great and respected before the Saxon had set foot on Britain, before the Frank had passed the Rhine, when Grecian eloquence still flourished in Antioch, when idols were still worshipped in the temple of Mecca. And she may still exist in undiminished vigour when some traveller from New Zealand shall, in the midst of a vast solitude, take his stand on a broken arch of London-Bridge to sketch the ruins of St. Paul's. — We often hear it said, that the world is constantly becoming more and more enlightened, and that his enlightening must be favourable to Protestantism, and unfavourable to Catholicism. We wish that we could think so. But we see great reason to doubt whether this be a well-founded expectation. We see that during the last 250 years the human mind has been in the highest degree active, that it has made great advances. Yet we see that, during these 250 years, Protestantism had made no conquests worth speaking of. Nay, we believe that, as far as there has been a change, that change has, on the whole, been in favour of the Church of Rome. We cannot, therefore, feel confident that progress of knowledge will necessarily be fatal to a system which has, to say the least, stood its ground in spite of the immense progress made bij the human race in knowledge since the days of queen Elisabeth."

proderat, tantum et amplius ab alia parte noceret. Unde generatim dicere possumus, adversarios armis subsidiisque naturalibus fere semper ecclesiae praevaluisse, imo ecclesiam persaepe plane inermem fuisse, sola patientia fortem. Hinc jam s. HILARIUS: „Hoc ecclesiae proprium est, ut tunc vincat cum laeditur, tunc intellegatur cum arguitur, tunc obtineat cum deseritur"[1].

126 *Conclusio.* Igitur sicut prima diffusio, ita et perpetua religionis catholicae conservatio est effectus, qui per solas causas visibiles et naturales minime explicatur; unde nisi effectum sine causa proportionata admittere quis velit, concedendum erit, perennem ecclesiae stabilitatem maxima parte deberi speciali auxilio Dei, quo plurimos semper homines ubique terrarum efficaciter inclinavit, et inclinare continuo pergit ad obediendum fidei. Et ita universa religionis catholicae historia ostendit, quam merito sub ipsis rei christianae primordiis, sapiens GAMALIEL dixerit: „Sinite illos [apostolos], quoniam si est ex hominibus consilium hoc aut opus, dissolvetur, si vero ex Deo est, non poteritis dissolvere illud"[2].

127 **Scholion.** *Difficultatibus satisfit.* — 1°. Sunt qui dicant, religionem catholicam *naturaliter conservari* per principium auctoritatis, quod in ea semper plurimum valuit. — Concedo, medium proximum, quo ecclesia conservatur, esse principium auctoritatis, i.e. auctoritatem praesulum una cum correspondenti fidelium obedientia. Nihil enim ad conservandam religionem valeret moderamen pastorum, nisi fideles se ei subjicerent. At ipsa haec obedientia, qua semper plurimi homines ubique terrarum onus fidei libere ét suscipiunt, ét continuo portare pergunt, absque speciali motione Dei explicari nequit.

---

[1] *De Trin.* VII, 4. — [2] *Act.* 5, 38-39.

2°. Objiciunt, etiam *alias religiones diu conservari*, v. g. Buddhismum, Mahumetismum, quasdam sectas christianas in oriente. — Sed multiplex intercedit differentia. Superstitiones enim illae neque tam ardua officia imponunt, neque tantam unitatem exhibent, neque in tot diversos populos diffunduntur, neque novas acquisitiones faciunt, neque ingeniorum concertationibus immixtae sunt [1], neque multum impugnantur. Nihilominus languescunt, et fere cadaverum arte conditorum more conservantur. Paulo aliter judicandum est de Judaismo hodierno. Gens judaica, quae sua culpa Legi abrogatae adhaeret, populis immixta sed non permixta divinae providentiae consilio conservatur in propriam ipsius contumeliam, et in argumentum perpetuum religionis christianae[2]. Ceterum etsi judaei ingenio, callididate, opibus multum valent, Judaismus, ut religio est, nullum influxum exercet.

---

[1] DE MAISTRE: „Toutes les églises, separées du s. Siège au commencement du XII siècle, peuvent être comparées à des cadavres gélés, dont le froid a conservé les formes. Ce froid est l'ignorance. Mais dès que le vent de la science, qui est chaud, viendra à souffler sur ces églises, il arrivera ce qui doit arriver selon les lois de la nature: les formes antiques se dissoudront et il ne restera que la poussière (*Du Pape*, IV, 2). — [2] Audiatur s. AUGUSTINUS: „Dispersi sunt per omnes gentes, nusquam habentes stabilitatem, nusquam certam sedem. Propterea autem adhuc Judaei sunt, ut libros nostros portent ad confusionem suam. Quando enim volumus ostendere prophetatum Christum, proferimus paganis istas litteras. Et ne forte dicant duri ad fidem, quia nos illas christiani composuimus, . et cum Evangelio, quod praedicamus, finxerimus prophetas, hinc eos convincimus, quia omnes ipsae litterae, quibus Christus prophetatus est, apud Judaeos sunt. Proferimus codices ab inimicis, ut confundamus alios inimicos. Codicem portat Judaeus, unde credat Christianus. Librarii nostri facti sunt, quomodo solent servi post dominos codices ferre, ut illi portando deficiant, illi legendo proficiant" (*In Ps. 56*, no. 9).

Art. III.

DIVINITAS RELIGIONIS CHRISTIANO-CATHOLICAE PROBATUR MIRABILI, QUEM SEMPER PRODUXIT, SANCTITATIS FRUCTU.

128 Praesentis *Art.* argumentum ita contrahi potest. Religio christiano-catholica tantum produxit sanctitatis fructum, quantum media mere naturalia producere nequeunt, qui proinde magna ex parte divinae in hominum animos operationi attribui debet. Atqui Deus ita mirifice foecundando religionem catholicam, illam manifeste commendat; commendare autem religionem, divinam originem falso pretendentem, Deus non potest.

Quae omnia per se patent, dummodo probatum fuerit, religionem christiano-catholicam revera talem sanctitatis fructum producere, qualem absque singulari auxilio Dei maturare nequiret, seu, quod idem est, qui sit miraculum in ordine morali. Sic igitur:

129 PROP. **Fructus sanctitatis, quem religio christiano-catholica producit, miraculum in ordine morali dicendus est.**

Ostendere debemus 1^0. ingentem fructum revera affuisse, et 2^0. eum naturaliter explicari non posse.

I. **Christianismus ingentem sanctitatis fructum protulit**[1].

1^0. *In ordine intellectuali*, etenim omnes gentes ad quas pervenit sana doctrina, theoretica et practica, de Deo rebus-

[1] Mores christianorum ab initio usque ad tempus Hadriani sobrie quidem sed generatim bene describit auctor acatholicus E. v. DOBSCHÜTZ, *Die Urchristlichen Gemeinde, Sittengeschichtliche Bilder*, 1902.

que divinis [1] implevit. Et recollige quod, solis Judaeis exceptis, cunctae gentes, antequam ad eas religio christiana perveniret, turpissime in hac materia errabant. Cfr. n⁰ 25.

2⁰. *In ordine morali*, ubicumque enim radices fixit, vere magnam morum emendationem induxit.

Rem, pro primis christianismi temporibus [2], testantur scriptores tum christiani, tum exteri.

Quoad *Judaeos conversos*, habes *Act.* 2, 42-47; 4, 32-35.

Quoad *Gentiles conversos*, habes testes christianos:

S. CLEMENS ROM. scribens ad corinthios: „Quis apud vos diversatus, virtute omni plenam firmamque ac stabilem fidem vestram non probavit? sobriamque et moderatam in Christo pietatem non est admiratus? splendidos ac liberales hospitalitatis vestrae mores non praedicavit?" [3]

ARISTIDES in apol. ad Antoninum Pium: „Christiani habent mandata [Dei] scripta in cordibus suis et observant ea exspectantes saeculum futurum. Ideo adulterium aut fornicationem non committunt, falsum testimonium non dicunt, depositum reddere non detrectant, bona aliena non concupiscunt, patrem et matrem honorant, proximos diligunt, juste judicant. Qui eos injuria afficiunt et alloquuntur et amicos sibi reddunt, inimicis benefacere student. Eorum uxores castae sunt ut virgines, filiae modestae, viri ab illicito concubitu, omnique impudicitia abstinentes. Mandata Christi sui cum magna diligentia custodiunt, caste et juste viventes, sicut dominus Deus eorum iis praecepit" [4].

S. JUSTINUS: „Qui olim stupris gaudebamus, nunc casti-

[1] Cognitionem intellegimus religionis naturalis. — [2] Quanta morum corruptela ante ortum christianismi inter ethnicos viguerit, maxime in romano imperio, satis notum est. Cfr. A. M. WEISZ, *Apologie d. Christenthums*, III, Ier Vortrag: *Das Ende der alten Welt.* — [3] *I Ep. ad Cor.* 1, 2. — [4] *Apol.* c. 15; BARDENHEWER, *Alt-kirchl. Litt.*, I, p. 178.

moniam unice amplectimur; qui magicis etiam artibus utebamur, bono et ingenito nos consecravimus Deo; qui pecuniarum et possessionum vias omnibus antiquiores habebamus, nunc etiam ea quae possidemus in commune conferimus, et cum indigentibus quibusque communicamus. Qui mutuis odiis et caedibus pugnabamus et cum iis, qui tribules nostri non essent, communem focum ob diversa instituta non habebamus, nunc postquam Christus apparuit, convictores sumus et pro inimicis oramus; et qui nos iniquis odiis persequuntur, eos suadendo flectere conamur. Multi quidem ac multae annos sexaginta et septuaginta nati, qui a pueris Christi disciplina imbuti sunt, incorrupti perseverant; talesque in omni hominum genere monstraturum me profiteor"[1].

ATHENAGORAS (c. 177): „Apud nos homines reperiatis rudes, manuarios artifices et aniculas, si minus verbis suis utilitatem studii sui exhibere queant, operibus eandem, quae ex professione sua exoritur, praestant. Neque enim orationes compositas animo volvunt et memoria tenent, sed actiones honestas praebent, dum percussi verbera non regerunt, spoliati non accusant, petentibus largiuntur, proximos quosque tamquam se ipsos amant"[2].

TERTULLIANUS: „De vestris [paganis] semper aestuat carcer, de vestris semper metalla suspirant, de vestris semper bestiae saginantur, de vestris semper munerarii noxiorum greges pascunt. Nemo illic christianus, nisi plane tantum christianus [= ob solam fidem suam damnatus], aut si et aliud, jam non christianus"[3]. Alibi dicit, christianos „non aliunde [esse] noscibiles, quam de emendatione vitiorum pristinorum"[4].

ORIGENES perpendendum dicit, „quantis injustitiis, quantis cupiditatibus dediti [christiani] ante [conversionem] fuerint",

---

[1] *Apol.* I, 14-15. — [2] *Legat. pro christ.* 11. — [3] Apol. 44, n° 148, cfr. 39, n° 130-133. — [4] *Ad Scap.* 2.

et, „quanto, ex quo illi doctrinae se dociles praebuerunt, aequiores, graviores, constantiores sint redditi, ut eorum quidam, cum eximiae puritatis amore tum quo castius ad cultum divinum accedant, venereis voluptatibus etiam lege permissis abstineant" [1]. — Alibi scribit: „Ecclesiae Dei a Christo edoctae, si cum populorum conciliis quibuscum habitant comparentur, in mundo tamquam lumina sunt. Ecquis enim non fateatur, eos, qui in ecclesia deteriores sunt et in meliorum comparatione pejores, praestantiores esse multum iis, qui in popularibus coetibus vivunt" [2].

S. DIONYSIUS ALEX. narrat, quanta caritate tempore morbi contagiosi christiani aegrotis inservierint et sepelierint mortuos, „cum superstites semper eorum qui praecesserant vestigiis insisterent. Gentiles vero prorsus contraria his egerunt", ab aegrotis etiam carissimis aufugientes et mortuos insepultos projicientes [3].

EUSEBIUS: Nec Persae, qui semel ejus [Christi] disciplinae nomen dederunt, nuptias amplius cum matribus ineunt; nec Scythae humana jam carne pascuntur; nec alia barbarorum genera incesto filiarum ac sororum concubitu polluuntur, nec ad mares furioso libidinis aestu mares ipsi rapiuntur, nec ceteras, quae naturae leges violant, corporis voluptates persequuntur" [4].

Habes insuper testes exteros:

PLINIUS SECUNDUS: „Affirmabant autem [christiani], hanc fuisse summam vel culpae suae vel erroris, quod essent soliti stato die ante lucem convenire, carmenque Christo quasi Deo dicere secum invicem, seque sacramento non in scelus aliquod obstringere, sed ne furta, ne latrocinia, ne adulteria committerent, ne fidem fallerent, ne depositum appellati abnegarent" [5].

[1] C. *Celsum*, 1, 26. — [2] L. c. 3, 29. — [3] Apud EUSEB. *H. E.* 7, 22. — [4] *Praep. evang.* 1, 4. — [5] *Epp.* l. X, 97, *ad Trajanum*.

GALENUS, medicus et philosophus paganus († c. 200): „Hominum plerique orationem demonstrativam continuam mente assequi nequeunt, quare indigent ut instituantur parabolis. Veluti nostro tempore videmus, homines illos qui christiani vocantur, fidem suam e parabolis petiisse. Hi tamen interdum talia faciunt, qualia qui vere philosophantur. Nam quod mortem contemnunt, id quidem omnes ante oculos habemus; item quod verecundia quadam ducti ab usu rerum venerearum abhorrent. Sunt enim inter eos feminae et viri, qui per totam vitam a concubitu abstinuerint. Sunt etiam, qui in animis regendis coercendisque et in acerrimo honestatis studio eo progressi sunt, ut nihil cedant vere philosophantibus" [1].

JULIANUS APOSTATA, ad Arsacium idolorum sacerdotem scribens: „Non attendimus, quid christianorum religionem potissimum auxerit: humanitas scil. in peregrinos, et in sepeliendis mortuis sollicita diligentia, et simulata morum gravitas. Quorum singula vere a nobis exercenda esse existimo. Turpe fuerit, ex Juda quidem neminem mendicare, impios vero Galilaeos praeter suos pauperes etiam nostros alere, nostros autem mendicos nostra ope ac subsidio destitutos videri" [2].

Quod autem primis saeculis accidit, id etiam subsequentibus temporibus evenit, ut scil. quotiescumque aliqua gens ad religionem christiano catholicam converteretur, insignis morum emendatio sequeretur. Res constat ex historia singulorum populorum christianorum, atque ex historia missionum.

3°. *In ordine sociali*; paulatim etenim religio christiana suo influxu *familiam* instauravit, matrimonii unitatem et indisso-

---

[1] Locus desumptus videtur ex opusc. *De sententiis politiae platonicae*, cfr. *Zeits. f. k. Theol.*, 1899, p. 569. Testimonium LUCIANI, *In morte peregrini*, habes apud OTTIGER, *Theol. fundam.* I, p. 862 et 874. — [2] Apud SOZOMENUM, *H. E.* 5, 16.

lubilitatem, uxorum dignitatem [1], filiorum jura inculcando; *servitutem* primum temperavit, deinde abolevit [2]; ipsamque *societatem civilem* renovavit: libertatem, caritatem, jus gentium promovendo [3].

4°. Fructum autem sanctitatis, quem religio christiana ubique 130
terrarum in populis recenter conversis produxit, *indesinenter postea per orbem conservavit* seu, quod idem est, producere jugiter pergebat et pergit.

Sane numquam cessavit gentes sibi subditas veritate religiosa imbuere, numquam passa est doctrinam religionis, sive theoreticam sive practicam, imminui aut obscurari, sed omnes errores a quocumque demum spargerentur semper impugnavit, et a suis asseclis propulsavit. Iterum quovis saeculo

---

[1] G. D'AZAMBUJA, *Ce que le Christianisme a fait pour la femme*, (Coll. *Science et Religion*, no. 64). — [2] A. STEINMAN, *Die Sklavenfrage in der alten Kirche*, 1910; P. ALLARD, *Les esclaves chrétiens depuis les premiers temps de l'Église*, Ed. 5, 1912; PASCHASIUS VAN MEERVELDHOVEN, *Historisch-apologetische schets der slavernij*, 1913. — [3] Legatur v. g. TANQUEREY, *De vera relig.* n°. 155 seq.; VAN OPPENRAAY, *Apologie des Christendoms*, Hoofdst. V; SCHANZ, *Apol.* III[3] § 15; F. HETTINGER—MÜLLER, *Apologie des Christentums*, Aufl. 9, *Kirche und Bildung*, V, p. 176-462. Ipse v. HELLWALD, nomini christiano satis infensus: „Unparteiische räumen indes ein, dass trotzdem [trots seiner spätern Entartung in wärmeren Himmelstrichen] das Christentum selbst noch unter den Alten Anschauungen gezeitigt hat, die nach modernen Begriffen höher genannt zu werden pflegen, wie z. B. in Bezug auf Geburtsabtreibung, Kindermord, Aussetzen der Kinder, Selbstmord; es trug endlich bei zur Unterdrückung der Gladiatorenspiele, erweckte Widerwillen gegen Todesstrafe und einen ausgedehnten Sinn für die Wohltätigkeit, dem klassischen Altertum durchaus fremd. Ueberhaupt ist die Humanität eine fast ausschliessliche Errungenschaft der christlichen Epochen" (*Kulturgesch.* 1875, p. 435, apud SCHANZ, l.c., p. 642).

innumeros ubique terrarum homines ad serium et continuum virtutis studium, atque ad vitam vere honestam erudivit [1]. Nec umquam ei defuerunt, qui heroica sanctitate fulgerent, quin potius semper et in omni gente conspicua fuit toto agmine virorum atque mulierum, qui consilia evangelica profitentes, sese Dei et proximorum servitio totos devoverent. Similiter quovis saeculo martyres suos, eosque saepe bene multos, habuit (de quibus infra).

Proh dolor, negare non possumus quibusdam temporibus mores populi, ipsiusque cleri catholici, misere deturpatos hic illic fuisse; sed observa, **a.** etiam tunc in mediis zizaniis minime defuisse triticum; **b.** religionem in una regione collapsam, alibi floruisse; **c.** ipsas gentes depravatas saepe, agente ecclesia, ad meliorem frugem paulatim rediisse.

Neque putes, ea quae supra enumeravimus, magna saltem parte etiam christianis applicari posse; nam **a.** quum nulla fere gens exsistat, quae Evangelium primum ab aliqua secta acceperit, mirabilis illa morum emendatio, quae advectionem religionis christianae ubique terrarum subsecuta est, soli ecclesiae catholicae debetur. **b.** Nulla datur secta haeretica aut schismatica, cujus ortus notabili morum emendatione

---

[1] ANNA DE SAVORNIN LOHMAN: „In Oost- en West-Indiën, in de R.K. Rijnprovincie heb ik van zeer nabij het voorbeeldig leven gezien van R.K. zendelingen en pastoors, en 't groote nut, verricht door nonnen als onderwijzeressen, als ziekenverpleegsters, enz. Niet ik alleen, mannen en vrouwen die in ons vaderland, hetzij uit onwetendheid hetzij uit nietdurven, den R.K. Godsdienst schouderophalend bespotten, heb ik dáár te midden van melaatschen en verachte zwarten, van stervensvrees en eenzaamheid met beschaming hooren erkennen, hoe de R.K. ontferming alle andere te boven gaat." (*De Tijd*, 1902, 28 Nov. n°. 16805; cfr. 1907, 6 Maart, n°. 18097); J. FERCHAT, *Apologie du Christianisme par la loi de partage des habitudes morales*, in *Rev. prat. d'apol.* tom. 13, p. 675, seq.

nobilitatus fuit; contrarium vero saepius accidit, ut v. g. in pseudo-Reformatione, de cujus fructu ipse LUTHERUS dixit: „Sunt nunc homines magis vindictae cupidi, magis avari, magis ab omni misericordia remoti, magis immodesti et indisciplinati, multoque deteriores, quam fuerunt in papatu" [1].

c. Nulla secta, sicut ecclesia catholica, plurimos eximiae et heroicae sanctitatis viros, plurimos martyres produxit. Indubium igitur est, *solam* religionem christiano-catholicam *ingentem et mirabilem* sanctitatis fructum maturasse [2].

---

[1] *Postilla in Evang. Dom.* I *Adv.* Eodem fere modo loquuntur Melanchton et Erasmus, uti videre est apud DE GROOT, *Summa Apolog.*[3], q. 7, a. 1. p. 223; cfr. V. HAMMERSTEIN, *Kathol. u. Protest.* p. 65. — [2] Quae supra animadvertimus ad argumentum nostrum, quod ex *ingenti* sanctitatis fructu petitur, sufficiunt. Ceterum ne quis putet argumentum, sin minus aliquatenus tamen infirmari ex eo, quod etiam inter sectarum asseclas sat multi vitam vere christianam ducant, haec addimus. 1°. Societates ab ecclesia deficientes plura sanctitatis subsidia, a religione catholica accepta, retinuerunt, de quibus mirum non est, quod fructus suos producant in iis praesertim, qui bona fide errant. Deinde 2°. praetereundum non est, sectarum asseclas, utut ab ecclesia separatos, salutarem religionis catholicae influxum, etiam nolentes, jugiter adhuc subire, quum praedicatione et exemplo catholicorum continuo stimulentur ad aemulationem. Duplici igitur titulo sectae religioni catholicae debitrices exsistunt, tum propter ea, quae discedentes secum abstulerunt, tum propter quotidianum influxum indirectum. Et ita diminutus ille sanctitatis fructus, qui in societatibus separatis invenitur, non ipsis sectis sed ecclesiae catholicae, etiam extra proprios suos fines influenti, adscribendus est — Idem, servata proportione, de modernis rationalistis judicandum est, et ipsi enim in societate christiana enutriti, et christianis immixti, de ubertate religionis catholicae multum adhuc participant. Jam quis ita desipiet, ut virtutem fructiferam arboris minoris aestimet ex eo, quod rami abscissi totaliter steriles non sint! Cfr. *Rech. de sc. relig.* 1922, p. 1.

131 II. **Fructum sanctitatis, quem religio catholica producit, naturaliter explicari non posse,** patet:

1⁰. Ex iis, quae supra (n⁰ 23) de necessitate revelationis diximus. Etenim si gentes ad congruam in materia religionis cognitionem erudire, naturaliter impossibile est impossibilitate morali, et nihilominus religio catholica orbem illa cognitione copiose replevit, manifestum est, eam opus perfecisse ad quod vires naturales non sufficiunt.

2⁰. Ex eo, quod nulla alia religio, nulla philosophia, uno verbo nullum institutum mere humanum umquam maturavit emendationem morum, quae vel a longinquo comparari possit, sive quoad latitudinem, sive quoad profunditatem, sive quoad durationem, cum illa emendatione quam religio catholica induxit et conservat. Quod enim media humana numquam et nullibi praestiterunt, id humanitus impossibile, moraliter loquendo, dicendum est. Ceterum moralem hujusmodi amelio-rationis impossibilitatem nemo infitiabitur, qui consideraverit, quam arduum sit vel unum hominem corruptum ad meliorem frugem reducere.

Conclusio. Merito igitur renovationi, quam christianismus in mundo morali effecit, applicatur illud Psalmistae: „A Domino factum est istud, et est mirabile in oculis nostris" [1].

Art. IV.

DIVINITAS RELIGIONIS CHRISTIANO-CATHOLICAE PROBATUR MIRABILI SUORUM MARTYRUM CONSTANTIA.

132 Martyres (*μάρτυς* = testis) hoc loco vocamus eos, qui

[1] *Ps.* 117, 23.

veritatem suae religionis testati sunt, non quomodocumque, sed mortem violentam pro ea patienter tolerando [1].

Argumentum hujus *Art.* ita procedit. Deus, si homines pro veritate religionis catholicae tormenta et mortem subeuntes speciali auxilio sustinuit, veritatem ac proinde etiam divinitatem illius religionis evidenter attestatus est. Atqui Deus supernaturali influxu martyres sustinuisse dicendus est, si eorum constantia tanta fuit, ut naturaliter explicari nequeat, i. e. ut miraculum in ordine morali habenda sit [2]. Hinc:

PROP. **Constantia christianorum martyrum, perpensis omnibus adjunctis, miraculum in ordine morali dicenda est.**

Ad probationem expendemus: 1^0. quanta fuit martyrum nostrorum constantia, ut inde 2^0. inferamus, eam per causas naturales explicari haud posse.

I. **Constantia martyrum revera stupenda est.** 133

Fortitudo in cruciatibus perferendis eo mirabilior est, quo plures sint, qui patiuntur; quo graviora tormenta sustineant, quo sublimiori modo ea ferant [3].

1^0. Religionis christiano-catholicae martyres *ingenti sunt numero*, imo potius innumerabiles.

Sub Nerone Romae „multitudo ingens" [4], sub Marco Aurelio „innumerabiles prope martyres per universum orbem" [5] passi sunt. Medio saeculo III S. CYPRIANUS dicebat, numerari non posse martyres christianos [5]. De persecutione Diocletiani

[1] Cfr. *Der Kath.* 1918, I, p. 205; E. HOCEDEZ, *Le concept de martyre*, in *Nouv. Rev. Theol.*, 1928, p. 81 et 198. — [2] *Rev. prat. d'apol.* tom. 4, p. 625, 7-8, p. 801 et p. 33; *Theol. prakt. Quarts.* (Linz), 1921, p. 211, 395 et 529. — [3] Cfr. P. ALLARD, *Dix leçons sur le martyre*, 1906; *Dict. Apolog. de la Foi Cath.*, in voce: *Martyre*. — [4] TACITUS, *Annal.* XV, 44. — EUSEBIUS, *H. E.*, 5, prooem. — [5] Ep. ad Fortunatum, *De Exhott. martyrii*, c. II; cfr. *Rev. prat. d'apol.*, 1916, tom. 22, p. 160.

scribit SULPICIUS SEVERUS, omnem ferme orbem s. martyrum sanguine infectum esse, nec ullis umquam bellis mundum magis exhaustum fuisse [1].

Neque post prima tria saecula, quae „epocham martyrum" constituunt, cessavit martyrium. Pauca speciminis gratia delibamus.

Saec. IV multa christianorum millia perierunt in persecutione persica, sub rege Sapore II[2]; saec. V. in Africa dira vandalorum persecutio saeviit [3]. Subsequentibus saeculis plurimi, qui gentibus barbaris Evangelium praedicabant, mortem pro Christo subierunt; vix ulla enim gens sine martyrum sanguine ad fidem conversa est. Accedunt, qui a Mahumetanis martyrium passi sunt, praesertim in Hispania [4]. Tempore Reformationis multos martyrium subiisse in Gallia [5], Germania,

---

[1] *Hist. Eccl.* II, 32. Sub finem saec. XVII DODWELL, asseruit, paucos tantum martyres in priscis illis persecutionibus occisos esse; Dodwellum refutarunt RUINART (*Acta Martyr.* Praef. § 2 et 2), et ZACCARIA, (*Racolta di dissertazioni;* Dissert. 42). Hodie nonnulli ponunt, saltem ante medium saec. III martyres non ita frequentes fuisse; contra quos cfr. ALLARD, *Dix leçons*, p. 134; in *Dict. Apol.*, III, col. 349. — Insuper quidam eruditi (Mommsen, Harnack, Max Conrat) contendunt, innumeros quidem christianos in imperio romano occisos esse, sed non religionis suae causa. Assertionem hanc refutatam invenies in *Stimmen*, 1898, tom. 55, p. 1 et 122; cfr. *Geschiedk. Bladen*, I, p. 416 et *Rev. August.* 1907, tom. 11, p. 30; *Rev. prat. d'apol.* tom. 10, p. 298. — [2] SOZOMENUS, *H. E.* II, 14 memorat 16,000 martyres *nominatim cognitos.* — [3] Cfr. VICTOR VITENSIS, *Hist. persec. vandal.* — [4] Cfr. LECLERQ, *Les Martyrs*, t. IV, Juifs, Sarrasins, Iconoclastes (1905). — [5] In conc. trid. card. de Lotharingia narravit, intra paucos menses plus quam 3000 religiosos in Gallia crudele martyrium subiisse, quia in obedientia s. Sedis persistere volebant. PALLAVICINI, *Hist. du Conc. de Trente*, l. XXIV, chap. 3, n° 7.

Hollandia, Suecia, Anglia [1], notissimum est [2]. Saec. XVII diuturna et dirissima persecutio obtinuit in Japonia [3]. Tempore perturbationis gallicae saec. XVIII plures inventi sunt viri et mulieres fortes, qui capite damnati sunt, quia juramentum et quidquid contra religionem et justitiam exigebatur, absque ulla haesitatione denegarunt[4]. Nostro demum tempore gloriosum martyrium subierunt omnino plurimi, sive missionarii sive indigenae [5]. in Asia apud Coreënses,[6] Sinenses [7], Annamitas [8]; in Africa apud Oegandinos [9], cet.

Igitur omni saeculo et in omnibus terrae partibus ecclesia catholica martyres habuit. Quorum si qualitates inquiras, invenies inter illos viros et mulieres, pueros, puellas, senes anusque decrepitos, nobiles et plebejos, eruditos, milites, rudes, dominos, servos et ancillas[10], uno verbo homines cujuslibet nationalitatis, aetatis, indolis, conditionis.

---

[1] Legatur e.g. SPILLMANN, *Die Englischen Märtyrer;* B. CAMM, *Lives of the english Martyrs;* cfr. Decr. (12 Febr. 1915) beat. seu decl. martyrii 257 Servorum Dei, in Hibernia, saec. XVI — XVII, *A.A.S.* 1915, p. 125. — [2] Cfr. *Dict Apol., l.c.* col. 393. — [3] Cfr. *Kirchenlexikon,* in voce: *Japan.* — [4] Legantur e.g. Decreta beatif. seu declarationis martyrii in *A.S.S.* 1916 tom. 40, p. 162, tom. 41, p. 398, et in *A.A.S.* 1916 tom. 8, p. 67 et 228. — [5] Cfr. CONST. KEMPF, *Die Heiligkeit der Kirche im 19. Jahrhundert,* 1914, ed. 4, p, 278-352. — [6] *Études,* 1925, tom. 185, p. 541. — [7] Pauca quaedam sed pulcherrima ex periodico: *Katholischen Missionen* collegit L. VON HAMMERSTEIN. *Katholicismus u. Protestantismus,* 1894, § 35, p. 406-429; cfr. LE BLANT, *Persécuteurs et Martyrs,* p. 343. — [8] HILARIUS WALTER, *Leben, Wirken und Leiden der 77 seligen Märtyrer von Annam und China,* 1903. — [9] Cfr. MGR. CARLO SALOTTI, *I martiri dell' Uganda,* 1921; *Études,* 1920, tom. 164, p. 5. — [10] Cfr. ALLARD, *Dix Leçons,* ch. 5. — Die 7 Julii 1867 Pius IX Beatorum catalogo adscripsit martyres: Antonium Coray, ejusque uxorem et Joannem, eorum filium 12 annos habentem; item Luciam Fleites, outogenariam. *Ned. Kath. St.,* 1900, n° 30; Decr. 14 Aug. 1912

134 2°. Martyres *gravissima supplicia* sustinuerunt [1].

Adhibebantur plerumque *exquisitae crudelitatis* tormenta. Tyranni recentiores non minus crudeliter saeviunt quam antiquiores. Anno 1886 in Oeganda triginta unus juvenes neoconversi, singuli sarmentorum fasce circumdati et proni in terram positi, a pedibus incendebantur [2].

Praeterea cruciatus saepe *diu protrahebantur* aut *iterum iterumque infligebantur*. „Nihil aliud", ita de antiquis tortoribus scribit LACTANTIUS, „devitant, quam ut ne torti moriantur; jubent curam tortis diligenter adhiberi, ut ad alios cruciatus membra renoventur, et reparetur novus sanguis ad poenam" [3]. Etenim „hostis callidus, tarda ad mortem supplicia conquirens, animas cupiebat jugulare, non corpora; et ut ipse qui ab eo passus est Cyprianus ait, volentibus mori, non permittebatur occidi" [4]. Sub Galerio imp. lentae ignes ita adhibebantur, ut spiritus non redderetur antequam „per multum diem decocta omni cute, vis ignis ad intima viscera penetrasset" [5]. Saec. XVII nonnulli martyres in Japonia per sex dies in diversis corporis partibus serrâ torquebantur" [6].

Adde pro quibusdam martyribus *preces et lacrimae cognatorum*, de quibus s. AUGUSTINUS: „Majorem violentiam habuerunt oculi flentium suorum, quam persecutiones insec-

---

beat. seu decl. martyrii XXII vv. Servorum Dei Caroli Luanga, Mathiae Murumba et sociorum vulgo „de Uganda" in odium fidei, uti fertur, interfectorum; *A.A.S.* 1912, p. 567.

[1] Cfr. *Dict. Apol., l.c.*, col. 357. — [2] Epist. MGR. LIVINHAC, Vic. apost. apud Lacum Nyanza, 29 Sept. 1886; *Handelingen der gelukzalige Neger-Martelaren van Oeganda*, Boxtel, 1921. — Lege illustre martyrium J. G. Perboyre († 11 Sept. 1840, beatificati 10 Nov. 1889) apud V. HAMMERSTEIN, *l. c.* p. 419; et Episcopi Ferd. Hamer, mense Julio 1900 (Ep. vic, ap. A. Bermijn, 1 Julii 1901) in *Annalen der Miss. van Sparrendaal*, 1901. — [3] *Instit.* V. 11. — [4] S. HIERONYMUS, *Vita Pauli Eremitae*, 2. — [5] LACTANT. *De mort. pers.* 21. — [6] *Kirchenlexikon* in voce: *Japan*, tom. VI, p. 1253.

tantium. Quam multos enim tenebant filii, ne paterentur! Quam multorum genibus provolvebantur uxores, ne viduae relinquerentur! Quam multos parentes filii prohibebant mori" [1].

3°. Haec omnia autem martyres perpessi sunt *modo prorsus* **135**
admirabili.

Non solum enim promissa, minas, tormenta tyrannorum *constanter* spernebant, sed etiam *hilari animo* et *absque ullo irae aut impatientiae signo* patiebantur, imo plurimi martyrium *ardenter desiderabant*[2]. Coram judicibus responsa *sapientia et sobrietate* plena edebant, in mediis injustitiis animi *tranquillitatem* servabant. Neque stoica quadam insensibilitate, neque elato animo, sed *mansuete et modeste* patiebantur, non suis viribus sed *soli Deo fidentes*, aliorum preces *humiliter* implorantes, ipsos tyrannos atque tortores *charitate prosequentes*[3]. Uno verbo altissimae virtutis spectaculum facti sunt coram angelis et hominibus.

II. **Constantia martyrum, qualem eam exposuimus,** **136**
naturaliter explicari nequit.

Natura humana a cruciatibus multum abhorret. Hinc nemo infitiabitur, constantiam in gravissimis tormentis ad mortem usque perferendis, praesertim si cum patientia et mansuetudine conjungitur, esse actum maxime heroicum. Esto igitur

---

[1] In *Ps. 47*, 13. Cfr. ALLARD, *Dix leçons*, ch. 6; lege v. g. Acta ss. Perpet. et Felicit. necnon s. Irenaei sirmiens. — [2] Hinc Julianus apostata contra christianos „movere bellum manifeste nolebat; omnes enim, dicebat, ad martyrium, quasi ad alvearium apes volabunt" (s. CHRYSOST., *Or. in Juvent. et Maximin.*). Nihilominus episcopi instare solebant, ut fideles, quantum liceret, persecutores declinarent. Cfr. *Rev. prat. d'apol.*, tom. 7, p. 881; *Études*, 1917, tom. 150, p. 537. — [3] S. Cyprianus et Thomas Morus carnificibus suis pecuniam dederunt; ALLARD, *l. c.* p. 284.

quod singularis aliquis homo ad tantam animi fortitudinem pertingere naturaliter possit, id saltem indubium est, haud multos eo usque perventuros.

Atqui in testificanda religionis catholicae veritate non pauci, sed plurimi homines cujuslibet aetatis, indolis, conditionis, ad tam sublime fortitudinis culmen, nullo motivo humano impellente, pervenerunt; idque non semel, aut in una tantum terrae ora, sed multoties et ubicumque tyranni in Ecclesiam saevirent!

137 *Conclusio.* Igitur, nisi effectum sine causa proportionata admittere velimus, omnino necesse est confiteri, martyres catholicos singulari divinae gratiae auxilio suffultos, ex „inspirata patientia" [1] passos esse. Quod ceteroquin ét ipsi martyres ultro fatebantur [2], ét christiani omnes alte persuasum sibi habebant, ét multi ethnici, passionum testes, persenserunt secundum illud LACTANTII: „Cum videat vulgus dilacerari homines variis tormentorum generibus, et inter fatigatos carnifices invictam tenere patientiam, existimant id quos res est, nec consensum tam multorum, nec perseverantiam morientium vanam esse, nec ipsam patientiam sine Deo cruciatos tantos posse superare" [3]. Hinc celebre illud TERTULLIANI effatum: „Cruciate, torquete, damnate, atterite nos. Plures efficimur. quoties metimur a vobis: semen est sanguis christianorum" [4]. Sane, non alia de causa sanguis martyrum semen christianorum factus est, nisi quia gentiles, probe intellegentes hujusmodi

---

[1] LACTANTIUS, *Instit.* V. 13. — [2] Hinc s. Felicitas, cum in carcere pariens ingemisceret, cuidam custodi dicenti: „Quae sic modo doles, quid facies objecta bestiis", fidenter respondit: „Modo ego patior quod patior, illic autem alius erit in me, qui patietur pro me, quia et ego pro illo passura sum" (*Passio ss. Perpetuae et Felicitatis*, 15). — [3] *Instit.* V. 13. — [4] *Apolog.* c. 50, n° 176. Lege diss. *Martyrum sanguis vox veritatis*, apud HURTER, *Opusc. ss. Patrum*, t. IV.

tormenta sine Dei auxilio sustineri non posse, ex patientia martyrum divinitatem religionis christianae didicerunt [1].

Scholion. *Objectionibus satisfit.* — 1°. Nonnulli martyrium christianum *naturaliter explicare* voluerunt, dicendo martyres aut a. vanae gloriae cupidine, aut b. naturali coelestis beatitudinis spe, aut c. fanatismo sustentatos, mortem sustinuisse. Sed perperam. **138**

Ad a. Martyres nullam inanis gloriae cupiditatem monstrarunt, sed magnam humilitatem prae se ferebant; praeterea sciebant se a plerisque ut stultos ac vesanos haberi; demum multi passi sunt in iis adjunctis, ut certi essent sua nomina ad posteros perventura non esse. Ceterum quis sibi persuadebit, tot homines etiam plebejos, pueros, ancillas vanam gloriam vitae et incolumitati praetulisse!

Ad b. Haud diffitemur, martyres aeternae beatitudinis spe

---

[1] „Alio modo adhuc constantia martyrum primorum saeculorum in argumentum adhiberi potest. Martyres post longos saepe carceres atrocissimam mortem pro fide suscipiendo, manifeste ostendunt *validissimam persuasionem* de veritate fidei christianae. Jam firmissima illa persuasio apud tot homines diversissimae indolis — doctos etiam et ingenio praetantes — utique non exstitisset, nisi ipsis nota fuissent *argumenta objective firmissima* pro veritate christianismi (argumenta credibilitatis). Argumenta autem illa pro primaevis christianis praesertim fuerunt crebra miracula ac charismata primorum saeculorum quorum illi martyres testes aut immediati aut mediati fuerunt. Oportet igitur *haec facta* ipsis fuisse plane *certissima* ac omnino *evidentia*". Ita HURTER, *Theol. Dogm. Comp.* I[11] n° 90. Utrumque argumentum breviter innuit MINUCIUS FELIX (in *Oct.* n° 37) alloquens ethnicos: „Nec intellegitis, o miseri, neminem esse qui aut sine ratione *velit* poenam subire, aut tormenta sine Deo *possit* sustinere?"

suffultos esse, non tamen mere naturali; sane bonorum aeternorum apprehensio tam viva, constans, efficax, ut pro iis talia sustineantur, absque superno auxilio non habetur.

Ad **c.** Modus, quo martyres passi sunt, cum animi tranquillitate, sobrietate, mansuetudine, humilitate, evidenter ostendit eos fanatico furore abreptos non fuisse. Praeterea quis credit, febrim fanaticam diversissimis in locis semper erupisse, quoties alicubi tyrannus in Ecclesiam saeviret, et perdurasse quamdiu saeviret.

139 2°. Alii argumentum ex martyrio elidere tentant, inducendo *rarae fortitudinis exempla, alibi occurrentia*, sive in militibus aut maleficis, sive apud ceteras religiones. Sed nulla datur aequalitas, etenim:

a. Miles undique ad pugnam incitatus, imo plerumque compulsus, sese periculo potius quam certae morti, aut saltem morti subitae ac gloriosae, iratus committit; martyr pacato animo et absque vindictae studio, prolixos horridosque cruciatus sustinere libere pergit. Uno verbo, aliud omnino est heroismus pugnae, aliud heroismus patientiae[1]!

b. Nefarios nonnullos, ut v. g. nostris temporibus quosdam anarchistas, fortiter et non sine audaciae ostensione mortem subiisse verum est; ast agebatur de morte, quam effugere jam nullatenus possent et, plerumque saltem, de morte satis celeriter et sine diuturnis doloribus inflicta. Praeterea aliud est, animo exasperato, blasphemando et maledicendo e vita decedere, aliud cum mansuetudine, humilique patientia martyrium diu protractum subire.

---

[1] Cfr. J. POHLE, *Soldatentod und Martyrertod*, 1918.

c. In aliis religionibus aut sectis primum excipiendi sunt, qui ex manifesto fanatismo sese morti tradiderunt (ut v. g. qui in India se idolorum plaustris conterendos objiciunt [1]; et Circumcelliones [Donatistae], qui se Augustini tempore e rupibus praecipitabant [2]; hi enim martyres non sunt sed suicidae; deinde excipiendi sunt, qui aut in bello, etsi forte religionis causa inito, aut justo judicio propter crimina admissa, mortem subierunt. His igitur subductis, numerus eorum, qui pro testificanda cujuslibet religionis aut sectae, extra catholicam, veritate mortem revera libere subierunt, ita exiguus est, ut res, praesertim si in adjunctis consideretur, ex causis naturalibus explicari possit[3]. De sectis christianis ab Ecclesia separatis universim valent effata ss. Patrum: s. IRENAEI: „Ecclesia omni in loco ob eam, quam habet erga Deum dilectionem, multitudinem martyrum in omni tempore praemittit ad Patrem; reliquis autem omnibus non tantum non habentibus hanc rem ostendere apud se, sed nec quidem necessarium esse dicentibus tale martyrium" [4]; et s. CYPRIANI: „Neque enim persequitur et impugnat Christi adversarius nisi castra et milites Christi; haereticos prostratos semel et suos factos contemnit et praeterit" [5].

[1] Hisce aequiparandae sunt miserae viduae indicae, quae se non libere, sed ex morali necessitate et desperatione in ardentem defuncti mariti rogum injiciebant. Cfr. OTTIGER, *Theol. fundam.* I, p. 890. — [2] Cfr. S. AUGUST., *De Haeres.* n° 69. — [3] Cfr. *De Kath.*, 1911, tom. 140, p. 337 en 453. — [4] *Adv. Haeres.* IV **33**, 9. — [5] *Ep.* 61 *ad Lucium*, n° 3. — Ceterum nihil impedit, quominus haereticus materialis non praecise propter haeresim suam sed *propter fidem christianam* torturae subjectus, peculiari gratia ad victoriam adjuvetur; cfr. *Dict. de Théol.*, I. p. 538 seq. Quod v.g. de martyribus protestantibus, a. 1885-86 in Oeganda interfectis, autumare licet. Ex adjunctis testimonium reddiderunt non praecise protestantismo sed christianismo. Et hujusmodi casus, eo ipso quod exceptiones sunt, argumentum ex martyrio catholico seu universali in favorem ecclesiae romanae non infringunt.

140 3°. Denique adversarii dicunt, doctrinam catholicam de martyrio *laborare circulo*. Apologetae, ita aiunt, veritatem religionis catholicae probant ex eo, quod tot martyres habeat sed si a theologis catholicis quaeras, quinam sint martyres, respondent: illi tantum qui pro vera religione moriuntur: „martyrem non facit poena, sed causa". Et ita in argumento ex martyrio manifeste supponitur id, quod est in quaestione, veritas scil. religionis catholicae.

Resp. Species circuli inde provenit, quod nomen martyris diversimode sumitur, primo scil. in sensu vulgari, et deinde in sensu theologico.

In argumento apologetico, quo usi sumus, vox martyris adhibetur in sensu vulgari pro iis omnibus, qui mortem violentam patienter sustinent pro sua religione, facta praecisione a quaestione, utrum illa religio sit vera necne. At si inter theologos et canonistas de martyribus quaeritur, martyres intelleguntur ii, de quibus constat coram Ecclesia, quod sint testes Christi, quibus suffragantur promissiones Christi [1]. Manifestum autem est testes Christi simpliciter et sine addito non esse, nisi qui pro religione Christi, vera scil. et integra moriuntur. Et ita martyrem non facit [sola] poena, sed causa [propter quam poena infligitur] [2].

CONCLUSIO CAPITIS.

141 Vidimus igitur multis miraculis, tum in ordine physico, tum in ordine morali, divinitus commendari religionem christiano-catholicam.

Miracula haec plerumque directe non probant nisi *veritatem*

[1] *Mt.* **10**, 32; **16**, 25. — [2] Nonnulli ut motivum pro veritate religionis christianae adducunt mysterium *odii*, quo Christi adversarii ipsum ejusque sanctissimam prosequuntur religionem et *amorem* singularem, quem Christus in se excitavit atque promeruit. Videatur i. a. HURTER, o. c. n° 84 et 88.

nostrae religionis, sed exinde mediate seu indirecte *divinam ejus originem* demonstrant. Sane qua ratione doctrina catholica, quae tot mysteria humanam inventionem superantia continet, vera esset, nisi divinitus revelata exsisteret? Praeterea Ecclesia praedicationi suae non qualemcumque, sed divinam auctoritatem vindicat, exigit ut doctrinae a se propositae suscipiantur ut eloquia Dei. Hinc omnino dicendum est, Deum, favoribus suis religionem catholicam prosequendo et commendando, simul testari ejus divinitatem. Merito igitur conc. vatic.: „Ecclesia per se ipsa, ob suam np. admirabilem propagationem, eximiam sanctitatem, et inexhaustam in omnibus bonis foecunditatem, ob catholicam unitatem invictamque stabilitatem, magnum quoddam et perpetuum est motivum credibilitatis et divinae suae legationis testimonium irrefragabile" [1].

Atvero si Ecclesia catholica legatione divina fungitur, id profecto non alio titulo facit, nisi continuando legationem Christi: nusquam enim aliunde divinam auctoritatem praedicationi suae vindicavit, nisi quia nomine Christi doctrinam a Christo acceptam praedicat. Et ita argumenta hujus capitis, etsi immediatius divinitatem religionis catholicae patefaciunt, simul indirecte divinam ipsius Christi missionem confirmant.

[1] Constit. *De fid. cath.* cp. 3. DENZ. 1794. — „Vera autem religio quae sit, non difficulter videt qui judicium prudens sincerumque adhibuerit; argumentis enim permultis atque illustribus, veritate nimirum vaticiniorum, prodigiorum frequentia, celerrima fidei vel per medios hostes ac maxima impedimenta propagatione, martyrum testimonio, aliisque similibus liquet, eam esse unice veram, quam Jesus Christus et instituit ipsemet et Ecclesiae suae tuendam progagandamque demandavit" (LEO XIII, Enc. *Immortale Dei*, 1 Nov. 1885.) — De mirabili Ecclesiae catholicae unitate et catholicitate distincte et ex professo quidem in hoc capite non diximus, quia de iis agendum erit, ubi de notis Ecclesiae sermo instituetur. Attamen ea, quae de propagatione et conservatione religionis catholicae diximus„ catholicam unitatem" supponunt et involvunt.

CAPUT IV.

De Christo ejusque opere, divinitus praenuntiatis [1].

142 Divinam Christi missionem, divinitatem religionis catholicae probavimus ex factis divinis, Christum ejusque religionem concomitantibus; restat, ut demonstrationem nostram compleamus, ostendendo Christum et opus Christi longe antea a Deo fuisse praenuntiatum et praeparatum. Quis enim non videt, argumenta hucusque in favorem religionis christianae allata, mirum in modum confirmatum iri, si constare poterit, in Christo atque religione catholica impletas esse prophetias, de futuro quodam legato divino ejusque regno diu antea editas [2].

Agemus igitur in hoc capite de *prophetiis* quae vocantur *messianicis*, et *primo* quidem probabimus, revera exstitisse prophetias messianas, prophetias scil. futurum aliquem Dei legatum, et regnum ab eo fundandum promittentes; quas

---

[1] Cfr. de hoc argumento REINKE, *Messian. Psalmen; Messian. Weissagungen;* DE BROGLIE, *Les prophéties messianiques; Les prophéties et les prophètes* (in *Compte-Rendu du 3 Congr. scient. internat. des Catholiques*, 1894, S. II, p. 137); M. LE HIR, *Études bibliques*, 1869, pp. 54-84; *De l'interprétation des prophéties;* CAILLARD, *Jésus-Christ et les prophéties messianiques*, 1905; M. WOLFF, *Messianische Weissagungen, aus dem massoretischen und Vulgata-Texte für akademische Übungen zusammengestellt*, 1911: G. HOBERG, *Katechismus der messianischen Weissagungen*, 1915; A. SCHULTE, *Die messianischen Weissagungen*, 1908; J. TOUZARD, *Comment utiliser l'argument prophétique*, 1911. — [2] Omnia quae nunc vides in Ecclesia Dei et sub Christi nomine per totum orbem terrarum, ante saecula jam praedicta sunt, et sicut ea legimus, ita et videmus et inde aedificamur in fidem." S. AUG. *De Catech. rud.* 27, no 53, cfr. *de Civ. Dei* l. 17 et 18.

deinde breviter exponemus, simul ostendendo, eas in Christo atque Ecclesia [1] esse impletas.

Art. I.

EXSISTENTIA PROPHETIARUM MESSIANICARUM.

PROP. **Plura saecula ante Christum apud Judaeos exstiterunt prophetiae messianae.** 143

Supra jam probavimus, judaeos tempore Christi exspectasse eximium aliquem prophetam a Deo mittendum, quem Messsiam i.e. Christum vocabant. Exspectatio haec communis erat omnibus ordinibus: plebi, legisperitis, sacerdotibus, regi, nec inter solos judaeos, sed etiam apud samaritanos vigebat [2].

---

[1] *Ecclesiam* in praesenti spectamus, non praecise ut est societas in sensu stricto, determinato modo constituta, sed ut est *regnum veritatis religiosae,* secundum illud Christi: „Tu dicis, quia rex sum ego. Ego in hoc natus sum et ad hoc veni in mundum, ut testimonium perhibeam veritati.Omnis qui est ex veritate audit vocem meam". *Jo.* **18,** 37. — [2] Cfr. textus no. **76** allatos. Ceterum res non ex christianis tantum fontibus constat, sed etiam ex judaicis (*Psalmis Salomonis, Libro IV Esdrae, Henoch,* cet.). Narrat JOSEPHUS, nihiljudaeos magis stimulasse ad defectionem a romanis, et ad obstinatam urbis defensionem, quam spes Messiae eo tempore adventuri (*De Bello Jud.* VI, 5, 4). Etiam ad gentiles exspectationis huius rumor pervenerat. TACITUS: „Pluribus persuasio inerat, antiquis sacerdotum libris contineri, eo ipso tempore fore ut valesceret Oriens, profectique Judaeâ rerum potirentur" (*Hist.* V, 13). SUETONIUS: „Percrebuerat Oriente toto vetus et constans opinio, esse in fatis, ut eo tempore Judaeâ profecti rerum potirentur" (*Vespas.* 4). Tacitus et Suetonius rem de Vespasiano, qui, quando imperator renuntiabatur, in Palestina exercitui praeerat, exposuerunt quidem, sed nihilominus antiquae „opinionis" exsistentiam testantur. Cfr. DÖLLER, *Die Messiaserwartung im A. T.,* 1911. (*Bibl. Zeitf.* IV n^{0} 6 et 7); M. LAGRANGE, *Le Messianisme chez les Juifs.* 1909;

Judaei futuro Messiae triplex veluti munus, in confuso tamen, tribuebant: **a.** munus *politicum* : ut filius David regnum David restitueret, populosque exteros sibi subjiceret: **b.** munus *religiosum:* secundum exemplar David esset simul rex et propheta, sed propheta prae cunctis eximius, qui populum suum liberaret a peccatis eorum, qui sicut Moses magna signa faceret, novam legem conderet, cunctas gentes ad cultum veri Dei adduceret; **c.** munus *eschatologicum:* maneret in aeternum, per ipsum regnum temporale transformaretur in regnum gloriae sempiternae, mortui resuscitarentur, Messias cunctas gentes judicaret, regnaret cum sanctis, malos inimicos in gehennam ignis detruderet [1]. — Quomodo haec tria cohaererent, quibus mediis perficerentur, nesciebatur. Apud plerosque idea muneris politici praedominabat; animae tamen sincerae ac piae muneris religiosi minime obliviscebantur, imo illud maximi aestimabant.

Jam omnibus, christianis, judaeis, rationalistis consentientibus, certum est, judaeos hanc Messiae exspectationem hausisse ex libris suis sacris, i. e. ex *Scriptura veteris Testamenti* [2].

Nostrum non est inquirere tempus, quo libri illi conscripti

A. LEMANN, *Histoire complète de l'idée messianique chez le peuple d'Israel*, 1909; *Dict. Apol.* II, Col. 1615; *Rev. prat. d'Apol.*, 1911, tom. 12, p. 401; *Der Kath.*, 1917, I, p. 16; *De Katholiek*, 1922, tom. 162, p. 141; *Ned. Kath. St.* 1928, p. 147 et 179; *Zeits. f. k. Theol.*, 1927, p. 370 et 473.

[1] Idea Messiae, quam judaei sibi efformaverant, ex eo praesertim deficiebat, imo magna parte falsificabatur quod integram classem prophetiarum negligebant, eam scil. quae humilitatem, passionem, mortem Messiae necnon rejectionem carnalis Israel spectabant. Nam si etiam his, ut par erat, attendissent, vaticinia de restituendo regno davidico non ita confidenter secundum literam de regno terreno, dominationeque politica interpretati essent. Cfr. VOLZ, *Jüdische Eschatologie von Daniel bis Akiba*, 1903; JOS. KEULERS, *Die eschatologische Lehre des vierten Esrabuches*, 1922. — [2] Cfr. DÖLLER, *o. c.*

sint, quum hoc negotium ad Isagogen biblicam pertineat. Certum est, eos diu ante nativitatem Christi exstitisse, quum versio alexandrina LXX interpretum, saec. III a. C. coepta, circa annum 130 a. C. finita fuerit. Ceterum ipsi rationalistae ponunt, libros, quorum nostri hoc loco interest, a saec. V a. C. concinnatos esse [1]. Igitur indubium est, plura saecula ante Christum literis consignata exstitisse varia eloquia, quae judaei de futuro Messia intellegebant, et quae a nobis *prophetiae messianae* vocantur.

143a At vero rationalistae et modernistae contendunt, eloquia illa veras prophetias divinitus editas non esse, sed potius conjecturas quasdam, praesensiones, aut vota, a „prophetis" pro peculiari israelitici populi ingenio variisque adjunctis naturaliter concepta [2]; quibus ceteroquin, si rationalistas audias, eventus multoties contradixit.

Assertioni huic plura opponi possunt ex ipsa indole prophetarum et messianismi prophetici petita. Rationalistae ex una parte prophetas Israel in eodem censu habent cum vatibus ac divinis reliquarum gentium, et ab alia parte eos celebrant ut viros moribus ac religione praestantissimos, qui populum suum ad purum monotheismum erudierunt. Atqui haec duo non cohaerent. Vates gentium, omnibus fatentibus, nec virtutibus eminuerunt nec patriam religionem a polytheismo et idolorum cultu emundarunt aut emundare conati sunt. Igitur

[1] Excepto libro *Daniel*, quem saec. II a. C. tribuere et apocalypsim dicere solent. Sed rationes hujus sententiae, etsi etiam quibusdam catholicis placuerunt, non videntur ejusmodi, ut thesim traditionalem de aetate de charactere libri *Daniel* evertant. Cfr. e. g. *Der Kath.* 1906, II, p. 201 et 306. — [2] Ita sentiunt, quia *a priori* excludunt omne supernaturale, tum miracula (in ordine physico et morali), tum vaticinia proprie dicta, quae sunt miracula in ordine intellectuali, et ad hanc normam prorsus arbitrariam omnia facta historica detorqueant.

si prophetae Israel talia perfecerunt, sunt phaenomenon omnino singulare, cujus analogon nullibi invenitur et cujus explicatio naturalis desideratur. Praeterea non explicatur, quomodo prophetae, qui fatentibus adversariis moribus et religione excelluerunt, inanes suas conjecturas tam apodictice ut promissa divina edere quiverint [1].

Deinde, exclusa vera prophetia, explicari nequit, qua ratione prophetae concipere, universus populus accipere et continuo nutrire potuerit ideam regni messiani, diffusionem propriae religionis per orbem terrarum involventis. Nulla gens, ne inter ipsos etiam semitas, hujusmodi spem concepit, et prospectus ita magnificus parum congruebat conditioni historicae judaeorum, qui et armis saepe devicti fuere et cultura ac civilitate pluribus aliis gentibus inferiores exstiterunt. Et adverte spem messianicam non fuisse momentaneam, sed saecularem, imo talem, ut cessante saec. V prophetia[2] non elanguerit ac interierit, sed ita permanserit ut antea placida, tempore Christi intensa imo febrilis facta sit. — Quodsi dicitur,

[1] Unde *Comm. de Re Biblica* (die 28 Jun. 1908) ad *Dubium I:* „Utrum doceri possit, vaticinia quae leguntur in libro Isaiae — et passim in Scripturis — non esse veri nominis vaticinia, sed vel narrationes post eventum confictas, vel si ante eventum praenuntiatum quidpiam agnosci opus sit, id prophetam non ex supernaturali Dei futurorum praescii revelatione, sed ex his quae jam contigerunt, felici quadam sagacitate et naturalis ingenii acume, conjicendo praenuntiasse? — *Resp. Negative*". — Item ad *Dubium II:* „Utrum sententia quae tenet, Isaiam ceterosque prophetas vaticinia non edidisse nisi de his quae in continenti vel post non grande temporis spatium eventura erant, conciliari possit cum vaticiniis, imprimis messianicis et eschatologicis, ab eisdem prophetis de longinquo certo editis, necnon cum communi SS. Patrum sententia concorditer asserentium, prophetas ea quoque praedixisse, quae post multa saecula essent implenda? *Resp. Negative*". Cfr. *A. S. S.* 1908, p. 613. — [2] Cfr. *I Mach.* **9**, 27; **4**, 46; JOSEPHUS, *C. App.* I, 8.

animos populorum nonnumquam alte commoveri praesensione rerum novarum, quae jam praeparantur, respondendum est, primo: aliud esse vagam praesensionem rerum jam adventantium, aliud omnino exspectationem antiquam et saecularem; deinde in casu eventum optime quidem respondisse antiquis prophetiis, sed nonnisi quam imperfectissime praesensioni ultimi temporis, siquidem Messias et regnum messianum haud advenerunt secundum eum modum, quem exspectabant et anhelabant judaei coaevi.

Attamen argumentum princeps contra scholam rationalisticam est ipsa vaticiniorum expositio, cum historia Christi ejusque religionis comparata, quam mox exhibebimus. Hinc enim patebit: **a.** in Scriptura Vet. Test. contineri praedictiones multarum rerum, a libera Dei hominumque voluntate pendentium, et partim saltem accurate determinatarum: necnon **b.** illas praedictiones in Christo atque Ecclesia impletas esse. Quodsi haec duo constiterint, nemo de philosophica prophetiarum messianarum veritate dubitare rationabiliter poterit.

Scholion. *Animadversiones quaedam pro intellegentia* **144** *prophetiarum messianarum*[1].

Ut vaticinia messiana absque frequenti interruptione exponere possimus et simul praeoccupemus potiores rationalistarum difficultates, hoc loco congerimus generales quasdam observationes de prophetiis, non pro arbitrio inventas, sed partim ex genuino prophetiae conceptu deductas, partim ex ipsarum prophetiarum studio comparatas.

1°. Vaticinia messiana diversissimis temporibus edita sunt,

[1] Cfr. *De H.H. Boeken van het Oude Verbond*, T. VI, J. SCHETS, *Algemeene inleiding op de profetische boeken*; LE HIR, *o. c.* p. 254; L. MURILLO, *El cumplimiento de los vaticinos proféticos*, in *Biblica*, 1924, p. 113 et 259.

et ita quidem ut in iis successiva quaedam gradatio obtinuerit. Videlicet in antiquissimis V. T. libris pauca quaedam apparent lineamenta, obscura et indeterminata, picturae messianicae, quae procedente tempore per varia additamenta paulatim evolvitur et perficitur. Nonne Deo dignissimum erat, hoc modo veluti a longinquo et pedetentim imaginem Messiae componere? Nonne factum, quod saltem post eventum apparet, multa lineamenta, a diversis diversis temporibus apposita, reapse in unam imaginem historice veram coaluisse, evidenter ostendit unum eundemque Spiritum cunctos successive pictores direxisse? Porro, si Deus hac ratione imaginem messianam depingere voluit, sequitur ad rectam intellegentiam cunctas prophetias inter se conferendas esse, ut una ex alia lucem accipiat, una ex alia determinetur et compleatur. Siquidem adhuc, sensum verum seu divinum singularum prophetiarum non necessario eum esse, quem coaevi, fragmentum tantum imaginis intuentus, forte intellexerunt, sed potius eum, qui post eventum cum aliis lineis fragmentariis conspirare cognoscitur [1]. — Quum autem delineatio successiva et fragmentaria imaginis messianae in sensu exposito, ét a priori minime impossibilis aut improbabilis dici possit, ét a posteriori vere contigisse probetur, rationalistae immerito exigunt, ut quaelibet prophetia per se solam semper consideretur atque ex solo immediato contextu explicetur. Hac sua procedendi methodo rationalistae sensum messianum plurium prophetiarum obscurant quidem, sed simul historiam

[1] *Comm. de Re Biblica* ad *Dubium* III: „Utrum admitti possit, prophetas non modo tamquam correctores pravitatis humanae divinique verbi in profectum audientium praecones, verum etiam tamquam praenuntios eventuum futurorum, constanter alloqui debuisse auditores non quidem futuros, sed praesentes et sibi aequales, ita ut ab ipsis plane intellegi potuerint; cet.? — *Resp. Negative*". Cfr. *A. S. S.* 1908, p. 613.

gentis, judaicae cum sua spe messiana inexplicabilem reddunt. Praeterea exclusa significatione messiana, alium sensum convenientem substituere saepe nequeunt[1].

2⁰. Veritas divina ipsis prophetis plerumque non omnino 145
nuda et clara, sed potius sub involucro figurarum, symbolorum, typorum exhibebatur; quo modo autem res pandendas videbant aut audiebant, eodem modo eas aliis annuntiabant. Hinc prophetiae messianae figuris et imaginibus plenae sunt. Jam quamvis, attento praesertim genio orientalium, etiam in antecessum admodum probabile videri debuit, quaedam a prophetis figurate dicta esse, concedendum est, lectores prophetiarum ante impletionem haud semper potuisse discernere, quousque se figura extenderet, et quid praecise verus sensus, a Deo intentus, haberet. Admodum probabile est, ipsos prophetas sensum distinctum et adaequatum suorum vaticiniorum non semper esse assecutos: „mens prophetae est instrumentum deficiens respectu principalis agentis [Spiritus Sancti]"[2]. Multo minus necesse est admittere, quod prophetae eorumque coaevi semper cognoverint rationem typicam in vaticiniis, aut potius in rebus vaticinatis latentem. Atqui si ita est, perperam rationalistae aliquas prophetias eventu impletas non esse concludunt ex eo, quod impletae non sunt secundum sensum maxime obvium, quem antiqui lectores forte unice intellegebant. Etiam in hac materia „literia occidit, spiritus autem vivificat"[3].

---

[1] Hinc LAGRANGE: „Ce qui pourrait nous rassurer, c'est que ceux qui rejettent le caractère messianique, sont fort gênés à en fournir un autre, qui soit satisfaisant" (*Revue Bibl.* 1900, p. 474). — [2] S. THOMAS, *S. Th.* II, II, 173, 4, c. — [3] „La prophétie, ita DE BROGLIE, est une parole de Dieu adressée aux générations futures, et qui ne doit être comprise qu'après l'événement. C'est une énigme dont l'événement doit donner la clef. Si Dieu a voulu que la prophétie

146 3°. Deus prophetis futura revelans, non intendebat continuam rerum gerendarum historiam aperire et humanae curiositati satisfacere, sed aut spem erigere, aut metum incutere, cet. Hinc prophetas eventus futuros nonnumquam eo modo spectare fecit, quo nos stellas coeli conspicimus, quas videndo non discernimus, quaenam nobis propinquiores sint, quaenam remotiores. Hinc in prophetiis, non indicato temporum intervallo, saepe conjunguntur varii eventus, nexu causali aut typico cohaerentes, sed ordine chronologico longissime distantes. Ita v.g. regnum messianum nonnumquam ita connectitur cum aliquo ejus typo, ac si ei immediate subsequeretur. Alias totum regnum messianum describitur per modum unius, et sub una imagine, qua simul comprehenduntur res primum Christi adventum, progressum regni messianici, et ultimam ejus consummationem spectantes; ex quibus nonnullae etiam nunc aut nullatenus aut imperfecte tantum impletae existunt. Certe mirum non est, quod lectores ante impletionem plerum-

---

ne fût intelligible qu'après l'événement, le sens compris par les contemporains n'est qu'un sens apparent, un sens inexact, un sens dont Dieu a permis l'apparition dans les esprits, mais dont il n'a pas affirmé la vérité. Le sens divin est celui, que l'événement révèle et que les contemporains de l'événement peuvent saisir. La prophétie est une vision lointaine, l'événement est vu à travers de nuages, mêlé à d'autres événements intermédiaires ou plus éloignés. C'est en approchant, que ses traits propres se dégagent. Quelquefois le même événement parait sous des aspects successifs, différents; c'est de près que l'on voit, comment ils s'accordent. Le nonaccomplissement du sens judaïque ne prouve nullement que la prophétie ne vient pas de Dieu" (In *Compte rendu*, l. c. p. 164; cfr. p. 175—177). Diu antea s. IRENAEUS: „Omnis prophetia priusquam habeat effectum, aenigmata et ambiguitates sunt hominibus. Quum autem venerit tempus et evenerit quod prophetatum est, tunc prophetiae habent liquidam et certam expositionem". *Adv. haer.* IV, 26, 1.

que existimaverint, res simul vaticinatas etiam simul eventuras fuisse, sed perperam inde deducitur, prophetas revera significasse simultaneam impletionem, quum de ea nihil affirmaverint.

En igitur potiores causae illius obscuritatis, qua non omnes quidem, sed tamen plures prophetiae ante impletionem involvuntur. Obscuritas ista nihil probat contra veritatem prophetiarum, quum saltem post eventum satis eluceat, eas ex vera et certa futurorum cognitione profectas esse, sed commendat suavem providentiam Dei, qui homines ita illuminat, ut, si recte dispositi sint, veritatem agnoscere queant, quin nimia evidentia fere cogantur[1].

Art. II.

PROPHETIARUM MESSIANICARUM COMPENDIARIA EXPOSITIO.

Impossibile est in compendio pertractare omnes quaestiones criticas et exegeticas, quae circa prophetias messianas agitantur. Hinc principaliora tantum vaticinia ordine synthetico afferemus, eorum sensum breviter pro posse determinando, et statim indicando eorum impletionem in Christo ejusque religione. Ulteriores de explicatione nonnullarum prophetiarum disquisitiones, eo magis omittere possumus, quia non ex singulis prophetiis per se consideratis, sed ex omnibus simul sumptis argumentari intendimus.

---

[1] Hinc LE HIR: „Si l'avenir nous était dévoilé avec autant de précision et de suite dans les détails, que nous en demandons à l'histoire du passé, la liberté humaine, en face de cette lumière distincte, serait singulièrement alarmée. Ou elle serait extraînée à réaliser ce qui a été prédit d'elle, ou elle tendrait à y résister de toutes ses forces, pour prendre pos-

147 I. **Proto-evangelium.**

Prima Messiae spes ipsis protoparentibus affulsit. Etenim postquam serpens auxiliante muliere primum hominem devicerat, Deus serpenti poenam intimavit dicendo: „Inimicitias ponam inter te et mulierem, et semen tuum et semen illius; ipsa [hebraice: *ipsum*, scil. semen] conteret caput tuum, et tu insidiaberis calcaneo ejus"[1]. Promittitur igitur semen mulieris, quod aliquando, non sine suo vulnere, plenam victoriam de diabolo ejusque sequacibus reportabit. Non determinatur, utrum illud „semen mulieris" erit persona singularis, an aliqua multitudo, sed quum multitudo vincere nequeat sine duce, saltem implicite promittitur aliquis dux et liberator, sub quo multi de genere humano diabolum vincent. — Et observa nomen „semen mulieris" apprime convenire Christo, ex virgine nascituro.

148 II. **Prophetiae de genealogia Messiae.**

In proto-evangelio significatus erat liberator ex ipso *humano stipite* oriundus: „semen mulieris"; jam:

1°. In vaticinio Noë adumbratur *ramus* hujus stipitis: „Benedictus Dominus [Jahve] Deus Sem, sitque Chanaan servus ejus. Dilatet Dominus [Elohim] Japhet, et habitet in tabernaculis Sem; sitque Chanaan servus ejus"[2].

Tum Sem, tum Japhet benedictionem accipiunt; benedictio Sem consistit in eo, quod Jahve (= Deus, ut iniens foedus cum hominibus) erit modo peculiari cum Sem[3]. Benedictio

session d'elle-même et se convaincre qu'elle n'est pas un rêve. L'argument que nous tirons des prophéties en serait prodigieusement affaibli. Car on pourrait toujours craindre, que leur accomplissement ne fût l'effet de volontés déterminées à s'y conformer" (*Études Bibliques* I, p. 82.)

[1] *Gen.* **3**, 15. — [2] *Gen.* **9**, 26-27. — [3] In eundem sensum postea: „Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac et Deus Jacob" (*Ex.* **3**, 6), et: „Benedictus Dominus Deus Israël" (*Luc.* **1**, 68).

Japhet consistit in dilatatione naturali, necnon in eo, quod habitabit in tabernaculis Sem, i.e. participabit de bonis Semitis promissis, de foedere scil. divino cum Sem ineundo. Igitur benedictio spiritualis, in proto-evangelio annuntiata, auspicabitur a semitis, inde vero etiam japhetitis insigniter proderit. Et ita, licet obscurius, indicatur, quod liberator promissus orietur ex Sem.

2⁰. In promissionibus Abrahae, Isaac, Jacob factis, designatur *gens*, ex qua liberator proveniet. Abrahae dicitur: „Benedicentur in Semine tuo omnis gentis terrae" [1]. Eadem promissio postea datur Isaac [2] et Jacob [3]. Idem habet celebre vaticinium Balaam: „Videbo eum, sed non modo, intuebor illum, sed non prope: orietur stella ex Jacob, et consurget virga de Israel" [4].

3⁰. Jaeob moriturus *tribum* indicat, ex qua liberator descendet: „Juda, te laudabunt fratres tui ... adorabunt te filii patres tui ... Non auferetur sceptrum de Juda et dux de femore ejus, donec veniat qui mittendus est, et ipse erit exspectatio gentium" [5]. De hac prophetia infra plura.

4⁰. In David eligitur *familia*, quae Messiam progignet: „Suscitabo", ait Nathan propheta ad David, „semen tuum post te, quod egredietur de utero tuo, et firmabo regnum ejus. Ipse aedificabit domum nomini meo, et stabiliam thronum regni ejus usque in sempiternum" [6]. — „Semel juravi in sancto meo, si David mentiar: semen ejus in aeternum manebit. Et thronus ejus sicut sol in conspectu meo et sicut luna perfecta in aeternum, et testis in coelo fidelis" [7]. — „Egredietur virga

---

[1] *Gen.* **22**, 18. — [2] *Gen.* **26**, 4. — [3] *Gen.* **28**, 14. — [4] *Num.* **24**, 17. — [5] *Gen.* **49**, 8-10. — [6] *II Reg.* **7**, 12. — [7] *Ps.* **88**, 36-38.

de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet, et requiescet super eum spiritus Domini" [1]. — „Ecce dies venient et suscitabo David germen justum; et hoc est nomen quod vocabunt eum: Dominus justus noster" [2].

Impletio harum prophetiarum in Jesu nazareno constat ex testimonio S. Pauli: „Manifestum est enim, quod *ex Juda* ortus sit Dominus noster" [3], et: „Memor esto Dominum Jesum Christum resurrexisse a mortuis *ex semine David*" [4].

149 III. **Prophetiae de biographia Messiae.**

Multa particularia praedicta sunt de vita, passione, exaltatione futuri Messiae [5].

1°. *Curriculum vitae* quod attinet, haec memoramus.

Habebit praecursorem: „Ecce ego mitto angelum meum, et praeparabit viam ante faciem meam. Et statim veniet ad templum suum dominator, quem vos quaeritis, et angelus testamenti, quem vos vultis" [6].

Nascetur in Bethlehem: „Et tu Bethlehem Ephrata, parvulus es in millibus Juda; ex te mihi egredietur, qui sit dominator in Israel, et egressus ejus ab initio, a diebus aeternitatis" [7].

Nascetur ex matre virgine: „Ecce virgo concipiet et pariet filium, et vocabitur nomen ejus Emmanuel" [8].

[1] *Isa.* **11,** 1-2. — [2] *Jerem.* **23,** 5-6; cfr. **33,** 14-16. — [3] *Hebr.* **7,** 14. — [4] *II Tim.* **2,** 8; cfr. *Luc.* **1,** 31-33. — Cfr. FELDMANN, *Die Weissagungen über den Gottesknecht im Buche Jesaias*, 1908, (*Bibl. Zeitf.*, II, 10). — [6] *Malach.*, **3,** 1; *Isa.* **40,** 3. Cfr. *Mt.* **11,** 10. — [7] *Micheas*, **5,** 2. Bethlehem *Ephrata* (cfr. *Gen.* **35,** 19), ut distinguatur ab alia ejusdem nominis urbe in tribu Zabulon [*Jos.* **19,** 15-16], nimis parva erat, quam ut haberet chiliarcham sibi praepositum (SCHETS in h. l.). Cfr. *Mt.* **2,** 5-6. — [8] *Is.* **7,** 14. Prophetia haec uberius exponitur in *Marialogia*, (tract. *de Deo Redemptore*, n° **201**). Cfr. *Mt.* **1,** 18-23.

Erit mansuetus et misericors: „Non clamabit, neque accipiet personam, nec audietur vox ejus foris. Calamum quassatum non conteret et linum fumigans non extinguet; in veritate educet judicium" [1].

Ejus lumen, seu praedicatio, potissimum illustrabit Galilaeam: „Primo tempore alleviata est terra Zabulon et terra Nephtali, et novissimo aggravata est via maris trans Jordanem, Galilaea gentium; populus, qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam, habitantibus in regione umbrae mortis, lux orta est eis" [2].

Sensus: Terra Zabulon et Nephtali, juxta mare Genezareth, propter multos incolas gentiles Galilaea gentium vocata, a Judaeis contemni solebat, sed in novissimo tempore (scil. tempore Messiae) maxime honorabitur, quia ibi potissimum lux Messiae splendescet. Cfr. SCHETS, in h. l.

Miracula patrabit: „Deus ipse veniet et salvabit vos. Tunc aperientur oculi caecorum, et aures surdorum patebunt. Tunc saliet sicut cervus claudus, et aperta erit lingua mutorum" [3].

Jerusalem humilis ingredietur super asinum: „Filia Jerusalem: ecce rex tuus veniet tibi justus et salvator: ipse pauper et ascendens super asinam et super pullum, filium asinae" [4].

2°. *Passionem et mortem* Messiae respiciunt haec: **150**

Triginta argenteis aestimabitur: „Et appenderunt mercedem meam triginta argenteos. Et dixit Dominus ad me, projice illud ad statuarium, decorum pretium, quo appretiatus sum ab eis. Et tuli triginta argenteos, et projeci illos in domum Domini ad statuarium" [5].

---

[1] *Isa.* **42**, 2-3. Cfr. *Mt.* **12**, 19-20. — [2] *Isa.* **9**, 1-2, (cfr. *Biblica*, 1921, p. 215). Cfr. *Mt.* **4**, 14-16. — [3] *Isa.* **35**, 4-6. Cfr. *Mt.* **11**, 5. — [4] *Zach.* **9**, 9. Cfr. *Mt.* **1**, 2 seq. et loc. parell. [5] *Zachar.* **11**, 12-13. Cfr. *Mt.* **27**, 9, (cfr. *Ned. K. St.* 1922, p. 81).

Flagellabitur et conspuetur: „Corpus meum dedi percutientibus et genas meas vellentibus; faciem meam non averti ab increpantibus et conspuentibus in me" [1].

Morti tradetur ut sceleratus: „Sicut ovis ad occisionem ducetur, et quasi agnus coram tondente se obmutescet... Tradidit in mortem animam suam, et cum sceleratis reputatus est" [2]. Et alibi: „Occidetur Christus" [3].

Perforabuntur ejus manus et pedes: „Foderunt manus meas et pedes meos, dinumeraverunt omnia ossa mea" [4].

In siti aceto potabitur: „Dederunt in escam meam fel, et in siti mea potaverunt me aceto" [5].

Indignissime subsannabitur: „Omnes videntes me deriserunt me, locuti sunt labiis et moverunt caput. Speravit in Domino, eripiat eum; salvum faciat eum, quoniam vult eum" [6].

Vestes ejus dividentur: „Diviserunt sibi vestimenta mea, et super vestem meam miserunt sortem" [7].

Configetur: „Adspicient ad me, quem confixerunt" [8].

3°. Ad *exaltationem* pertinent:

Gloria sepulcri: „Dabit impios pro sepultura et divitem pro morte sua" [Hebraice: Dederunt sepulcrum ejus cum impiis, et [sed] cum divite est in morte sua] [9].

Incorruptio et victoria de morte: „Caro mea requiescet in spe. Non derelinques animam meam in inferno, nec dabis sanctum tuum videre corruptionem. Notas mihi fecisti vias vitae, adimplebis me laetitia cum vultu tuo; delectationes in dextera tua usque in finem" [10].

Impletionem harum prophetiarum in Christo habes ex locis Novi Test. jam indicatis.

[1] *Isa.* **50**, 6. Cfr. *Mt.* **26**, 67; **27**, 30. — [2] *Isa.* **53**, 7, 12. — [3] *Dan.* **9**, 26. — [4] *Ps.* **21**, 17-18. — [5] *Ps.* **68**, 22; cfr. *Ps.* **21**, 16. Cfr. *Mt.* **27**, 34. — [6] *Ps.* **21**, 8-9. Cfr. *Mt.* **27**, 39-43. — [7] *Ps.* **21**, 19. Cfr. *Mt.* **27**, 35. — [8] *Zachar.* **12**, 10. Cfr. *Jo.* **19**, 37. — [9] *Isa.* **53**, 9. Cfr. *Mt.* **27**, 57-60. — [10] *Ps.* **15**, 9-11. Cfr *Act.* **2**, 31.

IV. Prophetiae de muneribus Messiae. 151

1⁰. Futurus Messias annuntiatur ut *propheta* eximius, i.e. ut legatus Dei ad docendum homines.

„Prophetam de gente tua et de fratribus tuis, sicut me [Mosem], suscitabit tibi Dominus Deus; ipsum audies" [1].

„Feriam vobiscum pactum sempiternum, misericordias David fideles. Ecce testem populis dedi eum, ducem ac praeceptorem „gentibus" [2].

„Spiritus Domini super me, eo quod unxerit Dominus me; ad annuntiandum mansuetis misit me, ut mederer contritis corde, et praedicarem captivis indulgentiam et clausis apertionem" [3].

„Ecce servus meus ... Dedi spiritum meum super eum, judicium gentibus proferet ... Et legem ejus insulae exspectabunt ... Et dedi te in foedus populi, in lucem gentium" [4].

Textus allati non solum ostendunt, quod Messias erit eximius propheta, sed etiam quod erit *novi* et *universalis foederis initiator*.

Ceterum foedus *novum* aperte promittit JEREMIAS: „Ecce dies venient, dicit Dominus, et feriam domui Israel et domui Jacob foedus novum, non secundum pactum quod pepigi cum patribus eorum, in die qua apprehendi manum eorum, ut educerem eos de terra Aegypti ... Sed hoc erit pactum, quod feriam cum domo Israel post dies illos: dabo legem meam in visceribus eorum, et in corde eorum scribam eam; et ero eis in Deum, et ipsi erunt mihi in populum" [5].

---

[1] *Deut.* **18**, 15. — Spectato contextu locus intellegendus videtur non de solo Messia, sed de tota serie prophetarum, quos Deus post Mosem missurus erat, incluso tamen Messia. Prophetiam tempore Christi de Messia intellectam fuisse, patet ex *Jo.* **1**, 45; **5**, 45-47; **6**, 14, maxime vero ex *Act.* **3**, 22 et **7**, 37. Atque ex his locis *nobis saltem christianis* certum est, nomen „prophetam" *Deut.* **18**, 15 etiam et principaliter Christum comprehendere. Cfr. HUMMELAUER, in h. l. — [2] *Isa.* **55**, 3-4. — [3] *Isa.* **61**, 1. — [4] *Isa.* **42**, 1, 6. — [5] *Jer.* **31**, 31-33.

Universalitatem novi foederis docet ISAIAS: „Parum est, ut sis mihi servus ad suscitandas tribus Jacob et faeces Israel convertendas. Ecce dedi te in lucem gentium, ut sis salus mea usque ad extremum terrae" [1].

152 2°. Annuntiatur ut *sacerdos.*

Semetipsum offeret hostiam pro peccatis hominum: „Vere languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit... Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra. Disciplina pacis nostrae super eum, et livore ejus sanati sumus... Posuit Deus in eo iniquitatem omnium nostrum. Oblatus est, quia ipse voluit... Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longaevum" [2].

Ita autem multas gentes spirituali sanguinis sui aspersione sanctificabit: „Iste asperget gentes multas" [3].

Praeterea de Messia dicitur: „Tu es sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech" [4]; et promittitur institutio novi sacrificii incruenti, in omni loco offerendi [5].

3°. Annuntiatur ut *rex.*

„Ego autem constitutus sum rex ab eo super Sion montem sanctum ejus" [6].

Regnum autem ejus describitur ut regnum *justitiae et pacis*, quod omnibus gentibus afferet benedictionem: „Judicabit pauperes populi et salvos faciet filios pauperum et humiliabit calumniatorem... Orietur in diebus ejus justitia et abundantia pacis... Benedicentur in ipso omnes tribus terrae, omnes gentes magnificabunt eum" [7]. — Describitur ut regnum *perpetuum*: Permanebit cum sole et ante lunam, in generatione et generationem... donec auferatur luna" [8]. — Describitur ut regnum *universale*: „Postula a me, et dabo tibi

[1] *Isa.* **49**, 6. — [2] *Isa.* **53**, 4-10. — [3] *Isa.* **52**, 15; cfr. *Levit.* **16**, 18-19. — [4] *Ps.* **109**, 4. — [5] *Malach.* **1**, 11. — [6] *Ps.* **2**, 6. — [7] *Ps.* **71**, 4, 7, 12-13, 17. — [8] *Ps.* **71**, 5, 7.

gentes haereditatem tuam et possessionem tuam terminos terrae" ... „Dominabitur a mari usque ad mare et a flumine usque ad terminos orbis terrarum. Adorabunt eum omnes reges terrae, omnes gentes servient ei" [1].

Corollarium. Vides Messiam annuntiari modo ut *regem* **153**
potentissimum [2], modo ut virum *humilem et mansuetum, non armis aut saeculari potentia sed spiritualibus tantum donis insignem* [3], modo ut *ultimae miseriae subjectum* [4]. Quomodo haec omnia cohaererent, ante eventum valde obscurum esse debuit. Attamen post eventum videmus, ipsos etiam prophetas cohaerentiam aliquatenus saltem indigitasse. ISAIAS insinuat, quod Messias humili loco nascetur [5], absque clamore aut violentia justitiam annuntiabit [6], et nonnisi patiendo et moriendo ad regnum suum perveniet: „Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longaevum et voluntas Dei in manu ejus dirigetur. Pro eo, quod laboravit anima ejus, videbit et saturabitur: in scientia sua justificabit ipse justus servus meus multos, et iniquitates ipsorum ipse portabit. Ideo dispertiam ei plurimos, et fortium dividet spolia" [7]. Etiam ZACHARIAS satis indicat, Messiam humilem ac mansuetum, non vi et armis dominaturum esse, sed modo pacifico ad regnum universale esse perventurum: „Exsulta satis, filia Sion, jubila, filia Jerusalem. Ecce rex tuus veniet tibi justus et salvator, ipse pauper et adscendens super asinam et super pullum, filium asinae. Et disperdam quadrigam ex Ephraim et equum de Jerusalem, et dissipabitur arcus belli, et loquetur pacem gentibus, et potestas ejus a mari usque ad mare et a fluminibus usque ad fines terrae" [8].

---

[1] *Ps.* **2**, 8; **71**, 8-11. — [2] V g. *Ps.* **109**, et *Isa.* **9**, 6-7.. — [3] *Isa.* **11**, 1-5; **42**, 1-4; **61**, 1-3; *Zach.* **9**, 9-10. — [4] *Ps.* **21**; *Isa.* **52**, 14; **53**. — [5] *Isa.* **7**, 15; **53**, 2. — [6] *Isa.* **42**, 2-3; **61**, 1. — [7] *Isa.* **53**, 10-12. — [8] *Zachar.* **9**, 9-10.

Simul vides, ideam illam, quam Judaei carnales de Messia conceperant, ac si politica dominatione praevaleret, non eam esse, quam revera docet Scriptura Vet. Test., si tota simul sumitur. Licet enim quaedam vaticinia huic opinioni favere videantur, alia eam excludunt.

154 *Impletio.* Jesum nazarenum fuisse *prophetam*, seu doctorem omnium praestantissimum, et *novae oeconomiae initiatorem*, indubium est.

Fuit etiam *sacerdos*, semetipsum enim obtulit in sacrificium pro discipulis suis, imo pro universo genere humano [1]. Praeterea ipse in ultima coena instituit sacrificium incruentum, quod ratione elementorum visibilium, panis scil. et vini, magnam habet similitudinem cum sacrificio Melchisedech[2], et quod jam per novemdecim saecula in diversissimis locis offerri consuevit.

Denique Jesus nazarenus fuit et est *rex*, non temporalis, sed *spiritualis* [3]. Instituit enim et in perpetuum gubernat (tum invisibiliter per seipsum, tum visibiliter per vicarios suos) Ecclesiam catholicam, regnum justitiae et pacis, regnum universale et indefectibile; uti latius dicetur in tractatu *de Ecclesia*.

155 V. **Prophetiae de tempore, quo Messias adveniet.**

Ad determinationem temporis, quo Messias veniret, quatuor vaticinia faciunt.

---

[1] „Et pro eis ego sanctifico meipsum, ut sint ipsi sanctificati in veritate." *Jo.* **17,** 19. — „Animam meam pono pro ovibus meis." *Jo.* **10,** 15. — „Unus mediator Dei et hominum homo Christus Jesus, qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus". *I Tim.* **2,** 5-6. — [2] *Luc.* **22,** 19-20; cfr. *Gen.* **14,** 18. — [3] „Respondit Jesus [Pilato]: Regnum meum non est de hoc mundo... Dixit itaque ei Pilatus: Ergo rex es tu? Respondit Jesus: Tu dicis, quia rex sum ego". *Jo.* **18,** 36-37.

1°. *Vaticinium Jacob.* Jacob moriturus ad filios suos dicit: „Congregamini, ut annuntiem, quae ventura sunt vobis in diebus novissimis." Mox Judae promittit victoriam de inimicis et dominationem inter fratres, et deinde addit: „Non auferetur sceptrum de Juda et dux de femore ejus, donec veniat qui mittendus est [שִׁלֹה] et ipse erit exspectatio gentium" [1].

Sceptrum est insigne potestatis, quae tamen non necessario intellegenda est regia, sed indeterminate cujuslibet formae dominatio. Loco verborum: „et dux de femore ejus" legendum videtur ex hebraeo: „et baculus [pastoralis] de inter pedes ejus". Et ita uterque hemistichius eundem sensum exhibet: non auferendum esse principatum seu dominationem a tribu Juda, donec...

Multum disputatur de voce שִׁלֹה, quam s. Hieronymus vertit: „qui mittendus est", alii „pacificator" vel is „cui repositum est" sceptrum, cet [2]. Parum refert, quid praecise litera habuerit, certo enim significatur Messias, ut patet ex addito: „et ipse erit exspectatio gentium" vel, ut alii legunt: „ipsi obedientia populorum" [3]. Revera non solum christiani

---

[1] *Gen.* **49**, 1, 8-10. — [2] Cfr. v. g. HUMMELAUER et CRELIER in h. l.; SEIDL in *Der Katholik*, 1900, I, p. 159; BURG in *Past. bonus* XXVI, p. 257; LAGRANGE, in *Rev. Bibl.*, 1898, p. 525; SLOET in *De Kath.*, 1910, tom 137, p. 443; ZAPLETAL, *Alttestamentliches*, 1903, p. 26. — [3] Explicatio plurium rationalistarum: „donec veniat in Silo [urbem]", *Jos.* **18**, 1, cunctis versionibus et interpretibus antiquis contraria est, et excluditur per incisum subsequens; „ipse erit exspectatio gentium". Traductio Neerlandica V. T., cujus impressionem curavit DR. H. OORT, (a. 1899), habet: *„Totdat er een komt, wien stammen gehoorzamen"*, et intellegit Jeroboam. At: **a.** vox עַמִּים in plurali, etsi aliquoties de tribubus Israël adhibetur, plerumque tamen populos gentiles significat (cfr. OTTIGER, *Theol. fund.* I, p. 558). Praeterea **b.** hanc significationem suadet analogia et continuitas promissorum. Quum enim Abrahae, Isaac et Jacob jam promissum erat,

omnes, sed etiam veteres judaei „raro consensu" locum de Messia intellexerunt [1].

Vox *donec* aut ita accipi potest, ut dicatur principatum (terrenum) auferendum esse a Juda in adventu Messiae; aut ita ut significetur, principatum (indeterminate acceptum) perpetuo permansurum esse apud Judam et ita quidem ut tandem aliquando in Messia ad ipsas gentes extendatur. Haec altera explicatio, attentis praesertim prophetiis posterioribus de throno davidico in perpetuum stabiliendo [2], praeferenda videtur.

Impletio. Si „donec" primo modo accipitur, prophetia tempus Messiae positive determinat; impletio autem ostenditur hoc modo: quum primus alienigena, Herodes Idumaeus, in judaeos regnaret, natus est Jesus nazarenus, de quo eventus comprobavit, quam merito ut „exspectatio gentium" fuerit annuntiatus. Cui, quum gentes obedire jam incepissent, sceptrum temporale totaliter et irreparabiliter a Juda ablatum est in eversione Jerosolymae. Et haec explicatio inter theologos et exegetas antiquiores communior fuit.

Si vox „donec" altero modo accipitur, dicendum est, prophetiam non nisi negative et post eventum conferre ad tempus Messiae cognoscendum, in quantum scil. ex ea concludere licet: Messias saltem advenire debuit antequam Juda quamlibet alterius nominis dominationem manifeste et irreparabiliter perdidit. Sane si unus aliquis ex Juda prognatus

quod in eorum semine benedicerentur omnes gentes terrae, pronum omnino est dicere, antiquam illam promissionem hoc loco in Judam refundi. c. Nova haec traductio simpliciter omittit vocem שִׁלֹה quam, utut obscuram et aenigmaticam, veteres judaei „raro consensu" de Messia intellexerunt. Quod profecto non sine aliqua causa fecerunt.

[1] Ita ROSENMÜLLER, (rationalista), *Schol. in Gen.* **49**, 10; Cfr. POSNANSKI, *Schiloh, ein Beitrag zur Geschichte der Messiaslehre*, 1904. — [2] *II Reg.* **7**, 12-16, *Ps.* **88**, 29-38; cfr. *I Paral.* **28**, 4.

obedientiam gentium jam obtinuit et tribus Juda eodem ferme tempore omnem alterius formae dominationem definitive amisit, concludendum erit: unus ille, per quem tribus Juda jam gentibus dominatur, et extra cujus regnum nullum prorsus sceptrum habere noscitur. debuit esse promissus Messias. Porro, ex quo a. 70 tota respublica judaeorum definitive abolita fuit, omnis cujuslibet formae principatus terrenus a Juda ablatus est, quum paulo ante hanc potestatis territorialis destructionem ex tribu Judae podierit Jesus nazarenus, cui gentes obedierunt.

Quomodo sceptrum manserit apud Judam usque ad tempus 156
Christi. — Ex iis quae *Num.* **1**, 26, 27; **2**, 3; **10**, 14; *Jud.* **1**, 1, 2; **20**, 18 legantur, patet, tribum Juda jam in deserto et sub judicibus peculiariter eminuisse. Sub David et Salomone gloriose dominabatur in omnes tribus. A Roboam usque ad captivitatem babylonicam dominabatur in Benjamin et Levi, nec non in multos ex aliis tribubus ad regnum Judae transeuntes [1]; praeterea Juda (cum Benjamin cet.) numero et opibus fere aequabat reliquas decem tribus. Tempore captivitatis babylonicae habetur suspensio sceptri ad tempus relative breve, secundum ipsas prophetias posteriores [2] in poenam inflicta. Post finem captivitatis Juda cunctis redeuntibus ita dominabatur, ut omnes hebraei ex quacumque tribu oriundi a Juda nomen *Judaeorum* acceperint [3]. — Haec secundum sententiam, quam probabiliorem ducimus. Non desunt enim qui dicant, sceptrum, inde a captivitate babylonica de facto

[1] *II Paral.* **11**, 13-17. — [2] Cfr. *II Reg*, **7**, 12-16; *Ps.* **88**, 29-38. — [3] BOSSUET: „Ce fût Zorobabel de la tribu de Juda et du sang des rois, qui les ramena de la captivité. Ceux de Juda reviennent en foule et remplissent tout le pays. Les dix tribus dispersées se perdent parmi les gentils, à la réserve de ceux, qui *sous le nom de Juda et réunis sous ses étendards* rentrent dans la terre de leurs pères" (*Discours s. l'hist. univers.* p. II, 8),

ablatum, non nisi *secundum jus* apud Judam permansisse; ablationem vero actualem non magis obstare huic prophetiae quam promissioni de throno aeterno Davidi factae (*II Reg.* 7, 12-16; *Ps.* 88, 29-38)[1].

157 2°. *Vaticinium Daniel.* Daniel propheta in captivitate babylonica constitutus, quum animo revolveret promissiones Jeremiae de liberatione populi post annos septuaginta[2], inter orandum a Gabriele archangelo de adventu Messiae, veri scil. liberatoris, edocetur.

Dan. 9, 24-27: „Septuaginta hebdomades abbreviatae[3] sunt super populum tuum et super urbem sanctam tuam, ut consummetur praevaricatio, et finem accipiat peccatum, et deleatur iniquitas, et adducatur justitia sempiterna, et impleatur visio et prophetia, et ungatur sanctus sanctorum[4]. (25) Scito ergo et animadverte: ab exitu sermonis ut iterum aedificetur Jerusalem usque ad christum ducem hebdomades septem et hebdomades sexaginta duae erunt: et rursus aedificabitur platea et muri in angustia temporum. (26) Et post hebdomades sexaginta duas occidetur[5] christus; et non erit ejus populus, qui eum negaturus est[6]. Et civitatem et sanctuarium dissipabit

---

[1] Cfr. v.g. PESCH, *Prael. dogm.* I, n° 225; HOBERG, *Die Genesis*, in h.l.; SCHUSTER-SELBST, *Handb. d. Bibl. Gesch.* I, n° 225. — [2] *Dan.* 9, 2; cfr. *Jer.* 25, 11-12; 29, 10. — [3] *Abbreviatae* i. e. determinatae, praefinitae. — [4] *Sanctus sanctorum* = sanctissimus, est ipse Messias, in incarnatione divinitate unctus atque ut talis publice declaratus in suo baptismate (*Mt.* 3, 16). Quum tamen textus hebraeus nomina abstracta habeat: *sanctitas sanctitatum*, plures non personam Messiae intellegunt, sed spirituale quod aedificavit sanctuarium, scil. Ecclesiam, unctam Spiritu Sancto in die Pentecostis (*Act.* 2). — [5] *Occidetur*: vox hebraea designat mortem violentam, qualis pro gravibus delictis infertur. — [6] Loco verborum: *Et non erit ejus populus, qui eum negaturus est,*

populus cum duce venturo: et finis ejus vastitas et post finem belli statuta desolatio (27) Confirmabit autem pactum multis hebdomada una; et in dimidio hebdomadis deficiet hostia et sacrificium [1]; et erit in templo abominatio desolationis, et usque ad consummationem et finem perseverabit desolatio."

De hac prophetia id unum *certum* atque communi patrum ac theologorum sententia firmatum est, *bona v. 24 enumerata esse bona messiana* ex quo sequitur sensum messianum non posse totaliter excludi. In reliquis explicatio vere unanimis prophetiae secundum sensum literalem desideratur[2].

Omnes conatus explicationis ad tres classes reduci possunt [3]: **157a**

a. *Explicatio eschatologica* [4]. — Secundum hanc sententiam „septuaginta hebdomades" symbolizant totam theocratiae historiam, quae dividitur in tres partes. Numero „septem" symbolizatur tempus adventus Messiae cui omnis potestas in coelis et in terris competit. Sequitur periodus inter primum et secundum adventum Domini, tempus consiliorum Dei absconditorum, symbolizatum numero „sexaginta duae". „Una hebdomade" ultima tandem significatur tempus parousiae omniumque eam concomitantium.

Explicatio haec, quae fructus est vagi et arbitrarii mysticismi, gratis asseritur et communiter rejicitur.

---

in hebraeo habetur וְאֵין לוֹ *et non ei.* KNABENBAUER, *in h.l.* putat sensum esse: mors Messiae illata non nocebit ipsi, sed populo et civitati, ut patet ex sequentibus. Alii: *absque sua culpa;* alii aliter.

[1] Hebraice: *sacrificium et fertum* = sacrificium cruentum et incruentum. — [2] Cfr. MEIGNAN, *Les derniers prophètes*, p. 101 et 103, — [3] Cfr. DR. EDMUND BAYER, *Danielstudien*, 1912 (*Alttestam. Abhandlungen*, T. III, 5), p. 74 seq. — [4] WOLF, *Die 70 Wochen Daniels*, cuius sententiam compendiose refert KAMPHAUSEN, in *Theol. Literaturzeitung*, 1889, p. 321. Inter veteres hanc sententiam sequi videntur Apollinaris a Laodicea et Hesychius.

b. *Explicatio mere historica* [1]. — Supposito, quod liber Danielis non est propheticus sed primario historicus, conscriptus ab auctore incognito tempore Machabaeorum, haec sententia asserit: v. 24 promitti quidem *bona vere messiana*, quae reapse diu post septuaginta hebdomades adventura erant [2], sed in reliquis sub forma apocalyptica referri historiam *praeteritam* populi Israel usque ad Antiochum Epiphanem. Haec historia dividitur in tres periodos.

Prima currit ab anno circiter 587 usque ad annum 536 a. C. Ut terminus a quo sumitur exitus sermonis, id est, prophetiae Jeremiae de reaedificatione civitatis sanctae (quam Daniel recogitabat) [3]; ut terminus ad quem sumitur annus primus regni Cyri, qui jussit restaurare templum jerosolymitanum [4].

Secunda periodus — „hebdomades sexaginta duae" —, in qua „aedificabitur platea et muri in angustia temporum", incipit ab anno 536, et finem accipit anno 171 a. C. in quo occisus est „christus", np. summus pontifex Onias III [5].

[1] Jam exhiberi videtur in *versione alexandrina* Danielis; defenditur inter veteres a JULIO HILARIANO, HARDUINO et CALMET (*Dissert.*); recentiorum inter protestantes est fere communis, dum inter catholicos defenditur a LAGRANGE (*Rev. Bibl.* 1904, p. 449,) contra quem scripsit Hontheim in *Der Kath.*, 1906, II p. 260) et BAYER (*o. c.* p. 78 seq. „*die zeitgeschichtliche Deutung*"). Referimus imprimis explicationem secundum Bayer, qui expresse declarat suam sententiam non esse nisi *hypothesim*. — [2] Ad objectionem quod bona messiana dicuntur eventura ante finem 70 hebdomadum, respondetur a Bayer, in prophetiis, non indicato temporum intervallo, saepe conjungi varios eventus, nexu causali aut typico cohaerentes sed ordine chronologico longissime distantes, ut v.g. in praedictione Christi de parousia; cfr. supra n° **146**. — [3] *Jerem.* **30,** 18 (secundum alios **25,** 11 aut **29,** 10); cfr. *II Paral.* **36,** 20-23. Notandum est „Danielem", secundum Bayer, mutuasse a I et II Paral. necnon a I et II Esd. — [4] Cfr. *II Paral.* **36,** 22. — Consuetudo antiqua erat ungendi ducem seu regem, unde de Cyro dicitur: „ad christum ducem". — [5] Legatur *II Mach.* **4**: cfr. *Dan.* **11,** 22.

Tertia est periodus unius hebdomadae ab anno 171 usque ad annum 164 a. C. Per hanc unam hebdomadem dissipabitur civitas et sanctuarium, deficiet hostia et sacrificium et erit in templo abominatio desolationis sub tyrannide Antiochi Epiphanis, uti in extenso narrant libri Machabaeorum [1].

Hanc sententiam, quamvis ingenuose inventam neque dogmati contrariam, admittere non possumus, ne quidem ut hypothesim vere probabilem. — Primo enim desunt argumenta solida; deinde multiplici difficultate premitur; nam *α.* in suis suppositionibus de aetate, auctore et charactere libri Danielis contradicit intellectui traditionali; *β.* minus consonat cum sensu magisterii ecclesiastici [2], quin imo *γ.* contradicere videtur ipsi Christo, „abominationem desolationis, quae dicta est a Daniele propheta" ut suo tempore adhuc futuram praedicenti[3]; *δ.* non explicat, quare secunda periodus 62 hebdomadum loco 434 nonnisi 365 annos (np. ab a. 536 usque ad a. 171 a. C.) comprehendat [4].

c. *Explicatio messiana.* — Sententia *communior*, quae **157b** nititur intellectui traditionali et quam *veriorem* putamus, habet, „unctum ducem" qui praedicatur occidendus, in sensu literali intellegendum esse Messiam, proinde septuaginta hebdomades abbreviatas perducere ad tempus Messiae.

[1] *Dan.* **9**, 26 cfr. cum *I Mach.* **1**, 30-41; *Dan.* **9**, 27 cfr. cum *I Mach.* **1**, 12-14, *II Mach.* **4**, 7 seq. et *I Mach.* **1**, 57-62. — [2] S. Congr. Consist. die 22 Oct. 1912 Archiepiscopo Senensi roganti propter quosnam errores liber auctoris Holzhey damnatus esset, respondit i.a.: „characterem prophetiae messianae LXX hebdomadum multum diminuit ne dicam omnino negat"; cfr. *Ned. K. St.*, 1913, p. 41. — [3] *Mt.* **24**, 15. — [4] Ipse BAYER, (o. c. p. 86-87) concedit: „Es musz also hier, wenn man die zeitgeschichtliche Deutung festhalten will, angenommen werden, dasz Dn. die Länge dieses Zeitraumes nicht gekannt und also hier einen chronologischen Irrtum begangen habe".

Praesupposita itaque veritate hujus sententiae, dicitur, quod *Messias, ejusque bona* superius memorata *advenient intra septuaginta hebdomades* ab exitu edicti reaedificandi Jerusalem; quod tempus mox in tres partes dividitur.

Intra *septem primas* hebdomades restituentur „platea et muri": integra restauratio materialis et moralis urbis Jerusalem cum suis muris „in angustia temporum", seu inter multas difficultates [1].

Post *sexaginta duas ulteriores* hebdomades (igitur: post sexaginta novem hebdomades ab edicto aedificandi urbem), aderit jam „unctus dux", mox violenta morte interimendus. Occisioni Messiae connectitur destructio templi et civitatis; unde pronum est, accipere ruinam illam ut sequelam et poenam occisionis Uncti. Non asseritur tamen, quod statim sequetur, neque quod locum habebit intra septuaginta hebdomadum ambitum.

Una, quae superest hebdomada, scil. *septuagesima* „confirmabit pactum multis," i.e. in illa hebdomada foedus novum, a Deo promissum [2], instituetur et firmum reddetur in perpetuum. Praeterea in *dimidio illius hebdomadae* deficiet hostia et sacrificium, i. e. sacrificia tum cruenta, tum incruenta legis mosaicae finem accipient.

158 *Quales sint septuaginta illae „hebdomades"?* Vox שָׁבוּעַ cyclum septenarium, septimanum significat. Judaei autem, quamvis ipsis sicut et nobis usitatissimae fuerint dierum septimanae, propter legem de anno sabbatico etiam septimanas annorum noverant [3]. Quum autem dierum septimanae ipsa sua brevitate satis excludantur, restat, ut angelus annorum

---

[1] Alii tamen sentiunt, fini priorum septem hebdomadum non respondere eventum determinatum. Reapse prophetia *non aperte* dicit, quid post septem hebdomades completum erit. — [2] Cfr. *Jer.* 31, 31. — [3] *Levit.* 25, 8; cfr. *Gen.* 29, 18, 28.

septimanas intellexerit; quo posito 70 *hebdomades efficiunt* 490 annos. Nec defuit ratio, quare angelus hoc temporis spatium sub nomine septuaginta hebdomadum significaverit: occasio prophetiae nostrae erat meditatio Danielis de septuaginta annis captivitatis, unde non incongrue cum liberatione a captivitate babylonica post annos septuaginta connectitur magna et vera liberatio per Messiam intra septuaginta annorum septimanas.

Quinam sit terminus, a quo septuaginta hebdomades incipiant?

Incipiunt „ab exitu sermonis, ut iterum aedificetur Jerusalem"; quae verba omnino videntur intellegenda de aliquo decreto principis, restaurationem urbis atque murorum permittente aut jubente.

Et quamvis hac in re variae dentur sententiae, exegetae communius stant aut pro decreto, quod Artaxerxes I Longimanus edidit in anno septimo regni sui [1], aut imprimis pro decreto ejusdem Artaxerxis in anno vicesimo regni sui [2].

Jam inter recentiores certum videtur, Artaxerxem inde ab a. 465 a. C. solum regnasse, quum jam antea per aliquot annos (ab a. 473?) simul cum patre suo regnasset. Qui igitur optant pro decreto anni septimi, numerare solent annos quos Artaxerxes solus regnavit, et ita docent septuaginta hebdomades incipere a. 458 a. C. Qui vero optant pro decreto anni vicesimi, sentiunt etiam numerandos esse annos, quos Artaxerxes una cum patre suo regnaverat, et ita ponunt septuaginta hebdomades incipere a. 453 a. C. — Ceterum omnes concedere debent, hos numeros non ita ratos esse, ut dif-

[1] *I Esdr.* 7; 9, 9. Observa tamen, plures recentiores cum v. Hoonacker missionem Esdrae ponere *post* missionem Nehemiae. Quodsi verum fuerit, decretum *I Esdr.* 7, non est Artaxerxis Longimani, sed Artaxerxis II Mnemon, et ponendum est a. 398 a. C. — [2] *II Esdr.* 2, 1-8. Hoc tantum decreto explicite permittitur restauratio murorum.

ferentia unius aut alterius anni excludatur. Quum enim annus primus Artaxerxis, sicut et initia aliorum regum hujus temporis, inveniri debuerit computatione annorum, quos singuli principes regnarunt, error paucorum annorum facile irrepere potuit.

159 *Impletio.* Quia ipsum annum, quo computatio septuaginta hebdomadum inchoanda sit, nescimus, impletio prophetiae mathematice verificari, cum certitudine saltem, non potest [1]. Nihilominus satis constat, vaticinium Danielis in Jesu nazareno impletum esse. Diversae enim quae proponuntur computationes, etsi in particularibus discrepant, omnes cum differentia paucorum dumtaxat annorum conducunt ad a. 30 aërae christianae [2].

Atqui circa illud tempus, et generatim ante urbis templique eversionem, nullus alius assignari potest, in quem prophetia cadere queat, praeter Jesum nazarenum. Jesus autem, in suo baptismate visibiliter unctus a Spiritu Sancto, secundum vulgatam sententiam per tres annos cum dimidio praedicavit; quibus expletis die 7 Aprilis a. 30 (= 783 p. U. c.) violentam mortem subiit ad expianda humani generis peccata et ad adducendum regnum justitiae [3]. Tunc igitur, in dimidio scil.

[1] Praeterea nec de anno quo Christus natus est, nec de anno quo vitam publicam inchoavit, certo constat. *Aëra christiana* inchoatur quidem ab a. *754 U. c.* (= urbis Romae conditae), sed omnes fere ponunt circumcisionem Domini locum habuisse non a. 754 U. c., sed aliquot annos antea: a. 746-752 U. c. — [2] Varias computationes invenies apud exegetas. Nuper propositae sunt duae computationes, quae suppositis supponendis plane accurate concludunt; alteram proposuit RASKA in *Theol. Prakt. Quartals.*, (Linz), 1904, p. 1 (relationem compendiosam in *Nat. u. Offenb.*, 1904, p. 294); alteram longe probabiliorem proposuit HONTHEIM in *Der Katholik*, 1906, II, p. 97. — [3] Cfr. P. GROENEN, *Het lijden en sterven van O. H. Jesus Christus*, 1919, Ed. 2, p. 455 seq.

ultimae hebdomadae, scisso templi velo [1], cultus mosaicus jure saltem et acceptabilitate defecit. Eadem septuagesima hebdomada, quum institutionem et primam diffusionem Ecclesiae viderit, revera confirmavit pactum multis. Denique post annos c. 40 „populus cum duce venturo" templum et urbem jerosolymitanam dissipavit, eo quod non cognovit tempus visitationis suae[2], i. e. quia unctum ducem suscipere noluit.

3°. *Vaticinium Aggaei* [3]. Quum Judaei, ex captivitate baby- 160
lonica reduces, nimium dolerent de humilitate templi sub Zorobabel restituti, Aggaeus edixit, gloriam templi jerosolymitani fore majorem in futuro, quam umquam antea fuerat, idque ratione futuri Messiae et pacis messianae.

Agg. 2, 7-10: „Haec dicit Dominus exercituum: adhuc unum modicum est [4], et ego commovebo coelum et terram, et mare et aridam. Et movebo omnes gentes, et veniet desideratus cunctis gentibus [5], et implebo domum istam gloria, dicit Dominus exercituum. Meum est argentum et meum est aurum, dicit Dominus exercituum. Magna erit gloria domus istius novissimae plus quam primae [6], dicit Dominus exer-

[1] *Mt.* 27, 51. — [2] Cfr. *Luc.* 19, 41-44 — [3] A. VAN HOONACKER, *Les douze petits prophètes*, 1908. p. 563. — [4] Sensus est: *adhuc semel, post modicum tempus*, respectu scil. temporis jam elapsi. — [5] Loco verborum: *et venit desideratus cunctis gentibus*, in hebraeo legitur: וּבָאוּ חֶמְדַּת כָּל־הַגּוֹיִם: *Et veniunt desiderium* [*desiderabilia, pretiosa*] *cunctarum gentium*. Consonat versio LXX. Quum igitur versio s. Hieronymi directe designet adventum Messiae, textus hebraeus immediate significat conversionem gentium, se suaque Deo offerentium, quod utique ipsius Messiae adventum supponit. — [6] Textus hebraeus, cui consonat LXX, habet: *Magna erit gloria domus istius novissima plus quam prima*. Et ita non praecise opponuntur templum Zorobabel et templum Salomonis, sed potius gloria novissima *templi jerosolymitani*, quod, utut materialiter renovatum sub Zorobabel et iterum sub Herode idumaeo, con-

cituum, et in loco isto dobo pacem [1], dicit Dominus exercituum".

Sensus. Deus, qui in conditione antiqui foederis terram commovit miraculis suis [2], mox commovebit omnes gentes, ut donaria pretiosa offerant in Domo Dei (quod jam imperfecta quadam ratione contigit tempore Machabaeorum [3], perfecte autem impletum est post adventum Messiae, quando gentes conversae se suaque obtulerunt Deo in templo suo spirituali, scil. in Ecclesia, cujus typus erat templum jerosolymitanum). Ipsum autem templum jerosolymitanum tandem aliquando maximam suam gloriam acquiret ex eo, quod in illo Dominus dabit pacem: ipsum Messiam, omnium bonorum messianorum fontem.

Hinc autem concluditur, Messiam esse venturum *stante adhuc templo* jerosolymitano.

161 4°. *Vaticinium Malachiae.* Quod Aggaeus paulo obscurius significaverat, id clare annuntiat Malachias: Messiam appariturum esse in templo jerosolymitano [4].

Malach. 3, 1: „Ecce ego mitto angelum meum, et praeparabit viam ante faciem meam. Et statim [5] veniet ad templum suum Dominator, quem vos quaeritis, et angelus testa-

---

sideratur ut *moraliter unum* idemque sanctuarium inde a Salome usque ad destructionem definitivam. Hinc eliminatur quaestio, quomodo templum quod Dominus ingressus est, non obstante renovatione Herodis (*Jo.* 2, 20), fuerit idem ac templum Zorobabel.

[1] *Pax* est complexio quaedam et summa omnium beneficiorum, quae Messias afferet. Hinc Messias ab Isaia (9, 6) vocatur: „princeps pacis", a Michaea antonomastice: *pax*, „Et erit iste pax" (5, 5). — [2] *Exod.* 19, 16; *Deut.* 5, 23; *Ps.* 67, 8-9; cfr. *Hebr.* 12, 26. — [3] Cfr. *II Mach.* 3, 2; 5, 16. — [4] V. HOONACKER, o. c., p. 730. — [5] *Statim*, i. e. immediate aut, secundum textum habraeum, inopinato; quia multi praecursorem non audient, ideoque non praeparabuntur.

menti, quem vos vultis. Ecce venit, dicit Dominus exercituum."

Sensus. Dominator, quem Judaei desiderabant, qui mittendus erat ad novum foedus condendum, non alius esse potest, quam promissus Messias. Messias autem, cujus divinitas hoc loco satis clare significatur [1], veniet ad templum suum, i. e. ad templum jerosolymitanum, unicum tunc veri Dei sacrarium legitimum. Necesse igitur est, ut post aliquem praecursorem, divinitus missum, ipse Messias advenerit *stante adhuc templo jerosolymitano.*

Impletio utriusque prophetiae. Jesus nazarenus, „novi testamenti mediator" [2], in cujus nativitate angeli pacem hominibus accantarunt [3], cui innumerae gentes adhaeserunt, praenuntiatus a Joanne Baptista, advenit stante adhuc templo, quod saepius intravit, et in quo seipsum ut omnis gratiae et pacis fontem exhibuit [4]. In hunc igitur utriusque prophetiae notae optime quadrant; et quidem in hunc solum, nemo enim alius in templo jerosolymitano apparuit, cui vaticinia praedicta applicari queant.

Nota. Quum posteriores rabbini intellegerent, tempus, quo Messias secundum vaticinia prophetarum advenire debuisset, jam diu elapsum esse, computationes temporum prohibuerunt. Hinc v.g. MAIMONIDES [5] (s. XII): „Sapientes, quorum memoria in benedictione sit, interdixerunt nobis terminos adventus Messiae computare, quia plebs scandalizatur in eo, quod

[1] Etenim **a.** vocatur הָאָדוֹן (= Dominator), quae vox de solo Deo adhibetur. **b.** Venit ad templum *suum*; solus autem Deus est templi dominus. **c.** Idem est praeparare viam Dominatori venturo et praeparare viam ante faciem Domini exercituum. — [2] *Hebr.* **9**, 15. — [3] *Luc.* **2**, 14. — [4] *Jo.* **7**, 37-39. — [5] *Iggereth hatteman*, f. 125, 4; apud SEPP, *Leben Jesu*, IV, p. 282.

completa sunt tempora, et ipse nihilominus non apparuit. Quare sapientes [1] dixerunt: inflata disrumpantur ossa eorum, qui computant periodos temporum, quia scandalizant populum."

162 VI. **Prophetiae de regno Messiae** [2].

1°. Regnum messianum ut foedus perfectum *succedit in locum antiqui* et imperfecti *foederis*, a Deo initi cum gente judaica, unde *initium regni messiani coincidet cum fine veteris oeconomiae*.

Lege *Jerem.* **31**, 31-33; *Dan.* **9**, 24-27; *Malach.* **1**, 10-11.

2°. Regnum Messiae *a Jerusalem incipiet*, inde *annuntiabitur gentibus*, quarum *accessu continuo crescet*, et fiet *regnum universale*.

„Quia de Sion exibit lex, et verbum Domini de Jerusalem" [3].

„Et mittam ex eis, qui salvati fuerint, ad gentes in mare, in Africam et Lydiam, tendentes sagittam, in Italiam et Graeciam, ad insulas longe, ad eos, qui non audierunt de me et non viderunt gloriam meam. Et annuntiabunt gloriam meam gentibus: et adducent omnes fratres vestros de cunctis gentibus donum Domino" [4].

„Dilata [Sion!] locum tentorii tui, et pelles tabernaculorum tuorum extende; ne parcas! Longos fac funiculos tuos et clavos tuos consolida. Ad dexteram enim et ad laevam penetrabis. et semen tuum gentes hereditabit" [5].

---

[1] In *Talmude*, tract. *Sanhedrin*. — [2] Cfr. KNABENBAUER, *Die Idee der Kirche bei den Propheten des Alten Bundes*, in *Stimmen*, 1879, tom. 17, p. 117; SELBST, *Die Kirche J. Chr. nach den Weissagungen der Propheten*, 1883. — [3] *Mich.* **4**, 2; cfr. *Ps.* **109**, 2; *Isa.* **60**, 1-6. — [4] *Isa.* **66**, 19-20. [5] *Isa.* **54**, 2-3. Familiare prophetis est, regnum Messiae designare nominibus: *montis Sion, urbis Jerusalem, domus Israel*, aliarum rerum, quae typi illius regni exsistebant.

„Et erit: in novissimis diebus erit mons domus Domini praeparatus in vertice montium, et sublimis super colles, et fluent ad eum populi. Et properabunt gentes multae et dicent: venite, ascendamus ad montem Domini et ad domum Dei Jacob, et docebit nos de viis suis, et ibimus in semitis ejus" [1].

3°. Regnum Messiae *idololatriam auferet, abundabit scientia* **163**
rerum divinarum, et quidem *scientia indefectibili.*

„Et erit in die illa, dicit Dominus exercituum, disperdam nomina idolorum de terra, et non memorabuntur ultra" [2].

„Repleta est terra scientia Domini, sicut aquae maris operientes" [3].

„Dabo legem meam in visceribus eorum, et in corde eorum scribam eam, et ero eis in Deum, et ipsi erunt mihi in populum. Et non docebit ultra vir proximum suum, et vir fratrem suum, dicens: cognosce Dominum; omnes enim cognoscent me, a minimo eorum usque ad maximum, ait Dominus" [4].

„Hoc est foedus meum cum eis, dicit Dominus: spiritus meus, qui est in te, et verba mea, quae posui in ore tuo, non recedent de ore tuo, et de ore seminis tui, et de ore seminis seminis tui, dicit Dominis, amodo et usque in sempiternum" [5].

4°. Regnum Messiae conspicuum erit *remissione peccatorum,* **164**
vera justitia (seu sanctitate) et *pace, abundanti Spiritus Sancti effusione*, et *charismatibus.*

„In illa die erit fons patens domui David et habitantibus Jerusalem, in ablutionem peccatoris et menstruatae" [6].

---

[1] *Mich.* **4**, 1-2. — Regnum Messiae a Michaea describitur sub imagine montis, in quo templum jerosolymitanum erat. Propheta videt hunc montem elevari in altum, ita ut undique videri possit, omnesque gentes ad se alliciat. — [2] *Zachar.* **13**, 2. — [3] *Isa.* **11**, 9; cfr. **54**, 13. — [4] *Jerem.* **31**, 33-43. — [5] *Isa.* **59**, 21. — [6] *Zachar.* **13**, 1; cfr. *Ezech.* **36**, 25-28; *Dan.* **9**, 24.

„Orietur in diebus ejus justitia et abundantia pacis" [1].

„Et erit post haec: effundam spiritum meum super omnem carnem; et prophetabunt filii vestri et filiae, senes vestri somnia somniabunt et juuenes vestri visiones videbunt" [2].

5°. Regnum Messiae habebit *sacerdotes, ex omnibus gentibus* assumendos, et *verum sacrificium incruentum, ubique terrarum offerendum.*

„Et assumam ex iis [gentibus] in sacerdotes et levitas, dicit Dominus" [3].

„Ab ortu enim solis usque ad occasum magnum est nomen meum in gentibus, et in omni loco sacrificatur et offertur nomini meo oblatio munda, quia magnum est nomen meum in gentibus, dicit Dominus exercituum" [4].

— 165 6°. Regnum Messiae *undique impugnabitur*, sed, Deo protegente, *numquam vincetur* et *in aeternum stabit.*

„Quare fremuerunt gentes et populi meditati sunt inania? Astiterunt reges terrae, et principes convenerunt in unum adversum Dominum et adversus Christum ejus. Dirumpamus vincula eorum, et projiciamus a nobis jugum ipsorum. Qui habitat in coelis irridebit eos, et Dominus subsannabit eos" [5].

„Et erit: in die illa ponam Jerusalem lapidem oneris cunctis populis; omnes, qui levabunt eam concisione lacerabuntur; et colligentur adversus eam omnia regna terrae" [6].

„Omne vas, quod fictum est contra te, non dirigetur; et omnem linguam resistentem tibi in judicio, judicabis. Haec est here-

---

[1] *Ps.* **71,** 7. — [2] *Joel.* **2,** 28; cfr. *Zachar.* **12,** 10. — [3] *Isa.* **66,** 21. — [4] *Malach.* **1,** 11. — Vox מִנְחָה (= oblatio) sacrificium incruentum significare solet. — [5] *Ps.* **2,** 1-4. — [6] *Zachar.* **12,** 3. Regnum Messiae comparatur grandi lapidi, quem juvenes, vires suas exercendo, unus post alium elevare tentant, sed a quo omnes vulnerantur.

ditas servorum Domini, et justitia eorum apud me, dicit Dominus" [1].

„In diebus autem regnorum illorum suscitabit Deus coeli regnum, quod in aeternum non dissipabitur, et regnum ejus alteri populo non tradetur... et ipsum stabit in aeternum" [2].

Nota. Per ea, quae de inimicis et impugnatoribus regni messiani praedicta sunt, praemonemur: **a.** magnifica illa vaticinia de *pace* messiana [3] saltem ex parte in sensu spirituali exponenda esse, de interiori scil. pace cordis, aut intellegenda esse de pace perfecta, quam gratia Messiae afferret, si ab omnibus plene acciperetur; **b.** prophetias, *universalitatem* regni messiani spectantes, de universalitate absoluta intellegi non posse. Ceterum praetereundum non est, prophetas nonnumquam totam oeconomiam Messiae una imagine comprehendisse, non distinguendo regnum Messiae, quale in hoc saeculo paulatim et gradatim aedificatur, et regnum Messiae consummatum in coelo.

Impletio. Si vaticiniis expositis comparaveris religionem seu **166**
Ecclesiam catholicam, invenies cunctas notas regni messiani, a prophetis indicatas, in ea verificari. Etenim:

1°. Religio catholica seipsam ab initio exhibuit ut religionem perfectam, veteris oeconomiae impletivam, et eo tempore prodiit, quo Veteris Testamenti observatio cessavit: quum enim Ecclesia primam suam diffusionem acquireret, urbs et templum jerosolymitanum dirutae sunt, jam non restituendae.

2°. Religio catholica a Jerusalem incepit, inde vero per missionarios suos ad gentes etiam dissitas pervenit, quarum

---

[1] *Isa.* **54,** 17. Sensus est; omne vas bellicum, i. e. omne telum in te directum, innocuum erit, et omnis lingua tibi adversaria a te condemnabitur. Ergo regnum Messiae neque armis materialibus, neque armis spiritualibus vincetur. — [2] *Dan.* **2, 44**; cfr. **7,** 13-14. — [3] V. g. *Mich.* **4,** 3-4; *Isa.* **11,** 5-9.

accessu continuo crevit et crescit; ita ut mox facta sit, et posteo semper permanserit regnum universale, religio scil. per totum moraliter orbem diffusa.

3°. Religio catholica, ubicumque radices figere potuit, idololatriam abolevit, uberrimamque rerum religiosarum cognitionem sparsit. Hanc scientiam Domini jam per multa saecula innumeris filiis suis conservavit, et in perpetuum conservare pollicetur, infallibilitatem in rebus divinis sibi vindicans.

4°. Religio catholica docet, omnes veram peccatorum remissionem et Spiritus Sancti infusionem ministerio suo posse accipere: mirabilem sanctitatis fructum maturare non desinit[1], miraculis et charismatibus numquam totaliter caruit[2]. Ipsa revera est regnum pacis: confert enim homini pacem tum cum Deo, tum cum seipso, pacem scil. quae exsuperat omnem sensum, quam mundus dare non potest[3]; confert pacem hominibus inter se, redigendo eos in unum ovile sub uno pastore, faciendo omnes fratres inter se. Quodsi adhuc bella sunt inter gentes, eatenus tantum oriuntur, quatenus homines sese influxui religionis catholicae subtrahunt.

5°. Religio catholica habet visibile sacerdotium, non uni familiae nec uni populo alligatum, sed ad quod personae ex omnibus gentibus assumuntur; habet sacrificium incruentum et mundissimum, quod ab ortu solis usque ad occasum in omni loco offertur.

6°. Religio catholica, quamdiu exstitit, tamdiu impugnata fuit, armis materialibus et spiritualibus; nihilominus per novemdecim saecula vinci non potuit, unde admodum credibile est, quod neque in futurum umquam vincetur, sed in aeternum stabit. Et observa, quam signanter in Ecclesia catholica verificetur vaticinium Isaiae: „Omnem linguam resistentem tibi in judicio judicabis" [4]. Ab initio enim usque modo Ec-

---

[1] Cfr. supra n° **129** seq. — [2] Cfr. supra supra n° **114**. — [3] *Philip.* **4**, 7; *Jo.* **14**, 27. — [4] *Isa.* **54**, 17.

clesia catholica omnes condemnavit, quicumque doctrinam religiosam, praedicationi suae contrariam, proponerent.

Quemadmodum autem Ecclesia catholica ideae regni mes- 167
siani, a prophetis traditae, in omnibus respondet, ita extra eam nulla assignari potest societas, cui characteres supra enumerati omnes simul conveniant.

Mittimus societates non-christianas, quum enim ex praedictis constet, Christum esse verum Messiam, impossibile est, ut aliqua religio, quae nullam cum Christo relationem habeat, sit regnum Messiae. Ceterum facili negotio ostenditur, notas regni messiani nulli ex his religionibus convenire.

Societates christianae, ab Ecclesia catholica separatae, sunt sectae orientales et ecclesiae protestanticae. Atqui, ut alia taceamus, evidens est neque sectis orientalibus, neque ecclesiis protestantismi ullo modo competere *universalitatem*, quam prophetae veluti notam primariam regni messiani assignarunt, quum praeterea ecclesiae protestanticae careant *sacrificio*. Insuper de nulla societate christiana, extra Ecclesiam catholicam, dici potest, quod continuis impugnationibus exposita sit et omnem linguam sibi contradicentem condemnet. Ergo.

CONCLUSIO CAPITIS.

Ex iis, quae in hoc articulo de prophetiis messianis, earum- 168
que impletione disseruimus, ante omnia constat, praedictiones de Messia ejusque regno in Vet. Test. contentas esse veras prophetias, divinitus editas. Quis enim sobrius contendere audebit, tot particularia diversis temporibus, a diversis personis, de futuro Messia praenuntiata, fuisse temere praedicta et casu impleta!

Admissa autem veritate philosophica praedictorum vaticiniorum, eorum impletio in Christo atque in Ecclesia catholica

invicte demonstrat: 1°. Jesum nazarenum fuisse verum Messiam, insignem illum legatum divinum, quem „Deus olim loquens patribus in prophetis" generi humano promiserat; 2°. Ecclesiam catholicam revera esse regnum Messiae, ad quod omnes gentes invitantur, et in quo indefectibiliter possidetur scientia Domini.

CONCLUSIO TOTIUS TRACTATUS.

169 Omni igitur argumentorum genere ostendimus, religionem catholicam esse religionem in Christo divinitus revelatam.

Divinitatem hujus religionis suadebant argumenta interna: admirabilis n.p. ejus praestantia, qua humanam inventionem superat.

Divinitatem hujus religionis demonstrabant argumenta externa: varia scil. signa divina, quae aut immediate Jesum Christum, hujus religionis auctorem, accreditabant; aut directius ipsam religionem catholicam, per novemdecim saecula vigentem, commendabant; aut denique ostendebant, Christum ejusque opus, religionem scil. catholicam, diu antea a Deo fuisse promissa et praeparata.

Argumenta exposita credibilitatem religionis catholicae ita evincunt, ut omnino sufficiant ad gignendam in quolibet homine, ea serio ac sincere meditante, veram certitudinem moralem de facto revelationis, seu de divina origine religionis catholicae. Certitudinem dico moralem [1], nam testimoniis aliisque argumentis moralibus nititur; veram tamen et strictam, quae possibilitatem prudentis dubii penitus excludit. Nec quisquam hanc certitudinem minoris aestimet, quia moralis est; ineptum enim esset in hac materia quaerere certitudinem metaphysicam aut physicam, quippe quae scientiae historicae, qualis est inquisitio de facto revelationis, non conveniunt [2].

[1] Cfr. BEYSENS, *Criteriologie*, p. 41 seq. — [2] Cfr. *Conc. Vat*, cap. 3. DENZ. 1790.

Demonstrata autem divina religionis catholicae veritate, duo sequuntur:

1°. Omnem doctrinam religiosam in tantum esse falsam, in quantum religioni catholicae contradicit; quod cum in omni alia religione plus minusve eveniat, consequens est, extra catholicum nullum dari systema religionis verum et legitimum.

2°. Omni homini, cui divina veritas religionis catholica innotuit, strictam incumbere obligationem hanc religionem amplectendi et continuo profitendi. Ipse etenim Christus aperte asseruit, religionem suam ab omnibus sub poena damnationis suscipiendam esse: „Data est mihi omnis potestas in caelo et in terra. Euntes ergo docete omnes gentes, docentes eos servare omnia; quaecumque mandavi vobis". „Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit, qui vero non crediderit condemnabitur"[1].

Quicumque igitur sciens et volens religionem catholicam amplecti renuit, gravis peccati reus est et aeternae damnationis poenam effugere nullatenus poterit.

Quae cum ita sint, ét pro nobis ipsis gratias agamus Deo, qui nos vocavit in admirabile lumen suum, ét verbo simul atque exemplo quantum possumus laboremus, ut ambulantes in tenebris tandem aliquando videre incipiant lumen illud magnum, quod Christus accendit atque in candelabro Ecclesiae catholicae posuit, ut luceat omnibus, qui sunt in domo hujus mundi.

[1] *Mt.* **28,** 18-20; *Mc.* **16,** 16; cfr. *Jo.* **3,** 18.

APPENDIX I.

DE RELIGIONE REVELATA ANTE CHRISTUM.

Supra (n⁰ **64**) innuimus, religioni christianae praecessisse *revelationem* tum *primaevam* cum patriarchali, tum *mosaicam* cum prophetica, de quibus quid habeat doctrina catholica nunc paucis exponendum est.

170 I. *Revelatio tum primaeva, tum mosaica divinitus datae fuerunt.* — Probatur ex eo, quod Christus ejusque Apostoli eas ut divinas admiserunt. Sane Christus et Apostoli libros V. T. ut divinitus inspiratos consideravunt et adhibuerunt, uti probatur in tractatu *de Fontibus Revelationis*. Atqui ex his libris aperte constat, Deum tum protoparentibus nonnulla revelasse, tum per Mosem populo hebraeorum Legem dedisse.

171 II. *Revelatio tum primaeva, tum mosaica fuerunt quaedam praeparationes et inchoationes religionis christianae.* — Probatur 1⁰. quoad utramque simul, ex prophetiis messianis, quibus ab ipso generis humani exordio, primo obscurius deinde clarius et explicitius, promittebatur magnus ille Liberator, Christus, a quo omnes antiqui benedictionem spiritualem, salutemque exspectare debuerunt. 2⁰. Quoad Legem mosaicam, ex s. PAULO, dicente: „Finis enim Legis Christus ad justitiam omni credenti"; et „Prius autem quam veniret fides, sub Lege custodiebamur conclusi in eam fidem, quae revelanda erat. Itaque Lex paedagogus noster fuit in Christo [εἰς Χριστόν]"[1].

Hinc ipse Christus: „Nolite putare, quoniam veni solvere

[1] *Rom.* **10**, 4; *Gal.* **3**, 23-24.

Legem aut Prophetas, non veni solvere, sed adimplere" [1]; et: „Nolite putare, quia ego accusaturus sim vos apud Patrem: est qui accusat vos Moyses, in quo vos speratis. Si enim crederetis Moysi, crederetis forsitan [ἄν] et mihi" [2].

III. *Revelatio primaeva continebat quodammodo ipsam substantiam religionis christianae.* — Antiqua revelatio religionem christianam inchoabat, non quomodocumque, sed ita ut ipsis iam protoparentibus credendae proponerentur duae illae veritates maxime fundamentales, in quibus alii fidei nostrae articuli omnes aliqua ratione continentur (continentia scil. ontologica, non logica) et quae proinde intimam religionis christianae substantiam constituunt, exsistentia scil. unius Dei inquirendi, ejusque providentia in ordine supernaturali [3]. Probatur ex *Gen.* 3 et *Hebr.* 11. Quia igitur substantia religionis nostrae ab ipso mundi exordio revelata fuit, merito dicitur, religionem revelatam semper mansisse eandem substantialiter. Et hoc sensu supra (n⁰ 64) animadvertimus, religionem christianam aliqua ratione, np. secundum quandam formam imperfectam ad ipsos proto-parentes ascendere. 172

IV. *Religioni primaevae, pro solo populo hebraeorum, superaddita est Lex mosaica.* — Lex mosaica soli populo israelitico data est, ut hic constitueretur populus Dei electus et peculiaris [4], qui fidem futuri Messiae conservaret, et „quandam praerogativam sanctitatis obtineret propter reverentiam Christi, qui ex illo populo nasciturus erat" [5]. Neque voluntas Dei erat, ut Lex aliis etiam gentibus annuntiaretur et, sicut Evangelium, ab omnibus acciperetur [6]. 173

[1] *Mt.* 5, 17. — [2] *Jo.* 5, 45, 46. — [3] Cfr. s. THOM. *S. Th.* II, II, 1, 7; 2, 7. — [4] Cfr. *Deut.* 7, 6. — [5] S. THOM. *S. Th.* I, II, 98, 5; cfr. *Gregorianum*, 1927, p. 489. — [6] Poterant tamen peregrini sese judaeis adjungere, aut ita, ut ac- circumcisione, fierent „sicut indigenae terrae" (*Ex.* 12,

Jam Lex mosaica triplicis generis praecepta continebat: „scil. *moralia*, quae sunt de dictamine legis naturae [decalogus, exceptis circumstantia sabbati et praecepto de non faciendo sculptile, quatenus imagines veri Dei proscribit [1]]; *caeremonialia*, quae sunt determinationes cultus divini: et *judicialia*, quae sunt determinationes justitiae [socialis et politicae] inter homines observandae" [2], legi naturali superadditae.

Igitur praecepta caeremonialia et judicialia gentes exteras nullatenus afficiebant; praecepta vero moralia eas materialiter quidem obligabant, sed non formaliter (i.e. non ratione ipsius legislationis mosaica, sed quia pertinebant ad legem naturalem). — Probatur ex *Rom.* **2**, 12-15.

Lex mosaica temporales tantum sanctiones (praemia et poenas) proponebat; quod **a.** imperfectioni ipsius Legis, et populi cui dabatur congruebat [3]; et **b.** etiam inde explicatur, quod promissiones et comminationes Legis generatim non singulas personas sed populum, qua talem, spectabant. — Nihilominus homines sub Lege viventes non carebant fide et spe bonorum spiritualium, quorum tamen promissio non ex Lege erat, sed ex revelatione primaeva. Probatur ex *Heb.* **11**, 6, 13-16.

174 V. *Lex mosaica per oeconomiam christianam abrogata est.* — Obligationem Legis per christianismum sublatam esse, probatur v.g. ex *Gal.* **3**, 24-28: „Prius autem quam veniret fides, sub Lege custodiebamur conclusi. Itaque Lex paeda-

---

48); *proselyti justitiae* vel *foederis;* aut ita, ut sine circumcisione nomen Jahve colerent et quaedam Legis praecepta observarent: *proselyti portae.* Qui in *Act.* dicuntur *σεβόμενοι* aut *φοβούμενοι θεόν* proselytis portae fere annumerandi videntur.

[1] Cfr. VAN KASTEREN, *Van den Sinai*, p. 43 et 53. — [2] S. THOM. l. c., **99**, 4, c; cfr. **104**, l. c. — [3] Cfr. *Hebr.* **7**, 19; *Rom.* **3**, 20; s. THOM. l. c., **99**, 6.

gogus noster fuit in Christo. At ubi venit fides, jam non sumus sub paedagogo. Non est Judaeus, neque Graecus" [1].

Abrogata est Lex tota, unde et praecepta moralia christianos non obligant vi legislationis mosaicae, sed quia sunt de lege naturali et de lege Christi [2].

Cessante Lege, cessarunt etiam sanctiones a Lege positae, unde etiam promisso, quarto decalogi praecepto addita, pro stadio legis evangelicae spiritualiter intellegenda est [3].

Nihilominus Lex mosaica non cessavit formali revocatione, sed cessatione finis propter quem, et status pro quo data erat. Sane, quum advenisset illud, ad quod adumbrandum et praeparandum Lex imposita fuit, necessarium erat cessare umbram et praeparationem. Hinc intellegitur, quo sensu Christus dixerit [4] se venisse, non ut Legem et Prophetas solveret (= irritas faceret), sed ut eas adimpleret i. e. ad absolutionem et perfectionem perduceret. Siquidem Christus partem moralem Legis adimplevit, voluntatem Dei perfectius

---

[1] Cfr. *Act.* **15,** 5-11, 28; *Gal.* **3,** 19; *Ephes.* **2,** 14-15; *Colos.* **2,** 16-17; *Hebr.* **7,** 12, 18-19; **8,** 8-13. — [2] Ita saltem sententia longe communior cum *Cat. rom.* (P. III, c. 4, n° 4). Nonnulli tamen auctores censent, sola praecepta caeremonialia et judicialia abrogata esse, praecepta vero moralia etiam formaliter (seu ut erant praecepta Legis) a Christo confirmata esse. Cfr. VASQUEZ, *In Summ. Theol I, II,* disp. 180, c. 3. — [3] Ad difficultatem petitam ex *Ephes.* **6,** 2-3, respondet WILMERS: „Apostolus vitam felicem *in terra Chanaan* [*Ex* **20,** 12; *Deut.* **5,** 16], pietati erga parentes singulariter olim promissam commemorat, ut ostendat quam grata Deo sit pietas; ex eo autem non concludit, eam promissam esse pariter in N. T. Et vero: vita sive felicitas, in utroque testamento promissa, intellegenda est pro conditione utriusque Testamenti, i. e. felicitati temporali, sive vitae corporali, promissae in V. T., respondet felicitas spiritualis, sive bonum vitae spiritualis, promissum in N. T." (*De Rel. Revel.* p. 481). Cfr. S. THOM. *S. Th.* II, II, **122,** 5, ad 4; V. KASTEREN, *Van den Sinai,* p. 58. — [4] *Mt.* **5,** 17.

explicando; partem caeremonialem implevit, umbris et figuris substituendo veritatem, sacrificium np. et sacramenta N. L.; partem judicialem adimplevit instituendo Ecclesiam catholicam, cujus typum gerebat antiquus ille populus Dei. Et ita Lex Vetus non irritatione, sed adimpletione cessavit. Hinc etiam in N. T. nullibi legitur formalis revocatio Legis, sed solum *declaratio* Apostolorum quod non amplius obligat [1].

[1] Cfr. v. g. *Act.* 15; *Colos.* 2, 16, 17; *Galat.* 3, 24; *Heb.* 7, 12, 18; 8, 13; cfr. A. TH. HARMANN. *Die enge Verbindung des Alten Testaments mit dem Neuen*, 1831 (cfr. *Rev. prat. d'apol.*, 1919, tom. 28, p. 382); K. BENZ. *Die Stellung Jesu zum Alttestamentlichen Gesetz*, 1914 (*Bibl. Studien*, XIX, 1).

APPENDIX II.

DOCTRINA CHRISTI DE *ΠΑΡΟΥΣΙΑ*[1].

Exegetae rationalistae et modernistae[2] uno ore contendunt, Christum saepe et clare *παρουσίαν* suam (i. e. adventum gloriosum ad judicium universale) finemque mundi *ut jam imminentes praedixisse*, eum hac in re misere errasse, proinde non fuisse verum prophetam nec legatum Dei. 175

Argumenta hujus difficultatis mutuantur: 1°. *ex verbis Domini*: **a**. Christus, interrogatus a discipulis de tempore ruinae Jerusalem eiusque templi necnon de signis adventus sui finisque mundi, respondit uno eodemque sermone ad duplicem quaestionem. Ergo Christus putabat destructionem civitatis coincidere cum fine mundi[3]. — **b**. Christus post sermonem de fine mundi dicit: „Amen dico vobis, quia non praeteribit generatio haec, donec omnia haec fiant"[4]. — **c**. Christus, discipulos nuper electos mittens ad evangelizandas „oves, quae perierunt domus Israel", dicit: „Cum autem persequentur vos in civitate ista fugite in aliam. Amen dico vobis, non consummabitis civitates Israel, donec veniat Filius hominis"[5]. —

Card L. Billot, *La Parousie*. 1920 (*Etudes*, 1917 et 1918); K. Weiss, *Exegetisches zur Irrtumslosigkeit und Eschatologie Jesu Christi*, 1906 (*Neutest. Abh.* V, n° 4 et 5); Alf. Schenz, *Der Zeitpunkt der Wiederkunft Jesu nach den Synoptikern* (Diss.), 1922; H. Felder, o. c., II, p. 167 seq.; *Stimmen*, 1908, tom. 74, p. 487; *Rev. prat. d'Apol.*, 1911, tom. 11, p. 176; 1918, tom 27, p. 801; 1919, tom. 28, p. 5 et 161; *Rev. Bibl.*, 1915, tom. 12, p. 393; *Theol. u. Gl.*, 1921, p. 257, 321; 1922, p. 1. — [2]Cfr. Decr. *Lam.*, prop. 33 et 52; Denz. 2033 et 2052. — [3] *Mt.* **24**, 5-33; cfr. *Mc.* **13**, 6-29; *Luc.* **21**, 8-13. — [4] *Mt.* **24**, 34; cfr. *Mc.* **13**, 30; *Luc.* **21**, 32. — [5] *Mt.* **10**, 5-6, 23. —

d. Christus loquendo de adventu suo ad reddendum unicuique secundum opera ejus, subjicit: „Amen dico vobis, sunt quidam de hic stantibus, qui non gustabunt mortem, donec videant Filium hominis venientem in regno suo" [1]. — **e.** Christus coram summo pontifice dicit: „Amodo videbitis Filium hominis, sedentem a dextris virtutis Dei et venientem in nubibus coeli" [2]. — 2°. Haec autem effata Domini revera de instanti *παρουσία* intellegenda esse, imprimis confirmari dicitur *ex facto*, quod prima generatio *christianorum*, ipsique *Apostoli* crediderint diem judicii mox instare, uti patet ex ipsis libris canoncis [3].

176 Statim vides, consequentiam objectionis esse gravissimam, nam si Christus revera docuisset, *παρουσίαν* finemque mundi jam instare, legatus divinus haberi non posset. Verum quia in favorem divinae legationis Christi multa et validissima militant argumenta, quorum vim nemo adversariorum solvit, rationi consentaneum est, ut hujusmodi error Christo non tribuatur, nisi clare omnino ac peremptorie comprobetur. Atqui hujusmodi probatio minime datur, uti ex sequentibus patebit.

Non infitiamur, primos christianos, eos potissimum, qui ex judaismo Evangelio adhaeserant, *παρουσίαν* Domini ut satis propinquam exspectasse; sed quum tempore Christi animos judaeorum alte occupasset idea Messiae, qui, populum suum gentesque judicando, regnum inexhaustae felicitatis mox inau-

---

[1] *Mt.* **16**, 28; cfr. *Mc.* **8**, 39: „donec videant regnum Dei, veniens in virtute"; *Luc.* **9**, 27: „donec videant regnum Dei". — [2] *Mt.* **26**, 64; *Mc.* **14**, 62 sine „amodo": „Et videbitis"; *Luc.* **22**, 69: „Ex hoc autem erit Filius hominis sedens a dextris virtutis Dei". — [3] Cfr. *Rom.* **13**, 11; *I Cor.* **7**, 29-31; **10**, 11; *I Thess.* **4**, 15-17; *Heb.* **10**, 37; *I Petr.* **4**, 5-7; *Jac.* **5**, 8-9; *I Jo.* **2**, 18; cet.

guraret, studiose inquirendum est, utrum opinio praedicta originem habuerit ex praedicatione Christi et Apostolorum, an potius ex antiqua persuasione judaica, doctrinis christianis nonnihil admixta.

1⁰. Certum est, Christum saepe et instanter praedixisse, se 177
aliquando *venturum esse cum gloria ad judicandum* non tamen sensu judaico, i. e. non ita ut populum Israel ad victoriam educeret, gentes prosterneret, sed sensu novo atque spirituali, np. ad judicandum quoslibet homines secundum opera singulorum [1]. Igitur sicut ideam Messiae, regnique messiani, ita et ideam judicii ab intellectu materiali et nationali judaeorum expurgavit.

De *tempore hujus judicii* et consummationis saeculi *apertissime edixit, illud omnibus esse ignotum*: „De die autem illo vel hora nemo scit, neque angeli in coelo, neque Filius nisi Pater" [2]. Consonant verba post resurrectionem ad Apostolos prolata: „Non est vestrum nosse tempora vel momenta [*χρόνους ἢ καιροὺς*], quae Pater posuit in sua potestate" [3] Quum autem judex inopinato adveniet, tum Apostolos tum omnes instanter monuit ut vigilarent, ne imparati invenirentur: „Videte, vigilate et orate, nescitis enim quando tempus erit; quod autem vobis dico, omnibus dico: vigilate" [4].

Porro haec monitio, ex incertitudine diei judicii deducta, aequaliter urget sive finis mundi jam instet, sive non instet;

---

[1] Cfr. *Mt.* **7**. 22-23; **10**, 32-33; **13**, 36-50; **16**, 24-27; **25**; *Luc.* **13**, 23-26; cfr. *Rech. de science relig.*, 1918, *p. 281.* — [2] *Mc.* **13**, 32; *Mt.* **24**, 36. Ex eo, quod Filius opponitur Patri, liquet assertionem intellegendam esse de Filio, *secundum quod erat homo*. Ceterum ad finem nostrum nihil refert, utrum Christus *ut homo* tempus judicii tunc revera nescierit, an illud scierit quidem, sed scientia incommunicabili tantum. Cfr. tract. *de Deo Redemptore*, n⁰ **108**, 6. — [3] *Act.* **1**, 7. — [4] *Mc.* **13**, 33-37; *Mt.* **24**, 37-51; **25**, 13; *Luc.* **12**, 36-40.

quum enim tales quoslibet inveniet mundi ultimus dies, quales eos invenerit suus ultimus dies, etiam in suppositione parousiae longissime dilatae, singulis verissime applicabantur et in dies applicantur verba: „Vigilate, nescitis enim quando tempus erit" [1].

Quae cum ita sint, neque necessarium fuit, ut Christus falsam opinionem de fine mundi jam propinquo *directe ac diserte* impugnaret, neque hujusmodi impugnationem ab eo exspectare licet, quia, testibus Evangeliis, negligere solebat errores religione et bonis moribus non oppositos.

178 Nihilominus Dominus praedictam opinionem exclusit *indirecte*, imprimis per ea, quae de regno suo in terris prophetavit. Aperte enim praedixit, ante secundum suum adventum Evangelium praedicandum esse omnibus gentibus in universo orbe: „Et in omnes gentes primum oportet praedicari evangelium"[2]. „Et praedicabitur hoc evangelium regni in universo orbe, in testimonium omnibus gentibus, et tunc veniet consummatio" [3]. Et observa tum ipsa verba, tum subjectam materiam, tum prophetias messianas prohibere, quominus textus allati et indicati intellegantur de respectiva quadam universalitate tantum.

Jam per se patet, hujusmodi praedicationem, eam praesertim quae vere sit „in testimonium omnibus gentibus", i. e. quae Evangelium cunctis *sufficienter* proponat, intra spatium unius fere generationis, aut generatim intra tempus breve fieri non posse. Praeterea moram longam indicant tum varii

---

[1] Ceterum immerito putaretur, Christum *nullo modo* distinxisse inter judicium universale et particulare; etsi enim hac in re parum explicitus fuisse videtur, omnino admisit tum poenam tum remunerationem, ergo et judicium, statim post mortem. *Luc.* **16**, 19-31; **23**, 43. — [2] *Mc.* **13**, 10. — [3] *Mt.* **24**, 14; cfr. **26**, 13; **28**, 19-20; *Mc.* **16**, 15; *Luc.* **24**, 47; *Act.* **1**, 8.

casus ac pericula, quae praedicatoribus contingent [1], tum maxime modus, quo „regnum coelorum" invalescet, quippe qui ab ipso Domino comparatur semini lente germinanti, grano sinapis, fermento abscondito in farina: „Sic est regnum coelorum quemadmodum si homo jaciat sementem in terram, et dormiat et exsurgat nocte et die, et semen germinet et increscat dum nescit ille; ultro enim terra fructificat primum herbam, deinde spicam, deinde plenum frumentum in spica"[2].

Praeterea Christus satis aperte significavit, finem mundi nec coincidere cum excidio Jerusalem, nec mature sequi hanc calamitatem, nam ea praenuntiata adjecit: „Captivi ducentur in omnes gentes, et Jerusalem calcabitur a gentibus donec impleantur tempora nationum" [3] [*καιροὶ ἐθνῶν*, sine articulo].

Atqui ex his omnibus conficitur, Christo minime persuasum fuisse, quod finis mundi jam immineret, proinde verba: „De die autem illo vel hora", cet. perperam ita intellegi ac si dicere voluísset: finis mundi proximus quidem est, sed ipsissimus dies omnes latet.

2°. Quid igitur de verbis Domini ad adversariis allatis? In 179
explicanda doctrina cujuslibet auctoris recta methodus postulat, ut inter diversa ejus effata vera oppositio non admittatur, quamdiu alia explicatio probabilis relinquitur. Nonne summo jure exigimus, ut haec regula etiam applicetur doctrinae Christi, cujus divina missio tot ac talibus argumentis probatur? Atqui explicatio harmonica locorum objectorum cum doctrina jam exposita non est impossibilis[4].

[1] *Mt.* **24**, 4-14; cfr. **10**, 16 seq.; *Mc.* **13**, 5-13; *Luc.* **21**, 8-19. — [2] *Mc.* **4**, 26-28; *Mt.* **13**, 24; cfr. *Mt.* **13**, 31-33; *Mc.* **4**, 30; *Luc.* **13**, 18-21. — [3] *Luc.* **21**, 24. Immerito quidam dicunt, hunc versum esse *explicationem* ab ipso Luca, post eventum scribente, adjectum. Nonne Lucas, si post a. 70 scripsisset et explicationes addere voluisset, etiam in reliquis disertius distinxisset inter eversionem urbis et finem mundi? — [4] Cfr. *Rev. Bibl.* 1906, p. 382; WEISS, o. c., p. 222.

Ad **a.** — Tota difficultas evanescit, dummodo ratio habeatur cum specie literaria sermonis Domini, quae non est historica sed prophetica. Agitur autem de prophetia, in qua duo eventus (destructio urbis et consummatio saeculi) nexu typico conjunguntur, neglecto temporis spatio. Christus enim discipulis interrogantibus: „Dic nobis, quando haec erunt? et quod signum adventus tui, et consummationis saeculi?" [1] non indicat omnino clare distantiam temporis inter ruinam urbis et finem mundi, sed more prophetico utrumque conjunxit eventum. Ejus responsum negligit temporis intervallum, sed magis respicit ea quae utrique eventui communia sunt, et ita in typo describendo jam etiam miscuit quae ad antitypum spectant [2].

180 *Ad* **b.** — Textus: „Non praeteribit generatio haec, donec haec omnia fiant" apud omnes synopticos legitur post sermonem eschatologicum, ubi simul agitur de excidio urbis et fine mundi, et ita quidem ut, omnibus fatentibus, difficulter discernatur, quaenam hanc, quaenam illam, quaenam utramque calamitatem spectant. Alii putant, ipsum Dominum, ad modum prophetarum V. T., auditoribus suis quibus tempora ac momenta latere voluit [3], exhibuisse picturam sine perspectivio, uti supra exposuimus. Alii recentiores supponunt, etiam hic in unum sermonem congesta reperiri plura, quae Dominus diversis occasionibus de rebus futuris protulerat, ita ut confusio et obscuritas non Christo loquenti, sed potius traditioni redactionali debeatur [4].

[1] *Mt.* **24**, 3. — [2] Cfr. KNABENBAUER, *in Mt. II*², p. 353; LE HIR, *Études bibl.*, 1869, I *Les prophètes d'Israel*, p. 81; BILLOT, o. c., p. 15 seq.; *De Katholiek*, 1913, tom. 143, p. 1-3. — Notandum est s. Lucam manifeste referre ordinem chronologicum, scil. v. 10-23 de ruina templi et civitatis, v. 24 de tempore inter excidium urbis et orbis, v. 25-31 de parousia; cfr. BILLOT, o. c. p. 72 seq. — [3] *Act.* **1**, 7. — [4] BATIFFOL: „Nous aimons mieux penser, que la tradition

Secundum cl. BILLOT agitur hic de prophetia cum duplici aspectu, quae duplici modo impleta dici potest, scil.: primario in seipsa, in propria sua realitate (impletio realis), et secundario in eventu praecursori, in imagine, in figura (impletio figurativa). Verum quidem est, impletionem secundariam non aeque immediate cadere sub sensu, quia non est literalis et materialis, sed nihilominus aequaliter niti veritate et hoc praecise quia figura qua talis jam aliquo modo continet rem figuratam, eique largitur exsistentiam, ut ita dicam, anticipatam, maxime quando figura et res figurata antea in eadem prophetia erant conjunctae, et ideo perfecta impletio unius ne cogitari quidem potest nisi conjuncta cum impletione completa alterius [1]. Quibus positis nullum est dubium, quin omnia quae in hac prophetia respiciunt diem ultimum, jam *aliquatenus* impleta sint in excidio urbis Jerusalem, ac proinde antequam „generatio haec" praeteriverat. Dicitur *aliquatenus* i. e. in prima impletione ad modum quo prophetia cum duplici aspectu impleri dicitur, np. in figura seu potius in imagine tantum, sed tamen sufficienter, ita ut secundum usum s. Scripturae dici possit „donec *omnia haec*".

Porro omnibus rite perpensis effatum nostrum (si vox *generatio*

---

rédactionnelle a créé la confusion, en bloquant en un seul discours tout ce qu'elle possédait de paroles de Jésus sur l'avenir" (*L'enseignement de Jésus*, p. 257. — Cave ne „traditionem redactionalem" confundas cum ipsis evangelistis. Evangelistae siquidem, ex hypothesi saltem probabili criticorum, saepe adhibuerunt fontes, in quibus primitiva traditio diversos sermones aut effata Christi jam collegerat, ita ut concatenatio aut conglomeratio effatorum Domini, qualis in Evangeliis prostat, haud semper ab ipsis Evangelistis originem habeat.

[1] Hic modus agendi proprius est omnibus prophetis; sic v.g. *Isa.* 7, 13-16; 9, 6; cfr. 8, 3-4. *Malach.* 4, 5; cfr. *Mt.* 11, 14 et 17, 12. *Ps.* 7, 1. Cfr. BILLOT, o. c., p. 61 seq.; LE HIR, o. c. I, p. 67 seq.

sumitur in sensu obvio de coaevis Christi [1]) non in ultimum judicium in se spectatum, sed in solam destructionem urbis cadere potest. Nam post excidium urbis ex ipsius Christi praedictione incipere debebat epocha, qua, judaeis dispersis, Jerusalem calcaretur a gentibus, „donec impleantur tempora nationum" [2]. Quomodo igitur Christus, post excidium urbis „tempora nationum" praevidens, dixisset, generationem coaevorum suorum ad finem mundi perventuram? Praeterea confirmari videtur ipso contextu; post verba enim: „non praeteribit generatio *haec*, donec omnia *haec* fiant", sequitur: „De die autem *illo* et hora nemo scit, neque angeli coelorum, nisi solus Pater" [3]. Nonne ex hac aperta antithesi deduci potest, verba „omnia *haec*" spectare eventum maxime propinquum, np. destructionem urbis, quae adhuc vivente *hac* generatione consummabitur, et quidem in oppositione at diem *illum*, adhuc valde remotum et omnino incertum atque absconditum, diem scil. adventus Domini ut etiam ex sequentibus versibus patet?

181 *Ad.* c. — Verba „non consummabitis civitates Israel, donec veniat Filius hominis", etsi a Matthaeo occasione missionis temporariae Apostolorum ad „oves, quae perierunt domus Israel" referuntur, non spectant aut saltem non exclusive spectant illam missionem provisoriam, sed missionem definiti-

[1] Praetereunda videtur sententia eorum, qui, vocem *generatio* duplici sensu accipientes, exponunt: *praesens* generatio non praeteribit ante excidium urbis, et generatio seu *stirps* judaeorum, utcumque dispersa, non interibit ante excidium orbis. Cfr. BILLOT, o. c., p. 40. — [2] *Luc.* 21, 24. — [3] *Mt.* 24, 34 et 36; (cfr. *Mc.* 13, 30 et 32; *Luc.* 21, 32 et 34). Secundum ipsam criticen textualem v. 34. „Coelum et terra transibunt, verba autem mea non praeteribunt" non est nisi parenthesis, ita ut v. 36 immediate v. 34 adjungi debeat; quod etiam valet de *Mc.* 13, 31 et *Luc.* 21, 33. Cfr. BILLOT, o. c., p. 69 seq.

vam in universum mundum. Patet ex contextu. Numquid Apostoli durante brevi illa missione provisoria traditi sunt in conciliis, flagellati in synagogis, ducti ad praesides et ad reges „in testimonium illis et gentibus"? Numquid tunc frater fratrem in mortem tradidit et pater filium, cet. [1]? Igitur s. Matthaeus hoc loco congessit monita et praedictiones Domini ad praedicatores suos, diversis temporibus editas, et ab aliis Evangelistis partim aliis locis traditas. Hoc autem supposito sensus textus objecti erit: Non consummabitis civitates ubi Israelitae degunt, non perficietis conversionem Israelis, donec appropinquet ultimus dies. Et ita Christus obscurius significavit, quod postea Paulus apertius scripsit: „Nolo enim vos ignorare fratres mysterium hoc, quia caecitas ex parte contigit in Israel, donec plenitudo gentium intraret" [2].

Ad **d.** — Compertum omnibus est, Evangelistas saepius **182**
congessisse effata, diversis occasionibus prolata, sed invicem aliquo modo affinia. Igitur ex eo, quod verba: „Sunt quidam de hic **stantibus**", cet. a synopticis immediate post mentionem ultimi judicii referentur, non certo sequitur, ea a Christo in hoc praecise contextu esse prolata, praesertim quia apud Marcum a praecedentibus separantur inciso: *Καὶ ἔλεγεν αὐτοῖς.*

Verum supposito etiam quod immediate post praedictionem ultimi judicii prolata sint, haud necessario de eodem illo judicio intellegenda sunt. Verba a synopticis adhibita (*Mt.*: „Donec videant regnum Dei veniens in virtute"; „Donec videant regnum Dei") per se nihil aliud significant nisi insignem aliquam manifestationem Christi jam regnantis. Sensus autem in contextu videtur hic: Filius hominis aliquando veniet ad judicium universale. Nolite mirari quod hoc de meipso dicam; sunt quidam de hic stantibus qui non morientur, antequam viderint manifestationem regiae potestatis meae ita

[1] Cfr. *Mt.* **10**, 17-21. — [2] *Rom.* **11**, 25.

insignem, ut de potestate judiciaria jam non amplius dubitaturi sint. Quamnam manifestationem Christus intellexerit, disputatur. Alii exponunt de transfiguratione. quam omnes synoptici immediate subjungunt, et quae reapse fuit *παρουσία* quaedam anticipata. Sed transfiguratio post sex dies contigit, et verba „sunt quidam" cet. moram longiorem importare videntur. Alii intellegunt ascensionem Domini, qua Filius hominis venit in regno suo, i. e. regnum suum adeptus est [1] aut effusionem Spiritus s. cum miraculis subsequentibus, quibus regnum Christi gloriose manifestabatur. Plerique tamen exponunt de excidio Jerusalem, quod fuit terribile judicium Christi, in coelo jam regnantis, de gente praevaricatrice et confirmatio quaedam regni messiani jam constituti. Ad hanc autem divinae potestatis manifestationem pauci tantum ex auditoribus Christi pervenire debuerunt: „Sunt *quidam*".

183 *Ad* e. — Comparatis inter se locis parallelis (*Mt.*: „Amodo videbitis Filium hominis sedentem a dextris virtutis Dei et venientem in nubibus coeli"; *Mc.* „Et videbitis Filium hominis sedentem a dextris virtutis Dei. et venientem cum nubibus coeli"; *Luc.*: „Ex hoc autem erit Filius hominis sedens a dextris virtutis;") dicendum putamus, verba coram pontifice prolata non agere de *παρουσία*. „Videre Filium hominis sedentem a dextris Dei" et „venientem cum nubibus coeli", sunt locutiones metaphoricae desumptae ex V. T. [2],

[1] Cfr. *Dan.* 7, 13-14. — [2] *Ps.* 109, 1: „Sede a dextris meis, donec ponam" (cfr. *Mt.* 22, 43); *Dan.* 7, 13, 14: „Aspiciebam in visione noctis, et ecce cum nubibus coeli quasi filius hominis veniebat, et usque ad antiquum dierum pervenit, et in conspectu ejus obtulerunt eum. Et dedit ei potestatem et honorem et regnum." — LAGRANGE: „Le sanhédrin n'était point composé d'apocalyptiques, et lorsque Jésus faisait allusion devant lui au symbole du fils de l'homme, tous ceux qui interprétaient Daniel selon l'esprit de son texte ne devaient l'entendre que de *l'établissement du règne de Dieu*, non d'une vision fulgurante à la façon d'une catastrophe" (*Rev. bibl.* 1904, p. 508).

quarum sensus est: videre seu habere documenta, quod Filius hominis regnum suum adeptus est. Igitur Christus edixit: Tu dixisti, ego sum verus Messias, nunc quidem humilis, sed brevi cognoscetis (per resurrectionem et ascensionem meam, descensum Spiritus s., miracula Apostolorum, cet.), me regnum accepisse apud Deum, per me incepisse regnum Dei a prophetis promissum.

3°. Denique ex iis, quae de praeconcepta opinione et im- 184
perfecta cognitione temporum apud primos christianos diximus, forte paratur via ad pleniorem solutionem difficultatum.

Ex praedictis patet ab adversariis multa effata Christi afferri quae videntur eschatologica sed reapse non agunt de parousia. Quaeri autem potest, undenam illam speciem seu apparentiam *eschatologicam* habeant. Porro inspectio locorum parallelorum universim docet, evangelistas effata Domini haud semper referre ipsissimis Domini verbis, sed aut verbis suis aut verbis desumptis ex orali cathechesi fontibusve conscriptis. Nonne sensus specietenus eschatologicus, quem nonnulla effata prima facie offerunt sive ex modo enuntiationis sive ex loco quo referuntur, forte explicandus esset partim ex eo quod pro unoquoque dies mortis moraliter aequivalet diei judicii universalis (parousiae) [1], partim ex intellectu defectuoso redactorum, quos evangelistae sequebantur? Si enim redactores nesciebant quosnam praecise eventus praedictiones Domini spectarent, nonne suspicari licet, hunc eorum intellectum nonnihil influxisse tum in locum quo effata Domini referrent, tum in modum quo ordinarent?

[1] S. AUG. „Cur itaque [Christus] omnibus dicit [*Mc.* 13, 37], quod ad eos solos pertineat, qui tunc erunt, nisi quia eo modo ad omnes pertinet, quomodo dixi? Tunc enim unicuique veniet dies ille [adventus Domini], cum venerit ei dies, ut talis hinc exeat, qualis judicandus sit illa die" (*Ep. 199 ad Hesych.*, n° 3). Cfr. S. LEO, *Sermo* 19, n° 3.

Praeterea cuilibet christiano certum est, effata Domini ab adversariis allata, prout in evangeliis exstant, reapse non edicere: finis mundi *proximus est;* nihilominus prima facie hunc sensum habere videntur. Undenam illa species seu apparentia? Originem habere potest: **a.** aut ab ipso Christo; in eo casu cum Maldonato supponere debes, Christum consulto confuse et obscure esse locutum, „ne quis posset finem mundi cognoscere", seu verius: ne quis longinquitatem parousiae cognosceret; **b.** aut directe ab evangelistis; sed non explicatur quare ipsi hanc obscuritatem elegerint: **c.** aut a traditione redactionali, cui forte tribuendus et locus et ordo quo diversa effata Domini in evangeliis prostant; **d.** aut denique ab intellectu nostro: nobis enim stylus propheticus semper aliquid obscuritatis habet [1], nobis textus veteris Testamenti non ita patent quam primis christianis maxime ex judaeis, explicationes et instructiones orales apostolorum nobis omnino sunt [2].

185 **4°.** Ad objectiones, ex scriptis *Apostolorum* praesertim *s. Pauli* mutuatas, haec repondemus [3]:

a. Ubi *ex professo* de parousia agunt [4], diserte aperteque praedicant: tempus parousiae non esse revelatum, judicium tempore incerto inopinate esse adventurum: „dies Domini sicut fur in nocte, ita veniet" [5]. Sicut ipse Christus docuerat, ita et Apostoli docent tempus parousiae omnibus esse *ignotum* ideoque cum Christo monent ad vigilantiam: „Igitur non

[1] Cfr. supra n° **144** seq. — [2] Cfr. *I Thess.* **5**, 1; *II Thess.* **2**, 5. — [3] Cfr. BILLOT, o. c., p. 192 seq.; F. TILLMANN, *Die Wiederkunft Christi nach den Paulinischen Briefen*, 1909; *Ned. K. St.* 1915, p. 241; *Zeits. f. k. Theol.* 1916, p. 167; *Rev. Bibl.*, 1915, p. 393 (cfr. *Rev. des sc. phil. et théol.*, 1920, p. 256); *Civiltà*, 1918-1920; *Rev. apol.*, 1921, tom. 33, p. 226 et 307. — [4] *I Thess.* **5**, 1-6; *II Thess.* **9**, 1-9; *II Petr.*, **3**, 8-14. — [5] *I Thess.* **5**, 2; *II Petr.* **3**, 10; cfr. *Act.* **1**, 7-8. — Cfr. *Zeits. f. k. Th.*, 1916, p. 704.

dormiamus... sed vigilemus et sobrii simus"[1]. — Praeterea non opinati sunt, parousiam *proxime* imminere. Sciebant enim ministerium suum continuandum esse „usque ad consummationem saeculi"[2], quandocumque tandem advenerit: unde non tantum de cooperatoribus assumendis, sed etiam de successoribus instituendis curam habebant; sciebant etiam Evangelium praedicandum esse in universum mundum[3]; sciebant denique varia signa adhuc impleri debere antequam Dominus veniat: „Ne terreamini, quasi instet dies Domini. Ne quis vos seducat ullo modo; quoniam nisi venerit discessio primum", cet.[4] — Quinimo aliquando *longiorem prospectum* aperuerunt: „Unum vero hoc non lateat vos, quia unus dies apud Dominum sicut mille anni, et mille anni sicut dies unus. Non tardat Dominus promissionem suam, sicut quidam existimant, sed patienter agit propter vos"[5].

b. Praeterea afferuntur multi alii textus, in quibus apostoli **186** non ex professo, sed *per transennam*, tantum de parousia

[1] *I Thess.* 5, 6. Cfr. n⁰ 177. — Notandum est quod *Comm. de Re Biblica* respondit (18 Jun. 1915) ad dub. II: „Utrum prae oculis habitis genuina muneris apostolici notione et indubia Sancti Pauli fidelitate erga doctrinam Magistri; dogmate item catholico de inspiratione et inerrantia Sacrarum Scripturarum, quo omne id quod hagiographus asserit, enuntiat, insinuat, retineri debet assertum, enuntiatum, insinuatum a Spiritu Sancto; perpensis quoque textibus epistolarum Apostoli, in se consideratis, modo loquendi ipsius Domini apprime consonis, affirmare oporteat, Apostolum Paulum in scriptis suis nihil omnino dixisse quod non perfecte concordet cum illa temporis Parousiae ignorantia, quam ipse Christus hominum esse proclamavit? — *Affirmative*". Cfr. *A. A. S.*, 1915, p. 357. — [2] *Mt.* 28, 20. — [3] Cfr. n⁰ 178. — Quando s. Paulus aliquando dicit Evangelium praedicatum esse in universo mundo, cet. (*Col.* 1, 6, 23; *Rom.* 1. 8), hoc intellegi debet de universalitate relativa; cfr. BILLOT, o. c., p. 94 seq. — [4] *II Thess.* 2, 2, seq. — [5] *II Petr.* 3, 8, 9.

loquuntur aut loqui videntur. Ex his locis secundum rationalistas pateret apostolos credidisse diem judicii mox instare.

Diximus autem „loqui *videntur*", nam in permultis casibus non agitur, ne quidem per transennam, de parousia, sed aut de judicio particulari aut de periodo ultima mundi [1]. Quando enim apostoli monent ad vigilantiam, concordiam, patientiam, excitant ad abjicienda opera tenebrarum et induenda arma lucis, urgent perfecte vivere, quia „Dominus prope est", „nox praecessit, dies autem appropinquavit", „Judex ante januam assistit", cet. [2] — monitiones istae non propter propinquitatem adventus Domini in fine mundi, sed deducuntur ex imminentia pro singulis *judicii particularis* [3]. Quod primo patet ex eo quod apostoli, *ubi* de judicio universali agunt, semper loquuntur de claritate ac majestate Judicis ad judicium venientis [4]; deinde ex illis textibus, in quibus apostoli etiam monent ad vigilantiam sed clarius ac disertius exprimunt quod hoc faciunt quia adventus Domini singulis propinquus est propter brevitatem vitae [5]. Ceterum quod apostoli de fine ac ruina mundi nequidem cogitabant, deduci potest ex eo quod non de ruina sed de renovatione mundi universali per evangelium et gratiam Jesu Christi iterum atque saepius disserunt [6].

Deinde adhuc alii textus inveniuntur, in quibus apostoli de

---

[1] In hisce explicationibus sequimur sententiam cl. Billot, quamvis alii aliter explicent. Propterea omittimus objectiones ex *Apocalypsi* desumptas, quia secundum eius opinionem in ea non agitur de parousia (excepto cap. **20**) ideoque nullam difficultatem in casu parit. — [2] *Rom.* **13**, 11-12; *Philip.* **4**, 4-6; *Hebr.* **10**, 36-37; *Jac.* **5**, 7-9; cet. — [3] Cfr, supra n° **177**. — [4] Cfr. *II Thess.*, **1**, 7, 10; **2**, 8; *I Tim.* **6**, 15; *Tit.* **2**, 13; *I Cor.* **1**, 7; *Col.* **3**, 4; *I Petr.* **4**, 13 seq.; *Apoc.* **20**. — [5] Cfr. *I Thess.* **4**, 11; *II Thess.* **3**, 12; *I Tim.* **2**, 1; *Jac.* **4**, 13-16; *I Cor.* **7**, 25-35; *I Petr.* **4**; *II Petr.* **1**, 13-15. — [6] Cfr. *Rom.* **13**, 1-7; *Eph.* **6**, 1-9; *I Petr.* **2**, 13-23; **3**, 1-7; *Col.* **3**, 18-25; *Jac.* **2**, 1-17; **5**, 1-6; *I Jo.* **3**, 11-24; cet.

parousia proxime instante loqui videntur, quando scil. dicunt se vivere in „novissimis diebus" [1], advenisse „novissimam horam" [2], „fines" aut „consummationem saeculorum" [3], atque enumerant signa tunc apparentia [4]. Atvero tales expressiones intellegendae sunt, secundum modum loquendi s. Scripturae proprium [5], de ultima mundi epocha quae currit a tempore Messiae usque ad secundum Domini adventum in judicium universale. Et ita apostoli non aliter locuti sunt quam V.T. prophetae qui iisdem verbis periodum messianicam ut adventuram annuntiabant [6].

Restant autem praeter locos citatos quidam textus in scriptis apostolicis, praesertim in epistolis s. Pauli, in quibus quamvis per transennam attamen vere de parousia agitur. Concedendum quidem est quod in hisce textibus prima facie propinquitas diei Domini aliquatenus insinuari videtur [7], sed non necessario de ea intellegi debent. Nonne enim rationi consentaneum est locos difficiles clarioribus textibus explicari? Porro secundum doctrinam apostoli docuissent finem mundi appropinquasse; alias èt sibimetipsis èt ipsi Christo contra-

---

[1] *Act.* **2**, 16; *II Tim.* **3**, 1; *II Petr.* **3**, 3; cet. — [2] *I Jo.* **2**, 18. — [3] *I Cor.* **10**, 11; *Hebr.* **9**, 26. — [4] Cfr. *Act.* **2**, 16-21; (cfr. *Joel.* **2**, 28-32); *I Jo.* **2**, 18-19. — [5] Cfr. *Is.* **2**, 2; *Jerem.* **48**, **47**; **49**, 39; cet. Talis explicatio etiam invenitur in exegesi rabbinica et apud s.s. Patres. Cfr. S. AUG. *De Gen. contra Manich.* I, c. 23; *In Joan. Evang.*, IX, n. 6; cet. „Dicendum quod ex hoc quod dicitur *novissima hora est*, vel ex similibus locutionibus quae in Scriptura leguntur non potest aliqua determinata quantitas temporis sciri. Non enim est dictum ad significandum aliquam brevem horam temporis, sed ad significandum novissimum statum mundi, qui est quasi novissima aetas; quae quanto temporis spatio duret, non est definitum, cum etiam nec senio quod est ultima aetas hominis, sit, aliquis certus terminus definitus": ita S. THOM., *Suppl.* **88**, 3, ad. 3. — [6] Cfr. n° **162**, 2°. — [7] V.g *I Thess.* **4**, 12-17; *I Cor.* **15**, 51-52; *II Cor.* **5**, 3.

dixissent [1]. Quinimo explicatio harmonica locorum difficilium cum doctrina jam exposita non est impossibilis ut ex sequentibus patebit.

187 c. *Objiciuntur* a rationalistis praesertim verba b. Pauli in prima epistola *ad Thess.*: „Hoc enim vobis dicimus in verbo Domini, quia nos, qui vivimus (*ἡμεῖς οἱ ζῶντες*), qui residui sumus in adventum Domini (*οἱ περιλειπόμενοι εἰς τὴν παρουσίαν τοῦ Κυρίου*), non praeveniemus eos qui dormierunt"; cet [2]. Nonne, ita adversarii, ex hisce verbis sequitur b. Paulum putasse se adhuc vivere cum Dominus ad judicium universale adventurus est; nonne in hac opinione manifeste erravit?

Resp. — Secundum ea, quae supra exposuimus, sententia

---

[1] Apostolos qua hagiographos errorem in religiosis docuisse etiam excluditur principiis catholicis (scil. inspiratione et inerrantia s. Scripturae). Neque „exegetae catholico permissum est asserere, Apostolos, licet sub inspiratione Spiritus Sancti nullum doceant errorem, proprios nihilominus humanos sensus exprimere, quibus error vel deceptio subesse possit", secundum resp. *Comm. de Re Bibl.* (*A. A. S.*, 1915 l. c. Dubium I). — HOLZMEISTER (*Zeits. f. k. Th.*, 1916, p. 170) distinctionem faciens putat, b. Paulum parousiam proximam non certo expectasse sed ut possibilem, imo probabilem habuisse. Siquidem tempus parousiae secundum Christi doctrinam erat ignotum, ideoque semper potest esse propinquum; haec autem possibilitas in probabilitatem atque in spem transiit propter quaedam indicia tunc exsistentia. In hoc casu b. Paulus non formavit opinionem, quae fuisset erronea, sed tantum judicium de probabilitate — Quamvis haec sententia non videtur pugnari cum resp. Comm. Bibl. citat., nobis arridere nequit. Nonne Christus et ipsi apostoli insinuant finem mundi nondum imminere (cfr. n° **178**, et **185**)? deinde difficulter supponi potest b. Paulum in praedicanda Christi doctrina de parousia philosophum egisse, distinctione utentem inter „opinionem" et „judicium de probabilitate", auditoresque ac primos lectores hanc distinctionem intellexisse. — [2] **4** 14, cfr. 12-13 et 15-17.

rationalistarum jam a priori valde improbabilis est ex eo quod in eo casu apostolus sibi contradixisset; nam in aliis epistolis[1], imo in eadem epistola[2] ignorantiam de tempore parousiae aperte profitetur. Hanc autem contradictionem excludere debemus quamdiu explicatio harmonica et rationalis adhuc possibilis est. Atqui, quamvis iste locus diversimode explicetur, tamen reapse dari potest ea explicatio, qua excludatur vera contradictio.

Sententia communior cum s.s. Patribus[3] putat apostolum usum esse figura rhethorica, scil. enallage personae, quasi dicat: „nos qui vivimus, i. e. quicumque vivent, sive ex nobis sive ex posteris nostris, quorum ego personam hic induo et subeo, ut de iis in mea persona loquar"[4]. — Clarius et fusius hanc explicationem evolvit BILLOT[5], deducens ex oppositione ad *οἱ „νεκροὶ ἐν Χριστῷ"*. (v. 15, cfr. v. 13), quod *„οἱ ζῶντες"* sunt viventes *in Domino*, qui adhuc residui sunt in adventum Domini. Et sicut pronomen „nos" in vulgari con-

[1] Cfr. *II Cor.* **1**, 8-9; **4**, 11-12, 16; **5**, 2, 8-9; *II Thess.* **2**, 1-9. — [2] Cfr. **5**, 1 seq.; cfr. n° **185**. — [3] S. JOES CHRYS., *In Ep. I ad Thess. IV*. Hom VIII, no. 2; *in I Cor.*, Hom. XLII, no. 2; S. AUG., *De civ. Dei*, XX, c. 20; cet. Cfr. s. THOMAS, *In omnes d. Pauli epist.*, E. Leod. 1858, III, p. 23 et 24. De hac sententia patristica respondit *Comm. Bibl.* ad dub. III: „Utrum attenta locutione graeca *„ἡμεῖς οἱ ζῶντες οἱ περιλειπόμενοι,"* perpensa quoque expositione Patrum, imprimis Sancti Joannis Chrysostomi, tum in patrio idiomate tum in epistolis Paulinis versatissimi, liceat tamquam longius petitam et solido fundamento destitutam rejicere interpretationem in Scholis catholicis traditionalem (ab ipsis quoque novatoribus saeculi XVI retentam), quae verba Sancti Pauli in cap. IV, epist. I ad Thessalonicenses, vv. 15-17, explicat quin ullo modo involvat affirmationem parousiae tam proximae ut Apostolus seipsum suosque lectores adnumeret fidelibus illis qui superstites ituri sunt obviam Christo? — *Negative*". Cfr. *A. A. S.* 1915, p. 357. — [4] Ita CORN. A LAPIDE, in h. l. — [5] *La parousie*, p. 253-262.

versatione saepius adhibetur ad determinandam aliquam personarum classem ad quam etiam nosmetipsos computare volumus, ita b. Paulus, scribens ad christianos viventes, per „ἡμεῖς οἱ ζῶντες" dicere volebat: nostri, i e. ii qui nostrae partis sunt, fideles seu viventes in Domino, qui Domino adveniente adhuc residui sunt, cet. Quod confirmatur per appositionem „οἱ περιλειπόμενοι", quod verbum significat „residuum minimum" [1]; et ita b. Paulus insinuare videtur diem parousiae adhuc longe distare, quia numerus fidelium viventium hac die valde exiguus erit in comparatione ad numerum dormientium in Christo. — Nonnulli sentiunt intuitu duorum participiorum (ζῶντες, περιλειπόμενοι) sensum verborum esse conditionatum: *casu quo, si* ipse secumque viventes adhuc viverent" [2]. — Alii [3] putant b. Paulum loqui ex opinione Thessalonicensium, et ita adhibuisse *argumentum ad hominem*. Secundum hanc sententiam duplex error in mentem Thess. irrepserat: primo quod mortui tempore parousiae in minori conditione essent quam viventes, secundo quod parousia instaret; quem errorem hisce circiter verbis ad apostolum referre potuerunt: „nos qui vivimus, qui residui sumus in adventum Domini, praeveniemus eos qui dormierunt". Jam iisdem verbis s. Paulus refutat primum errorem (abstractione facta ab altero de tempore parousiae de quo infra [4] aget): „nos qui vivimus, qui residui sumus in adventum Domini, *non* praeveniemus eos qui dormierunt". — Alii [5] denique sentiunt apostolum per verba, „in (εἰς) adventum Domini" indicare *finem* ad quem „οἱ ζῶντες" destinati sunt,

[1] Gallice: „un résidu", neerlandice: „een frutje, een restje". Cfr. etiam *Rom.* **9**, 27; **11**, 5. — [2] HOLZMEISTER in *Zeits. f. k. Th.*, 1917, p. 167-182. — [3] CORNELY, *Intr. spec. in N. T.*, Ed. 2, p. 413 seq.; F. PRAT, S. J., *La théologie de S. Paul;* KNABENBAUER, in h. l.; cet. — [4] Cfr. *I Thess.* **5**, 1-6. — [5] P. KONSTANTIN RÖSCH, in *Theol. u. Glaube*, 1911, p. 492 et in *Münst. Pastoralblatt*, 1918, p. 18; cfr. TILLMANN, *o. c.* p. 55.

praecisa quaestione utrum *nunc* viventes (inter quos ipse apostolus) hunc finem pertingant necne [1]; hoc enim nescimus quia dies parousiae omnibus est ignotus.

Quidquid ergo sit, unum apparet verba objecta non indicare parousiam ita instantem ut b. Paulus speraret se adhuc viventem aspecturum esse adventum gloriosum Domini.

[1] Praepositio „εἰς" raro tempus, sed plerumque finem significat; cfr. *Mc.* **6,** 8; *Luc.* **9,** 13; **5,** 4; *Mt.* **8,** 34; **25,** 1; *Jo.* **12,** 13; *I Cor.* **16,** 1; *Eph.* **3,** 2; *Judas,* 6. — Nos etiam eodem modo loquimur: „Wenn ein Oberst erklärt: „Von den angesetzten Sturmtruppen sind noch tausend Mann für den Nahkampf übrig", so ist damit nur behauptet, dasz diese Tausend für den Nahkampf in Betracht kommen, nicht aber, dasz sie dafür wirklich verwendet werden" (*Theol. u Gl.*, 1918, p. 449).

INDEX ALPHABETICUS.

(Indicantur numeri marginales).

Acta Conc. Vat. de cognitione religionis naturalis, 24; de criteriis revelationis, 34.

Acta Pilati, 92.

Aera, christiana, quandonam inchoetur 159 (nota).

Aggaeus, prophetia de adventu Christi, 160.

Agnosticismus, 1a (*nota*).

Allard, Paul — de christianis nobilioribus 117a (*nota*); de accusatione odii humani generis 118 (*nota*); de romanis salutem reipublicae a cultu deorum repetentibus 118 (*nota*) de judaeis persecutionum fauroribus, 118 (*nota*).

Analogiae christianismi cum aliis religionibus, 74a.

Anarchistae, quantum distent a martyribus 139.

Animismus, 10.

s. Anselmus, opera praecipua, p. XV.

Apostoli in credulí de resurrectione, 105; quid de *παρουσία* opinàverint, 185 seq.

Apparitionis Christi redivivi, 103a; discrepantia Evangelistarum, 105 (nota).

Arnobius de miraculis Christi, 93; de viris culitoribus Christo adhaerentibus 117a.

Aristides de moribus christianorum, 129.

Athenagoras de moribus christianorum, 129.

s. Augustinus de convenientia miraculi, 44; de significatione symbolica miraculorum Christi, 97; de nomine Catholicae, 108 (nota); de conservatione judaismi, 127 (nota); de martyribus a suis cognatis tentatis, 134.

Balfour de atheis honestis, 8 (nota).

Batiffol de causa obscuritatis in textibus eschatologicis, 180 (nota).

Bautain, thesis ab eo subscripta, 46. (nota).

Bayer de prophetia LXX hebdomadum, 157a (nota).

Benedictus XIV de veritate relativa miraculi, 54 (nota).

s. Bernardus, ejus miracula, 111.

Blondel, vide *Immanentia.*

Bossuet de sceptro Judae post captivitatem babylonicam, 156 (nota).

Brochmann de causis diffusionis protestantismi, 122 (nota).

Broglie, de — de natura prophetiae, 144 (nota).

Bougaud de sanctitate Christi, 83 (nota).

Buddhismus, popularis non est atheisticus, 4; diffusio naturaliter explicatur, 122, 127; populis haud salutaris, 122.

Caeremonarium utilitas, 5.

Caiphas non fuit propheta, 61.

Catholicismus, mirabilis propagatio, 116; per omnes ordines societatis, 117a; mirabilis ejus conservatio, 123; mirabilem fructum sanctitatis maturavit 129; mirabilis est in suis martyribus 132 seq; a prophetis praedictus, 162 seq.; vide: *Ecclesia catholica.*

Celsus de miraculis Christi, 92 ; de resurrectione non satis manifestata, 106.

Chantepie de la Saussaye, non datur gens sine religione, 4 (nota).

Charcot de fide quae sanat, 50 (nota).

Christus, persona historica, 75 ; testimonium de sua legatione, 76 seq ; propria imaginatione non illusus, 80 ; nec fanaticus, 80 ; deceptor non fuit, 81 ; perfecta ejus sanctitas, 83 ; non dominabatur affectibus, 84 ; nec acceptor personarum, 84 ; ejus praedictiones, 85 seq ; manifestationes occultorum, 88 ; ejus miracula historice vera, 91 seq ; philosophice vera, 93 seq ; relative vera, 95 ; eorum significatio symbolica, 97 ; resurrectionem praedixit, 100 ; vere mortuus, 102 ; vere redivivus, 103 seq ; a prophetis praedictus, 147 seq ; non erravit circa finem mundi, 175.

Cicero de oraculis, 60 (*nota*).

Clemens alex. de diffusione christianismi, 117.

s. Clemens rom. de s. Paulo universi mundi doctore, 116 ; de moribus corinthiorum, 129.

Cognitio analogica, 18a (*nota*) ; — prophetica, 71-61.

Cognoscibilitas revelationis, 29 ; miraculi, 45 seq ; miraculi in ordine morali, 57; prophetiae, 63.

Commissio Bibl. de Isaia et vaticiniis, 143a (nota), 144 (nota); de parousia, 185, 186.

Conc. vatic. de possibilitate revelationis, 15, 17 ; de necessitate revelationis, 22, 24 ; de criteriis revelationis, 34 ; de miraculis 41.

Conspectus demonstrationis christiano-catholicae, 66.

Convenientia christianismi cum aliis religionibus, 74a.

Corpus Christi non ablatum, 104.

Credo ut intellegam, p. IX.

Criteria revelationis, quid, 29 ; divisio, 31 ; enumeratio et applicatio, 32 ; comparatio ad invicem, 34 ; doctrina conc vatic, 34.

Croonstadt, Joannes a — de ejus miraculosis sanatonibus, 54 (nota)

Cultus, quid, 1 ; internus et externus, 5 ; publicus, 7.

s. Cyprianus dicit, adversarium Christi non impugnare haereticos, 139.

s. Cyrillus hier. de nomine Catholicae, 108 (nota).

Daniel, quandonam conscriptus 143 ; prophetia de LXX hebdomadis, 157.

Denis, vide *Immanentia.*

Dennert de religione physicorum 4 (nota).

Dentler irredet fabulam de corpore Christi furtim ablato, 104 (nota).

Diffusio christianismi sub apostolis, 116; postea usque ad saec. IV, 117 ; per omnes ordines societatis, 117a ; óbstacula vincenda, 118 ; media naturalia, 119 ; est miraculum in ordine morali, 120 ; difficultates, 121.

Dionysius alex, de moribus christianorum, 129.

Doctrina catholica Deo non indigna, 68; praestantissima, 69 seq ; exinde supra-humana 73 ; — non est naturalis evolutio judaismi, 74 ; nec per syncretismum orta, 74a.

Dodwell magnum numerum martyrum impugnavit, 133 (nota).

Drews exsistentiam Christi negat, 75 (*nota*)

Dubitatio Apostolorum de Christo redivivo, 105.

Ecclesia catholica, nomen, 108 ; missionem Christi continuat, 107 ; semper respuit haereticos, 108 ; commendatur miraculis in ordine physico, 109 ; diffusio sub apostolis, 116 ; post apostolos, 117 ; mirabiliter stabilis, 123 seq ; vide: *Catholicismus,*

Eusebius de moribus christianorum, 129.

Evangelistae de apparitionibus Christi redivivi, 103a.

Evolutio non explicat originem christianismi, 74.

Faith-healing, 50 (*nota*).

Fanatici, quantum distent a martyribus, 138.

s. Felicitas dicit, Christum pati in martyribus suis, 137 (*nota*).

Fetischismus 10.

Fides differt a theologia, p. VIII sed cum ea connectitua, p. IX; quam Christus aliquando exigebat ab aegrotis, 96.

Fideistae exaggerant necessitatem revelationis, 23 (*nota*).

Finis mundi, vide *παρουσία*.

Fonsegrive harmoniam christianismi cum legibus vitae aliis criteriis praefert, 63b (*nota*).

s. Franciscus Xaverius, ejus miracula, 112.

Fridericus m. de causis diffusionis protestantismi, 122 (*nota*)

Fundamentalis theologia, p VI et X differt a dogmatica, p. VII; auctores, p. XXV; objectum et divisio p. XXVI methodus, p. XXVII; suppositiones, XXVIII.

Furrer miracula Christi naturaliter explicat, 93 (*nota*).

Galenus de moribus christianorum 129.

Gaufridus de miraculis s. Bernardi, 111.

ss. Gervasius et Protasius, miracula per tactum reliquiarum, 110.

Goethe de perfectione moralis evangelicae, 70 (*nota*).

s. Gregorius m. de symbolismo miraculorum Christi, 97 (*nota*) quare olim abundaverint miracula 114.

Gutberlet de ideis analogis, 18a (*nota*).

Haereticus materialis moriens pro religione Christi, 139 (*nota*).

Harnack de incertitudine cujujuslibet miraculi, 45 (nota) concedit Christum se ipsum habuisse Messiam, 77 (nota); de resurrectione Christi, 103; de diffusione christianismi, 117 (nota); de diffusione mithracismi, 122 (*nota*).

v. Hartmann moralem christianam despicit, quia praemium promittit, 70 (nota); de infelici Buddhismi influxu, 122 (*nota*).

Hebdomades, prophetia Daniel de LXX hebdomadibus, 157.

Heinrich de sanctitate Christi, 83 (*nota*).

v. Hellwald de fructu salutari christianismi in mundum antiquum, 129 (*nota*).

Hermes commendat examen dubitativum, p. XXVIII (*nota*).

Hir (Le) de obscuritate prophetiae, 146 (nota).

Historia theologiae, p XIV; epocha veterum scholasticorum, p. XV; recentioris scholasticae, p. XVIII; auctores moderni, p. XX.

Hoekstra de religione sine Deo, 1 (*nota*).

Holtzmann testatur, miracula pertinere ad substantiam historiae evangelicae, 91 (*nota*); ea naturaliter explicat, 93 (*nota*); de corpore Christi furtim ablato, 103.

Hume de impossibilitate cognoscendi miraculum, 47.

Hypnotismus, 50.

s. Ignatius m. nomen Catholicae adhibet, 108 (*nota*); de diffusione Ecclesiae, 117.

Immanentiae methodus, 63a.

Immanentismus, immanentia vitalis, 1a (*nota*).

Impossibilitas physica et moralis, 23.

Indifferentismus, 2, 9.

s. Irenaeus narrat, quantopere Apostoli haeresim detestati furint, 108 (nota); de diffusione christianismi, 117; de miraculis in Ecclesia, 110; de martyribus in sola Ecclesia inveniendis, 139; de obscuritate prophetiae, 145 (*nota*).

Jacob, prophetia de sceptro Judae, 148; 155.

Josephus, testimonium de Christo, 75; de excidio urbis 87; de spe Messiae judaeos ad defectionem a romanis stimulanti, 143 (nota).

Jouffroy de praestantia doctrinae catholicae, 69 (nota).

Julianus apostata de miraculis Christi, 92; de virtutibus christianorum, 129; de aviditate multorum ad martyrium, 135 (nota)

s. Justinus de miraculis Christi, 92; de diffusione christianismi, 117; de moribus christianorum, 129.

Kant de vanitate religionis proprie dictae, 2 (*nota*)

Laberthonnière, vide *Immanentia*.

Laboulaye de praestantia docrinae Christi, 71 (*nota*).

Lactantius de diffusione christianismi, 117; de martyrio diu protracto, 134; de patientia martyrum suprahumana, 137.

Lagrange de novitate doctrinae Christi, 74 (*nota*); de difficultate alium sensum prophetiis messianis supponendi, 144 (nota); de textu; „videbitis filium hominis sedentem a dextris Dei", 183 (nota).

Leges naturae num immutabiles, 43.

Leo XIII de obligatione religionis, 3; — cultus publici 71 (nota); de vera religione ejusque argumentis 141 (nota).

Le Roy, Ed. — de miraculo, 18 (nota); de corpore Christi ablato, 103.

Lex mosaica divinitus data, 170; praeparatio Christi, 171; solis hebraeis imposita, 173; habebat partem moralem, caeremonialem, judicialem, 173; habebat sanctiones temporales, 173; abrogata est non revocatione, sed impletione, 174.

Lightfoot de verbis: „tribus diebus et tribus noctibus", 101 (nota).

Loisy de resurrectione, 103.

Lourdes, miracula ibi facta, 113.

Lutherus de infelici fructu reformationis, 130.

Macauley de stabilitate religionis catholicae, 124 (nota).

Mahumetismus, naturaliter diffusus, 122; 127.

Maimonides dicit, sapientes prohibuisse computationem temporis Messiae, 161.

Maistre, de — de communitatibus orientalibus diu conservatis, 127 (nota).

Malachias, prophetia de adventu Christi, 161.

Martyr, quid, 132; ingens numerus martyrum, 133; supplicia gravissima, 134; modus patiendi admirabilis, 135; non naturaliter explicatur, 136; difficultates, 138.

Maximinus Daza de diffusione christianismi, 117.

Messias, nomen, 76; qualis a coaevis Christi exspectabatur, 143; spes Messiae hausta ex Vet. Test., 143; etiam exteris nota, 143.

Methodus immanentiae, 63a.

Meyer de apparitionibus Christi redivivi, 103.

Miles, quantum distet a martyre, 139.

Minucius Felix de argum. petito ex constantia mart., 137 (*nota*).

Miraculum, nomen, 35; definitio, 36; causa ministerialis, 37; divisio, 38; miracula quoad nos, 39; vera miracula, 40; finis miraculi, 40; doctrina conc. vatic. 41; — possibilitas, 42; convenientia, 44; — cognoscibilitas historica, 46; philosophica, 48; probandi vis, 53; in ordine morali, 55.

Miracula Christi historice vera, 91; toti historiae evangelicae intime contexta, 91 philosophice vera, 93; relative vera, 95; difficultates, 96; significatio symbolica, 97.

Miracula Ecclesiam commendantia, 108; quare posteriori tempore pauciores, 114.

Miracula Patris in favorem Christi, 98.

Mithracismus, ejus diffusio naturaliter explicatur, 122.

Modernistae de religione, 1a; omnes religiones *veras* habent 9; de revelatione 11; 12 (nota); de prophetiis, 143a; de parousia, 175.

Moralis theologia p. XI.

Moralitas, ejus fundamentum est religio, 8

Mors Christi probatur, 102; praedicta a prophetis, 150.

Motiva credibilitatis, 29; vide *Criteria*.

Müller, Max —, non datur gens sine religione, 3 (*nota*).

Munera Messiae apud prophetas, 151; ex mente coaevorum Christi, 143.

Mysteria paganorum non praeformarunt doctrinam de resurrectione. 105b.

Mysterium, quid, 14; primi et secundi ordinis, 14; revelatio mysteriorum possibilis 17; objectiones, 18; utilitas, 18a.

Naturalistae de revelatione, 11.

Necessitas revelationis absoluta, 22; moralis ad cognoscendam religionem naturalem, 23.

Nietzsche, „Herren-Moral", 8 (*nota*).

Nostitz-Rieneck de miraculis in ordine morali, 55 (*nota*).

Objectum theologiae materiale et formale, p. VI; — theologiae fundamentalis, p. VII, X et XXVI.

Obligatio religionis, 93; cultus externi, 5; publici, 7.

Odium Christi ut argumentum, 140.

Oeconomia, quid, VII (*nota*).

Oeganda, nobile martyrium XXXII juvenum, 134.

Officia religionis absoluta, hypothetica generalia, particularia, 9a.

Ollé-Laprune conveninetiam intellectualem et moralem christianismi omnibus aliis criteriis praefert, 63b (nota).

Oort, Dr. — de prophetia: „ipsi obedientia gentium", 155 (nota).

Oracula gentilium, 60.

Oratio dominica, ejus praestantia 71(*nota*).

Origenes de moribus christianorum, 129.

Origo religionis christianae non explicatur per evolutionem judaismi, 74; nec per syncretismum, 74a.

s Papylus m. de diffusione christianismi in Asia, 117.

Παρουσία, Christus nec docuit nec putavit *παρουσίαν* jam instare, 177 seq; solvuntur difficultates, 179 seq; quid Apostoli opinaverint, 185 seq.

Passio Christi apud prophetas, 150.

Paulsen de origine religionis 1a (nota); miracula vocat „Nothbehelfe", 43 (*nota*); miratur diffusionem christianismi per mundum antiquum, 119 (*nota*).

Paulus, G. — miracula Christi naturaliter explicat, 93 (*nota*).

Paupertas quaenam ab Ecclesia laudetur, 72.

Perfectio christiana, 72 (*nota*).

Persona Christi historica, 75.

Peschel, non datur gens sine religione, 4 (*nota*).

Pfleiderer, de conscientia messiana Christi, 81 (*nota*).

Philosophi non sufficiunt ad cognitionem religionis naturalis, 26.

Pierson, A. — de sanctitate Christi 83 (nota); testatur, conditionem Ecclesiae semper periculis plenam fuisse, 124 (*nota*)

Pilatus mirabatur de obitu Christi, 102; acta Pilati, 92.

Plinius secundus de Christo et christianis, 75; de diffusione christianismi in Bithynia, 117; de moribus christianorum, 129.

Porphyrius dicit, deos non opitulari propter cultum Christo tributum, 118 (*nota*).

Positiva theologia, pag. XI.

Praestantia doctrinae christianae. 68; argumentum revelationis, 73

Progressismus religiosus rejicitur, 10.

Progressui rei oeconomicae non obstat catholicismus. 72 (nota).

Prophetae, quantum distent a vatibus gentium, 143a.

Prophetia, nomen, 59; definitio, 60; explicatio theologica, 61; — corporalis, imaginaria, intellectualis, 61; possibilitas, 62; cognoscibilitas, 63; — comminationis, 63.

Prophetiae Christi de seipso, 85; de suis discipulis, 86; de destructione urbis, 87; — philosophice verae, 89; in confirmationem suae missionis editae, 90.

Prophetiae messianae, philosophice verae 143a; notae pro recta earum intellegentia, 144; compendiaria expositio, 147 seq; protoevangelium, 147; de

genealogia Messiae, 148 ; de biographia Messiae, 149 ; de muneribus Messiae, 151 ; de tempore adventus Messiae, 155 ; de regno Messiae, 162 ; de potentia et humilitate Messiae, quomodo cohaereant, 153.

Proselytae, quid, 173 (*nota*).

Protestantes orthodoxi, de revelatione, 12 (nota) ; de criteriis revelationis, 33 (*nota*).

Protestantismus naturaliter propagatus, 122.

Protoevangelium, 147.

Pulchritudo doctrinae catholicae, 71.

Quadratus de miraculis Christi, 92

Rationalistae de religione, 1a ; de revelatione, 12 (nota) ; de criterio revelationis, 32 (nota) ; explicant Gen. (49, 10), 155 (nota), de parousia, 175.

Rauwenhoff de religione sine Deo, 1 (*nota*).

Regnum Messiae, quale a prophetis praedictum, 162 seq.

Reim de apparitionibus Christi redivivi, 103.

Religio, quid, 1 ; subjectiva et objectiva, 1 ; naturalis et supernaturalis, 1, fundamentum objectivum religionis, 1a ; origo secundum modernistas, 1a ; obligatio, 2 ; — fundamentum moralitatis, 8 ; vera et falsa, 9 ; unitas verae religionis, 9.

Religio mosaica, vide *Lex*.

Religio naturalis absque revelatione non satis cognoscitur, 23 ; undenam hoc explicandum, 23.

Religio primaeva divinitus revelata 170 ; praeparatio et inchoatio religionis christianae, 171.

Renan de miraculis Christi, 45 (nota) ; 47a ; 50 ; 93 ; Christus non fuit continuator Judaismi, 71 (nota) quomodo Christus Messiam agere potuerit, 81 (nota) ; de ejectione daemonum, 93 (nota) ; de certitudine mortis Christi, 102 nota) ; de resurrectione ejus, 104 (nota) ; 105 (nota).

Renouvier de possibilitate miraculorum, 43 (*nota*).

Resurrectio Christi, argumentum princeps, 99 ; fuit praedicta, 100 ; in signum divinae missionis, 101 ; — probatur, 103a ; non per solos amicos constat, 106 ; ex mysteriis paganis non mutuata, 105b.

Revelatio, quid, 12 ; privata et publica, 13 ; immediata et mediata, 13 ; supernaturalis quoad modum et substantiam, 13 ; sensitiva, imaginaria, intellectualis, 12 (nota) ; — possibilis, 15 seq ; necessaria, 22 ; cognoscibilis, 29 ; — primaeva, mosaica, christiana, 64.

Revelatio mediata possibilis, 19 ; conveniens, 21.

Réville de corpore Christi ablato a judaeis, 103.

Richardus victorinus de sufficientia criteriorum revelationis, 106.

Ridderbos de monotheismo primitivo, 10a (nota).

Romanes de vi accomodatrice christianismi, 71 (nota).

Rousseau de fundamento moralitatis, 8 (nota) ; revelationem immediatam postulat, 20 (nota) ; de sanctitate Christi, 83 (*nota*).

Sabatier A. — de atheismo, 4 (nota).

Salubritas doctrinae catholicae 72.

Sanctitas doctrinae christianae, 70 ; num duplex sanctitatis norma, 72 ; fructus sanctitatis in religione catholica ingens, 129 ; naturaliter non explicatur, 131 ; apud haereticos et schismaticos, 130.

Sanctitas Christi, 82 ; num satis liber ab affecribus et acceptione personarum, 83.

Savornin Lohman, Anna de — de vita laudabili et misericordia catholicorum, 130 (nota).

Schamanismus, 10.

Scholastica theologia, pag. XII.

Schopenhauer de revelatione, 12 (*nota*).

Schweizer de apparitionibus Christi redivivi, 103.

Sensus, motus cordis sec. modernistas, 1a.

Sepulcrum vacuum, 103a.

Sybillini libri, 60 (*nota*).

Somnambulismi praedictiones, 63 (*nota*).

Spiritismi praedictiones. 63 (*nota*).

Stabilitas religionis catholicae, qualis, 123; obstacula gravissima, 124; absque causa naturali proportionata, 126; difficultates, 127.

Stadium legis naturae, mosaicae, evangelicae, 64.

Status religiosus et perfectio christiana, 72 (*nota*).

Stöckl de oratione dominica, 71 (*nota*).

Strauss de essentia religionis, 1; de impossibilitate miraculi, 51.

Suarez de cognitione prophetica, 61 (nota).

Subjectum theologlae, p. VI.

Suetonius de christianis, 75; memorat opinionem, quod profecti Judaeâ rerum potirentur, 143 (*nota*).

Supernaturale, quid, 12 (*nota*).

Syllabus, prop. XV explicatur, 9 (*nota*).

Sully-Prudhomme dicit, catholicismum offendere omnes facultates humanas, 118 (*nota*).

Symbolismus miraculorum Christi, 97.

Syncretismus non explicat originem christianismi, 74a.

Tacitus, testimonium de Christo, 75; de excidio urbis, 87; memorat persuasionem, quod profecti Judaeâ rerum potirentur, 143 (*nota*).

Talmud de miraculis Christi, 92; de non computando tempore Messiae, 161.

Tertullianus de miraculis Christi, 92; irridet fabulam de corpore Christi furtim ablato, 104 (nota); de diffusione christianismi, 117; de calumniis christianis impactis, 118 (*nota*); de haereticis non ethnicos convertentibus, sed Ecclesiam evertentibus 122 (*nota*) de moribus christianorum 129; de sanguine martyrum semine christianorum, 137.

Testimonium Christi de sua legatione divina, 76 seq.

Theologia, notio, p. V; in sensu latiori et restrictiori, p. VII (*nota*); subjectum, p. VI; objectum formale et materiale, p. VII; differt a fide, p. VIII; cum ea arcte cohaeret, p. IX; divisio p. XI; — fundamentalis, p. VI, X, XXII, XXVI; dogmatica, p. VI, XI, XXIV; moralis, p. XI; — p. positiva, XI; polemica, p. XII (*nota*); apologetica, p. XII (*nota*); scholastica, p. XII; conspectus historicus — p. XIV; auctores recentes, p. XX; — relatio cum philosophia, XXIX.

s. **Thomas** de methodo theologiae, p. XII (*nota*); opera praecipua, p. XVI; de nomine miraculi, 35 (nota); de convenientia miraculi, 44 (nota).

Tiele, non datur gens sine religione, 4 (nota).

Toldoth Jesu de miraculis Christi, 92.

Totemismus, 10.

Traditionalistae exaggerant necessitatem revelationis, 23 (*nota*).

Tursellinus, Horatius — de miraculis s. Francisci Xaverii, 112.

Typasa, celebre miraculum ibi factum, 110.

Unitas verae religionis, 9 seq.

Veritas historica, philosophica, relativa miraculorum, 45; 53.

Victor vitensis de miraculo typasensi, 110.

Wegschneider de possibilitate miraculi, 43 (*nota*).

Weisz, Bern. — miracula Christi naturaliter explicat, 93 (*nota*).

Wundt de essentia religionis, 1a (*nota*).

CORRIGENDA.

Pag. VII, linea 19: loco *Jam locutio divina est factum quod* lege: *Jam locutio divina est factum historicum, ideoque ex historia demonstranda et quidem ex principiis rationis; infallibilis conservatio locutionis divinae est factum quod.*

Pag. X, linea 11: loco *Sub hac restrictione* lege: *et sub hac restrictione.*

Pag. XV, linea 4: loco *Hincmarus, Remigius* lege: *Hincmarus Remigius.*

Pag. XIX, linea 7: loco *theologiam* lege: *theologicam.*

Pag. XXX, linea 11: loco *catholica Ecclesiae* lege: *catholica Ecclesia.*

Pag. XXX, linea 12: loco *semper eandem, fidem* lege: *semper eandem fidem.*

Pag. 4, linea 3: loco *privata est quae unam* lege: *privata est quae ad unam.*

Pag. 27, linea 27: loco *ulteriores perfectionis* lege: *ulterioris perfectionis.*

Pag. 31, linea 21: addatur in margine numerus: 18a.

Pag. 42, linea 1: loco *habuis* lege: *habuisse.*

Pag. 102, in notis, linea 21: laco *semblabes* lege *semblables.*

Pag. 107, linea 21: loco *humilitatem,* lege: *humilitatem. mansuetudinem,*

Pag. 132, linea 2: loco *quo sanctitas* lege: *quod eius sanctitas.*

Pag. 195, in notis, linea 20: loco *ruce actum cesse* lege: *cruce actum esse.*

Pag. 234, linea 17: loca *intuentus* lege; *intuentes.*

Pag. 241, in notis, linea 4; loco *parell.* lege: *parall.*

INDEX ANALYTICUS.

Pag.

Praelegomena in universam Theologiam V
Praelegomena in Theologiam fundamentalem XXVI

DE VERA RELIGIONE.

SECTIO I. Theoria religionis 3
CAPUT I. De religione in genere 3
Art. I. De fundamento objectivo et obligatione religionis 4
Art. II. De unitate verae religionis 14
CAPUT II. De religione revelata 21
Art. I. De possibilitate revelationis 22
Art. II. De necessitate revelationis 36
Art. III. De cognoscibilitate revelationis 45
§ 1. De criteriis revelationis in genere 46
§ 2. De miraculis 52
§ 3. De prophetiis 80
Epilogus: De methodo immanentiae 88
SECTIO II. De veritate religionis christiano-catholicae 95
CAPUT I. De praestantia doctrinae christiano-catholicae 99
CAPUT II. De divinitate legationis Christi 115
Art. I. Divina missio Christi probatur ex ipsius Christi moribus sanctissimis 124
Art. II. Divina missio Christi probatur ex Christi prophetiis 134
Art. III. Divina missio Christo probatur ex Christi miraculis 140
Art. IV. Divina missio Christi, probatur ex ejus resurrectione 151
CAPUT III. De divinitate operis Christi, seu religionis christiano-catholicae . 176
Art. I. Divinitas religionis christiano-catholicae probatur miraculis in ordine physico 178
Art. II. Divinitas religionis christiano-catholicae probatur mirabili ejus propagatione et conservatione 186
Art. III. Divinitas religionis christiano-catholicae probatur mirabili, quem semper produxit, sanctitatis fructu 208
Art. IV. Divinitas religionis christiano-catholicae probatur mirabili suorum martyrum constantia 216
CAPUT IV. De Christo ejusque opere, divinitus praenuntiatis 228
Art. I. Exsistentia prophetiarum messianicarum 229
Art. II. Prophetiarum messianicarum compendiaria exposito 237
Conclusio totius tractatus 266
Appendix I. De religione revelata ante Christum 268
Appendix II. Doctrina Christi de *Παρουσία* 273
Index Alphabeticus 292
Corrigenda 299
Index Analyticus 300

211.02
N 738
14421
NOORT, G. VAN
AUTHOR
De Vera Religione
TITLE
DATE LOANED | BORROWER'S NAME | ROOM NUMBER
[redacted]
14421
NE AUFERATUR